50

20

55

53

6

4

3


27

6

19

Ex Libris
Joannis Kr[illegible]

Ex libris Jan:
Rzewuski


ANNO ÆTATIS SUÆ LXVIII
IOACHIMUS PASTORIUS à HIRTENBERG PROTONOT. APOST. ARCHIPR. DEC. & OFFICIAL. GEDAN. POMER. GENERAL. SECRET. & HISTOR. S. R. M. POLONIÆ
J. A. Bauer sc.
Symbolum
Sis mihi, magne Deus, ut SOL lucidus omni;
Sim FLOS, qui SOLEM spectat ubiq; suum.


FLORUS
POLONIA
GEDANI
Sumptibus Simonis Beckensteinii
Bibliopolæ


GO.
LR

JOACHIMI PASTORII
De
HIRTENBERG,

Protonotarii Apostol. Canonici Chelm. Decani, Parochi & Officialis Gedanensis, ac Pomeraniæ Generalis, Præpos. ad S. Albertum, S.R.M. Polon. Historici, Secretarii & Commissarii.

FLORUS POLONICUS,

Seu

POLONICÆ HISTORIÆ EPITOME NOVA,

Quintùm recognita, aucta, & ad nostri usque temporis bella continuata.

Ex libris [illegible] Aloys. [illegible]

Cum Gratia & Privil. Sac. Reg. Maj. Poloniæ.

Constat 2 fl. 25 g mon. curr. Anno 1693.

GEDANI ET FRANCOFURTI.

Sumptibus SIMONIS BECKENSTEINII.
Typis SIMONIS REINIGERI,
M. DC. LXXIX.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

JOANNI III.

REGI POLONIARUM, MAGNO DUCI LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIOVIÆ, VOLHINIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIECHOVIÆQVE.

Dicat, Dedicat

AUTHOR

Serenissime & Potentissime Rex,
Domine Domine clementissime,

PRospera & adversa vetustioris Poloniæ non ingrato plurimis breviario antehàc complexus, nunc ad propiora rebus præsentibus tempora accedo: eò magis invidiæ futurus obnoxius, & tanto grandiori adversus veri inimicos præsidio indigens. Unde autem validius munimentum sperem, quàm ab inclyto Sæ. MAJESTATIS TUÆ CLYPEO? Is TIBI gentilitius, & ante acceptum etiam Sceptrum, multo rerum gestarum splendore illustris, nunc à dignitate & fortunâ Regiâ longè augustius & robur & decus habet. Ab illo maxima quæq; beneficia sibi Respublica nostra non vanâ spe semper est pollicita,

cita, & usq; non pollicetur modò, ſed & accipit. Sub prima ſceptri Romani incunabula ANCILE, quod brevis SCUTI genus erat, cœlo delapſum, naſcenti tùm Imperio longa felicitatis incrementa promittere credebatur. Non minora ex fulgente SCUTO TUO omina dudum concepit, nec deteriores ominum eventus ſentiet POLONIA TUA. Ex cujus quidem id natum gremio, nihilominus de cœlo profectum, explicantibus itendidem fatis credimus: cœlo quod auſpice in TE feliciter coronatum pronis veneramur obſequiis. Principes Poëtarum SCUTA Heroibus ſuis â Vulcano fabrefacta, & iis geſta Deorum, ac regnatricium Nationum fata, Divinâ manu inſcripta fabulabantur. TUUM SCUTUM nihil fabuloſum, nihil commenticium habet aut poſcit. Ex ipſisſimis Virtutum meritis contextum, purisſimis CHRISTIANÆ PIETATIS, SA-

 PIEN-

PIENTIÆ, JUSTICIÆ, FORTITUDINIS, MODERATIONIS, CLEMENTIÆ, AMORIS PATRIÆ luminibus fulgeſcit. Et hæc ornamenta omnis melior Orbis ultrò agnoſcit, ac colit, ipſaq; invidia cogitur fateri. Cæterùm dignis ea coloribus adumbrata poſteritati tradere, majoris eſt operæ. SCUTUM Achillis nonniſi divino artificio procudi, nonniſi â Principe ingeniorum depingi, nec geſtari poſtea, niſi ſimilis Herois brachio potuisſe creditum fuit. TUI quoq; CLYPEI pondus ac pulchritudo tot magnorum decorum coruſcans mole, tot egregiorum facinorum imaginibus fulgurans, nonniſi cœleſti aliquâ pennâ figurari dignè, ac porrò ad poſteros deferri meo judicio poteſt. FLORUS tamen hic noſter partem decorum, quamquam ſubtimidè & quâdam religiosâ brevitate, attingere auſus eſt, nec aliâ laborem hunc coronide claudi voluit, quàm laureâ ex au-

gustis & fragrantissimis Virtutum ac meritorum TUORUM floribus compositâ. At quantumcunque sudavit Musa, vix tamen toto illo conatu majus quicquam assecuta videtur, quàm ut meliùs jam intelligat, quibus rebus dicendis impar sit. TE nihilominus, REX SERENISSIME, cujus eximiam bonitatem, & erga me, veterem Tuum & hujus Reipublicæ servum, Clementiam expertus novi, opus hoc nostrum, quintùm jam recusum, & magno augmento locupletatum, uti & alia, quæ deinceps in publicum dare molimur, non bènignè duntaxat suscepturum, sed & REGIÆ AUTORITATIS TUÆ CLYPEO adversus iniquorum jacula validè tuiturum confido. Nunquam gens mortalium tam est fortunata, ut de rebus iisdem idem semper sentiat. Nec qui facta hominum variorum calamo produnt, pariter omnibus placere possunt. Sæpè odia & bella, quæ inter se inimicæ familiæ &

gentes æmulâ obſtinatione geſſerunt, in hiſtoriam derivantur. Et ô quàm rarò fit, ut Veritas æquâ omnium lance trutinetur, aut ſimili mentium acie pernoſcatur. Iniqua ſubinde judicia patitur miſera, quia in malos ut plurimùm judices, affectus nempe privatos, infenſos aut obnoxios, incidit. TE, SAPIENTISSIME REX, decens MAJESTATEM Prudentia ita ſupra ignorantiæ umbras, ita & ultra affectuum nubes evexit, ut nemo mortalium certa â dubiis, falſa â veris dignoſcere rectiùs queat. Unde & hoc Hiſtoriæ compendium TUO maximè Divino judicio, TUÆ etiam toto orbe ſpectatisſimæ æquitati ſe humillimè ſubmittit. Simul verò, qui autor ejus ſum, alia pleniora, ſi fata nos meliora reſpexerint, daturum me promitto, ubi, ſi hæc epitome alicubi deficit, aut aberrat, defectus ſuppleri, errores corrigi poterunt. TIBI, REX SERENISSIME, compendioſo nunc voto,

CASI-

DEDICATIO.

CASIMIRI MAGNI felicitatem, CASIMIRI TERTII ſceptrigeram fæcunditatem, SIGISMUNDI PRIMI longævitatem â DEO OPT. MAX. animo humillimo precor. Dab Ged. poſtridie purificationis Divæ Virginis, quo feſto ante triennium, felix CLYPEUS TUUS Cracoviæ, ſolenni inauguratione coronatus eſt.

Submiſſo affectu
ſcribebam
devotiſſimus Servus

JOACHIMUS de HIRTENBERG
PASTORIUS, Proton. Apoſt. Can. Chelm. Decan. Parochus & Officialis Gedan. & Pomoraniæ generalis, Præpoſ. ad S. Albertum, [illegible] Maj. Vræ. Hiſtor. Secret. & Commis[illegible]

SARMATIA LAUREATA.

Perillustri Domino Autori

Inter solennes gratulantium plausus
Festivo Divinisſ. Tutelaris Die
Ab
ALBERTO BARTOCHOWSKI,
Professſ. Rhet. in Coll. Gedan. S. J.
consecrata.

NEc Lechicus sterilescit ager. Tot tela, tot inter
Fortunæ, ferriq; minas, Fatiq; timores,
Luctantesq; truci cum tempestate procellas,
Palladius cumulatur Honos: & Laurea, Laurũ
Porrigit, avulsoq; uno, non deficit alter
Pindarus, & simili frondescit Lechia Ramo.
Quàm benè conveniunt, & in unâ sede morantur
Sangvineo cum Marte Togæ, jurataq; Musis
Otia, bellorum nullis concussa procellis.
Miscentur Clypei Tabulis, calamisq; mucrones
Et fera Pieriis respondent Classica Plectris.
Hinc

Hinc Wiſniowecia, radiant adamantina Cera*
Sidera, Treÿciæ ſemper Fatalia Lunæ,
*Inde triumphali Patriam Zamoſcius ** Haſtâ
Suſtinet, & Fatis humeros inclinat Atlantes,
Emeritis illuſtris Avis: quem, conſcia tanti
Sidera Depoſiti, mediis rapuere triumphis,
Et ſolio admovêre Jovis, Patriq́ꝫ Gradivo.
Hinc culto Lechicum calamo Lubinius *orbem*
Erigit, & Reges mediis interſerit Aſtris,
Seu, cum Sigiſmunde tuam lachrymatur ad Urnam,
Cygnéa ſeu voce canit tua Fata, Polone,
Meciturq́ꝫ ſuis ingentia nomina Faſtis.
*Quis cultum Patriæ * Cyneam? quis Neſtora dicat?*
Cujus purpureus pendebat ab ore Senatus,
Attica cum Patriis miſceret verba Pyropis,
Attonitasq́ꝫ ſuis raptaret vocibus aures.
Te loquor O Lechicæ Osſolini *Gloria Svadæ,*
Quem Tybris attonitis ſtupuit de littore Nymphis,
Et conſangvineo laudavit Viſtula Ponto.
Hinc calamis, hinc Marte viget Gens Lechica: ab ipſis
Sumit opes, animūq́ꝫ Malis. Sub pondere tanto
Jam

* Dux *Wiſniowiecius* Zamoſcius* Oſſolinius.*

Jam nutare Orbis potuit; ſed Lechia creſcit
Caſibus erecta, Occaſuq; ſerenior ipſo
Proficit, epoto bellorum ſæpè veneno,
Et major contrà Fatorum fulmina ſurgit.
Vix Lechum Lucina parit: jam ferrea Martis
Signa vocat, vagitq; Puer, nî Martius Horror,
Nî litui, clypeiq; truces, fera tela miniſtrent,
Et teneros recreent horrentia tympana fletus.
Hic lituos vocat, ille tubas, hunc Claſſica Belli,
Hunc Laurus, calamiq; juvant, hic carmine cunas
Increpat, & Cyrrhâ patriis lachrymatur in ulnis,
Nî teneras ſiccet lachrymas porrecta papyri
Spongia, luctantemq; animam data plectra reducant.
Tu mihi teſtis eris: Lechiæ facunda voluptas,
Cygne Deûm, Terræ reſonans Philomela Polonæ,
O Amor! O Kochanowi! * *Te ſidera norûnt*
Cœleſtis Te novit Olor, novêre Planetæ.
Seu patrios ſine felle Sales, ſeu Claſſica Martis,
Seû cæli *ſtellantis opes, ſeû Nomina Regum*
Threÿciis narras fidibus, ſoboliq; parentas,
Te

* Kochanovius.

Te Pueri, innuptæq; canunt cum Matre puellæ,
Seû cum barbaricas aspersit cana pruinas
Parrhasis, hybernisq; foci risêre lucernis,
Seû cum cētoculus prospexit ab æthere Vesper,
Defunctoq; faces accendit Cynthia Fratri,
Et vigiles cœli excubias adamante notavit.
Sarmatico quoties vexabas pectine chordas
Vidimus, ut toto siluerunt barbita Pindo,
Et stupuit Pater ipse lyræ, dextramq;, fidesq;,
Increpuit, dixitq; suis mala nomina plectris,
Vidimus Aonium toties jurâsse Senatum
Per tua plectra, fidesq;, manumq;, & gemmea doctæ
Fila Chelys. Tibi Gnosiacæ porrexit Olympus
Serta Nurûs. Eratoq; tubas submisit ab astris.
Quis te Sarmaticæ Decus immortale Camænæ
Twardowi, * *taceat? cui pleno Patria Phœbo*
Vela tument, acriq; tonat Lucanus in ore,
Seû cum sangvinei memoras decora alta Gradivi,
Seû cum Lesczyniæ fabricas Capitolia Famæ,
Threÿciâ fretus Citharâ fidibusq; canoris.
Non tantum calamis, non tantum Thracius Heros
Debet Homere tuis; non tantū Troja Maroni;
Quan-

* Twardowius.

Quantū Twardowiæ Rex Vladislaë, Camænæ.
Vivis adhuc Lechici Princeps mitissime Sceptri
Vivis in æterno sæclorum vivis in ore.
Post cineres augusta tui monumenta Gradivi
Twardowium sustentat ebur, latèq; per Orbē
Martia facta refert. Novit tua nomina Maurus,
Novit pastus equo, novit tua tela Gelonus.
Tenè meæ (Lechici brevior Cromere Gradivi)
Pastori * *Cytharæ sileant? Te Balthica Thetys*
Attonitis miratur aquis, cultoq; coronat
Pieridum sacra turba choro, Tibi nomine Regum
Charta tumet, Mitrisq; Ducum, titulisq; superba.
Ipsa tibi cunas niveis stravisse ligustris
Virtus, & Puerum roseo sacrasse Pudori
Dicitur, infantesq; manus, vocemq; sonoram
Pindaricis aptasse lyris, auroq;, cedroq;,
Inscripsisse suis Pietas Tua Nomina fastis.
Dum Balthis, dum Varta fluet, dum Carpathus Euros
Infracto excipiet vultu, dum Vistula Lechi
Insano feriet trepidantia littora fluctu,
Scutaq; Threÿcia, & pharetras, & fortia volvet

* Pastorius.

Corpo-

Corpora, ſangvineas inter luctantia lymphas;
Semper Honos, Faſtiq; Tui Cytharæq; ſonabũt.
Cecropiæ procul ite Togæ, procul ite Camæna
Non generat teſtudo Aquilam, non Noctua alaudam.
Divitiis opulenta ſuis Lechæa Volucris
Externæ nil lucis eget, nil indiga lunæ,
Sole potens patrio, pariter jurata Gradivo
Corda parit, pariter doctæ devota Minervæ.

Ad Cygnum Cœleſtem
Vt Flori Sarmatici, Hiſtoriographi, & Poëtæ nobilisſimi Nomen, toto Cœlo differat celebrandum.

CYgne, Stellantis modulator Aulæ,
Cygne curarum facies Serena,
Lactei Syren maris, & Deorum
Prima voluptas.
Alitum Sidus: cui delicata
Ardet argento coma, cui pruinas
Candor inſperſit, niveisq; ſedit
Bruma lacertis.
Quid juvat triſtes renovare Lesſos?
Innocens puræ Cytharæde lymphæ,
Quid juvat ſurdis ceciniſſe Cygne
Carmina ripis?

I, per audaces Phaëtontis orbes,
I, per ardentes Jovis officinas,
I, reluctantis preme tortuosa
Colla Draconis.
I, nec irati Clypeus Gradivi,
Nec truci Orion metuendus ense,
Nec Leo, nec te Minor, atq; Major
Terreat Ursa.
I, per effusas Superûm plateas,
Hàc: ubi Primum Lechici Trionis
Sidus effulget; velut inter ignes
Gemma minores.
Hàc, ubi Cracus posito quiescit
Ense; bellorum satur atq; lauri,
Et suos, auctor, placidis penates
Ridet ab astris.
Hàc, ubi Vendæ pudor innocentes
Recreat Stellas, & amica cælo
Castra metatur, numeratq; fuso-
-Ex hoste trophæa.
Hàc, ubi Lechis fabricat beata
Lustra Premislus; clypeosq;, & enses
Ipse Fortunæ faber, in perenne
Mutat obryzum.
Hàc: ubi pulchro vehit axe Piastus
Patriæ pacem, niveosq; mores:
Et suis, atro sine felle, Lechis
Mella propinat.

Hàc: ubi Reges Zemovitus inter,
Ponè Miecislos, medius recumbit
Hàc, ubi Leſco Zemomislianam
Proſpicit Aulam,
Et Boleslaus redimitus aſtris
Illa ſub plantis ſua Regna ſpectat
Quêis Muſurmanni dubias minatur
Cynthia noctes.
Hàc, ubi Scirpus Jagelonidarum
Surgit in culmos, Ceceremq; cælo
Auream profert; & opima plenæ
Gaudia meſſis.
I per auguſtos, Olor, i per orbes
Quà Korybuthi, ſine nube, Luna
Auream ſpondet Lechiæ quietem, &
Gemmea luſtra.
Differ Arctoi monumenta Flori:
Pange: Non ſolus Tyberis diſertos
Parturit Floros: parit & Polonus
Viſtula tantos!
Non Padus magnum facit, aut Athenæ;
Ipſa ſed virtus, & anhela doctæ
Indoles laudis, ſtudiiſq; vinci
Neſcius ardor.
Vidimus, Magno Cicerone natum
Tybridis plenos vacuâſſe fluctus:
Nec tamen juſſum potuiſſe bina
Fundere verba.

Perge

Perge facundi celebrare Nomen
Neſtoris: Faſtos, Cytharasq́;, & acres
Pectinis nervos propera perenni in-
-ſcribere Cœlo.
Sola, quæ æternis, benè cautus, aſtris
Credis, hæc nullo moriuntur ævo.
Sola Fatorum pharetras, & iram, &
Fulmina rident.
Non diu ferri patitur lituras
Marmor inciſum: pedibus ſequentûm
Deterit vulnus, pereunt Avitæ
Stigmata laudis.
Fallor? an vaſti per aprica cæli,
Echo, Olorinos imitata cantus,
Diſtinet Soles: & anhela curſu
Sidera ludit?
Jam Tuos dulci canit ore Faſtos,
Jam canit dextram Cytharæ potentem,
Flore, Lecheæ brevior Cromere
Flore Lacænæ.
Scriberis, gemmis, adamante, & auro,
Scriberis, Magni Ciceronis heres,
Scriberis: Neſtor Lechiæ, Maroq́;
Scriberis alter.
Cuî domi Phæbus, placidiq́; dives
Ingenî cornu, cui viva Ceris
Cyrrha deſudat, vitreoq́; volvit
Flumine gemmas. PRO-

PROOEMIUM.

POlonorum natio, vetustissimis seculis, communi Sarmatarum sub nomine cognita, postquam à vastâ horum & non capiente se ampliùs turbâ discessit, magis etiam, quàm antea, fortitudine Martiisq; operibus enituit. Formidata semper vicinis remotisq; populis, multis insuper sat diu dominata, à nullo, nec Romano quoque, qui Orbi quondam imperare gloriabatur, subacta. Quin & ipsi huic, ut expressis multarum virtutum vestigiis, sic quâdam etiam Genii similitudine comparari merita. Quem à primo ortu, ad bella, & res gerendas ita unicè compositum habuit, ut, exemplo veteris Romæ, literato etiam otio non nisi seriùs assuescere potuerit. Unde factum, ut, quemadmodum triumphos alienos, &, quæ hos comitari solebat, externam scribentium industriam, felicibus semper armis arcuit: ita ipsa artium diu negligens & expers, res Majorum & suas, nonnisi memoriâ ac narratione familiari sciret traderetve: externis verò gentibus, victoriis potiùs & irruptionibus, quàm libris innotesceret. Equidem ante Jagellonem paucissimos hîc literis eruditos novimus, certe unum tantùm, qui facta suorum posteritati tradere aggressus

gressus

gressus sit, Vincentium Cadlubcum; Virum Infulatū ob antiquitatem, laboremque à nullo ante tentatum, venerabilem, quanquam alioqui Romanæ facundiæ cultu, seculi sui vitio, minus nitescentem. Sed post Jagellonem, institutamque ab hoc Cracoviæ disciplinarum officinam, nunc quoq; Viris Excellentibus insignem, subiit major animorum cultura, & hæc adeò cum renascentium passim literarum luce crevit, ut & superiori seculo hæc terra tulerit, & nostro etiamnum ferat ingenia, eruditione, inprimis floridâ illâ, & vitæ rebusque agundis aptiore, ad miraculum usque culta. Nec paucos etiam, qui res patrias decoris laboribus componerent illustrarentve, ætas hæc posterior profudit. Præter cæteros, quos silentio hîc veneror, Martinum Cromerum, Varmiensem Antistitem, dedit, virum ut loco illustrem, ita nulli historicorum seculi sui secundum, sive peritiam rerum, sive elegantiam Romani sermonis spectes. Quam utramque clarè ostendunt annales ejus, magnâ industriâ elaboratum & perpetuâ laude dignissimum opus.

Enimverò quia & extat jam rarius, & diffusâ orationis profluentiâ grandius est, quàm ut ab omnibus parari vel legi possit; incessit

& aliis

& aliis ante me, & mihi post illos studium, contrahendi, quæ ille operosiùs diduxit, in compendium, simulque eâdem brevitate, quæ post illum in Poloniâ acta essent, attexendi. Eam ego operam ante quadriennium, cùm fortè à lectione melioris ævi scriptorum recentior essem, aggressus, ad exitum Sigismundi Augusti, qui ultimus Jagellonidum masculorum fuit, deduxi: magis tamen id, quicquid esset, privato usui, quàm luci publicæ destinans. Quam revereri ego, ut par est, semper solitus sum, & ut sustinere queat hoc, quod jam verecundiæ custodiam effringit, maximè metuo. Nimisne formidolosum me ingenium aut tenuitatis conscientia faciat, nescio: sed multos profectò fore censores, multa & hîc jam nunc video censuris opportuna: nec temerè forsan repertura veniam apud inhumaniores, & quibus aliena sugillare volupe est. Multis non placebit ista, quâ maximè placere volui, brevitas; quod desiderium alicubi legentis non explebit. Sed forsan idem, si fuissem prolixior, breviorem me voluisset. Ita enim plerumque præsentia in fastidio: quæ desideramus, in laude sunt: *nec facilè quid mediocre, utut sit, videtur omnibus. Plures, opinor, brevitatem*

 non

non culpabunt, sed vellent sejunctam à vitiis suis, obscuritate nempe, & inconditâ ex re unâ in aliam desultatione. Obscuritatis accusatoribus quod opponam, non habeo, præter difficultatem rei, maximis etiam ingeniis agnitam. Rarissimis profectò datum, nullo perspicuitatis damno, paucis verbis multa complecti posse. Nec pictor facilè parvâ in tabulâ homines sexcentos æquè expressos & cuivis oculo obvios dederit, quàm si singulis tabulis singulos depingat. Et quis credat nuci inclusum Magni Homeri opus æquè facile legi fuisse, quàm aliquot arborum corticibus descriptum? Jam compagem scripti, si alicubi solutior videbitur, argumenti itidem ratio meritò defendet. Si Flori, aliorumque exemplo per bella tantùm vel seditiones domesticas voluissem decurrere, rem unam uno capite tradidisset, fuissetque sine salebris oratio. Nunc, quia Regum vitam, factaque omnia, certe sciri digniora, memorare decreveram, in eâdem sæpè paginâ de nuptiis & funeribus, de comitiis pugnisque agendum, trajiciendusque subinde à Vistulâ ad Tanaim, à Smolensco Cracoviam stylus fuit. Genus dicendi, quod secutus sum, non excusabo hîc multis: frustra enim fecero, qui scio, suum

cuique

cuique & esse, & placere, & prout quodque ex alienis ad suum accesserit, ita æstimari. Castitatis quidem Romanæ, quantum potuit, ratio habita est. Sicubi asperiusculum quid, aut insolens occurret, damnari non prius velim, quàm Florum, atque inprimis laudatissimum historicorum Tacitum consulueris. Qui noviter tum mihi & cum curâ lectus, sua subinde aliqua, etiam non quærenti, adspersit. Quod publicè hîc profiteor, nè me aliena pro meis venditare credas, aut procaciùs aliqua carpas, tanquam mea. Cæterùm Latinis auribus, ut tantò magis me attemperarem, placuit etiam nomina quædam Polonica nonnihil ad mollitiem Romanam deflectere. Quod quia Cromero quoque non rarò factitatum, exemplo hujus laudari, saltem excusari merebitur. Sed præter cætera lacessent hîc, nisi fallor, ungues censorios sententiæ scripto huic alicubi intextæ. Aliæ frigidiusculæ, aliæ & loco alieniore insertæ videbuntur. Nec mihi sanè omnes placent, jugulâssemque nonnullas, nisi familiares, quibus minùs displicuerant, intercessissent. Qui iidem, ut meam in aliis etiam severitatem refringerent, in antiquorum recentiorumque quibusdam, laudatis alioquin scriptis, non

 nullâ

nulla reperiri ajebant, rigidioribus judiciis minùs ſatisfactura, niſi prævalida eorum, qui ſcripſiſſent, autoritas cenſores timidos, & cenſendorum vel vitia faceret honeſta. Præterea in magnis plerorumque operibus commodior quibuscunque ſententiis vel locus, vel latebra datur: cùm potiſſimùm ſermones aliorum identidem referant, qui gemmas ejusmodi proniſſimè recipiunt, iisdemque lucis & dant, & debent non parùm. Nobis in arcto magis labor fuit, & ſi quæ ingenii imbecillitas commiſit notari digna, ea in propatulo, & ad cujusvis oculi ictum libelli exilitas exponit. Concionem vix unam alteramve inſerere permiſi mihi, nec alia, quæ cæteris contigêre, habere licuit adminicula, quibus ſe erigeret ſtylus. Quò majori jure mihi, qui laudem ex his non affecto, veniam ſaltem deberi cenſeo. Parvum tu iſtud, quantumcunque eſt, liberè licet pronuncies. Tale enim etiam Autori videtur. Nec diverſum de hoc credere te jubeat libelli frons, præclaro floridiſſimi hiſtoricorum nomine ſuperba. Nullâ enim æquandæ gloriæ ſpe, ſed ſolam ob brevitatis ſimilitudinem, quæ alios quoque ad idem faciundum induxit, titulus hic præſcriptus eſt. De fide hiſtoriæ, quam alii autores

in

in frontiſpiciis librorum præſtruere ſibi conantur, minus mihi laborandum exiſtimo: apud eos inprimis, qui me nôrunt, hominem ingenio, vitæque inſtituto, à ſtudiis partium alienisſimum: ſed &, cum religiosè aliorum, quibus fides habetur, veſtigia preſſerim, illorum autoritate, adverſus falſi ſuſpicionem tutus, opinor, ero, certè eſſe mereor. Vale.

Scrib. Anno 1641.

Lugd. Batav.

Ad eundem

LECTOREM
POSTERIOR
PRÆFATIO.

NOvam libelli iſtius editionem novum fortasſis decere videatur Prooemium. Sed pleraque, quæ olim juvenis lectorem in frontiſpicio monui, talia ſunt, ut nec, hoc ætatis, habeam, cur magnoperè velim mutata. Si timida ætas cauſam tenelli operis ſollicitè dixit, verecundiam illam nunc quoque, vergentibus annis, non improbo. Et nonnulla fortasſis jam magis

requirunt, ægriusque obtinebunt veniam, cum in illo flore juventutis, ipso musteæ ætatis beneficio pronissimam repererint. Sed mihi relegere alicubi, & augere opus juvenile, non retexere totum libuit. Et adeò impensè, supraque spem meam id hactenus placuit summæ etiam Orchestræ Viris, ut jure verear, nè mutata multum facies scripti fortunam etiam commutet. Quæ jam addita sunt, si forte prioribus non omninò paria videbuntur, eâdem, *Lector benigne*, ætatis diversitate excusata habe. Plerumq; non minùs in stylo annorum flexûs cernuntur, quàm in facie aut pilo. Nec in me primo aut solo hæc varietas apparuerit. Jam olim in summo Historicorum Cornelio Tacito observata est: cujus Historia aliud, quàm Annales, habet filum dictionis. Illic floridior, tanquam succi-plenæ ætatis; hîc succinctior senescentis stylus fuit. Ego ut omnibus aliis rebus illo Historicorum Apolline inferior, ita hâc diversus sum, quod faciliùs mihi olim fuit sermonem concidere. Nunc freno magis indiget calamus, prono impetu in copiam se laxans. Forte quod à copiosis Scriptoribus, quos subinde legere res jubet, aliqua ubertas afluit

fluit legenti: aut quia minus jam otii suppetit ad religiosam curam amputandi ea, quæ videantur abesse posse. Quicquid sit, QUINQVE REGIBUS huic editioni annexis percontari iterum libuit vadum judiciorum publicorum, antequam cætera subjiciam, quæ, quò propiùs ad ævi nostri memoriam accedunt, eò scrupulosiorem legentium curam subitura scio: eò & cautius Scriptori examinanda sunt. Porrò in pleniore Historiâ, tum scribendis, quæ pariter pleræque ad Historiam faciunt, cotidiè epistolis, alisque, quæ acervatim incumbunt, negotiis ita occupor, ut pigeat ferè in compendium redigere, quæ justo opere exequi mallem, aut si omninò ita continuandum sit hoc opusculum, quò suum habeat colophonem, ea, quæ restant, quàm brevissimè, velut Indicis tantùm formâ, his, qvæ jam accipis, adjungere cuperem, tantisper, dum tandem aliquando curatiùs pleniùsque descripta accipias omnia. Interim recentiora illa, si non perfecta penitùs & limata omnia, at affecta certè habere me non inficior. Sed ea antè non habebis, quàm hæc benignè accepta intellexero. Vale. Scrib. Gedani Non. Febr. Anno M. DC LXXIX.

IN

FLORUM POLONICUM,

Epigramma scriptum Anno 1639.

SLavica dum primis, Pastori, *ducis ab annis,*
Et Lechi cineres exuviasque tui;
EtCraci imperium, magni incunabula Regni,
Tanta sub Arctoi sidere nata poli;
Tot formidatos, Bellonæ fulmina, Reges,
Nomina tot, nostris non temeranda modis;
Externum nil Roma legit. Se spectat in illis,
Eloquiumque operis materiemque sui.
Hactenus & solos tantùm mirata Quirites,
Fassa sibi est populum se reperisse parem.
Et pariter Te, Resque stupet; dumque omnia laudat,
Omnia Romanæ sunt, ait, ista manus.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS,
Professor in Academiâ Lugduno-Batavâ.

AD

AD POLONIAM.

Cùm

Florus Polonicus Paſtorianus

iterùm ederetur.

Accipe *Sarmaticum*, Generoſa Polonia, *Florum*,
Qvem Tibi PASTORI cura ſecunda dedit.
Prima eqvidem dudum, cupido plaudente Theatro,
Lectores cepit, tota venuſta, ſuos.
Pectora mirati tantæ fortisſima Gentis;
Magnanimos Reges, egregiosqve Duces;
Scriptorisqve ſimul Genium, Calamumque: fatentur,
Omnia Romanæ protinus esſe *Manûs*.
Plaude Tuis felix, Invicta Polonia, plaude
Laudibus, & pulchrum tolle beata caput.
LECHEI Cineres, priſci Decora alta PIASTI,
Atqve JAGELLONÆ Stemmata ſancta Domûs,
Et CASIMIRORUM dignisſima Nomina Cedris,
Hac ſcribi gaudent ſe potuisſe manu.
Jure Tuis igitur grata Hunc qvoqve *Civibus* addis,
Qvem magnus decorat *Cæſar* Honore pari:
Resqve Tuas docto qvi nobilitaverat ore,
Hunc Tuus ex merito nobilitavit amor,

 O Marti

O Marti pariter, pariter carisſima Phœbo,
Judicii ſalve munere læta Tui!
Talia qvæ ſcripſit, non inferiora meretur,
Qvàm, gerere hæc olim qvæ potuere, Manûs.
Ardua qvos tollat Virtus, fecunda Virorum
Innumeros qvovis tempore Mater habes:
Inclyta victuro qvi Facta Volumine condant,
Adſpice, quàm raros Secula tota ferunt!

Scribeb. Gedani,

III. Cal. Jun. A.C. cIↃIↃc LXIV,

JOH. PETR. TITIUS,
Eloqv. & Poët. Prof.

In

In
Florum Polonicum,
Perillustris & Admodum Reverendi
DNI. JOACHIMI AB HIRTENBERG PASTORII,
Protonotarii Apostol., Canon. Chelm. Decani, Parochi & Officialis Gedanensis ac per Pomeraniam Generalis, nec non Secretarii, Historici & Commissarii Sæ. Reg. Maj. dignissimi.

I.

F*Lora* suis svaves pratis miratur honores,
Semper odorifero gramine gaudet humi,
Hortos Hesperidum, læti Viridaria Pæsti,
Laudat; sed *Florum* conspicit atq; stupet:
Qvid mihi vobiscum *Flores?* qvid lilia fertis?
En omnis *Florum* gloria vestra cadit!
Sarmaticus vincit *Florus*, victorq; triumphat,
Conjunctim *florens* omnia solus habet.
Heroes Lechiæ loqvitur doctissimus Heros,
Florentis Flori nomen & omen habet.

II.

Svaviloqvo grandis *Floro* qvid, Roma, superbis?
Desine: Sarmaticus jam tibi *Florus* adest,
Grandiloqvus, svavis, nitidus, mireque disertus,
Qvem Musæ, Charites, Pallas, Apollo beant.
Cedite Romani Scriptores, cedite Græci,
Florus enim Lechicus continet omne decus.

III.

PASTORI Aonidum decus immortale Sororum,
Jam qvintò *Florum* doctior orbis habet.
Perlege *florentem*, Generosa Polonia, *Florum*,
Flosculus haud toto pulchrior orbe datur.
Autoris nomē satis est super æthera notum,
Sidereo *Flori* defluit axe decus.
Frigida Parrhasium bacchatur Bruma per orbem,
Non metuens frigus *flosculus* iste viret.

GEORGIUS HIRSCHMANN.

THUA-

Ultra Vistulam, qui limes est Germaniæ, Orientem versus latè jacent Sarmatiæ. Europæa prima, deinde Asiatica ad Septentrionem porrectæ, quæ Tanai fluvio & Mæotide palude discriminantur. In Europæâ Poloniæ Regnum situm est, quod etiam citra Vistulam versus occasum ad Oderam seu Viadrum usque protenditur, & Pomeraniam ac Prussiam amplissimas Polonicæ ditionis beneficiarias provincias, (quanquam & easdem Imperium Germanicum sibi vindicat) Poloniam denique propriè dictam, à quâ toti Regno nomen, inter Vistulam & Oderam amplectitur. Totum igitur Regnum ab Oderâ ad Vistulam, & à Vistulâ ad Borysthenem, hodiè Nieperum dictum, à Ponto Euxino ad mare Balthicum, ab extremis Lithvanorum finibus ad Moscorum & Suecorum usque limites extenditur.

In Europææ Sarmatiæ spatio maximæ ac frequentissimæ regiones moribus ac linguâ differentes, Polonia, Prussia, Masovia, Samogitia, Livonia, Lithvania, Volhinia, Podolia in unum fortissimum Regni corpus coaluerunt. Polonia, cui â Pole *nomen, quod vocabulum planitiem & venationem sonat, eò quod plana majori ex parte provincia, & venationi-*

nationibus exercendis oportuna sit, in Majorem & Minorem dividitur, & ab occasu Oderam habet, & trans Oderam, Germaniam, omnium Europæ provinciarum maximam: à meridie Pannonias: ab ortu Lithvaniam respicit. Regio ferax, oppidis ac vicis & castellis frequens, fluviis crebris irrigua, & adhæc generosâ nobilitate abundans; quæ armorum curam ferè cum literis conjungit. Itaque & Regionum visendarum gratiâ, Nobiles ac primores Adolescentes crebrò Lares paternos deserunt, & magnam secum doctrinæ copiam, & optimarum rerum usum non mediocrem ex peregrinationibus collectum domum referunt. Slavicâ linguâ utuntur, ut & in Germaniâ Boëmi, Silesii, & Moravi à Slavis è Roxolaniâ populis profectâ, qui circa Attilæ Hunnorum Regis tempora, vacuas Vandalorum sedes occupâsse, & in interiorem Germaniam victricia arma intulisse memorantur. Ab iis, ut genus, sic lingua propagata, hodiè quàm latissimè per Septentrionem & Orientem patet: eâque ferè præter eos, quos dixi, Vindæ, Baltico mari vicinæ gentes, Pomerani, Lusatii, Roxolani, Mosci, quorum non solùm in Europâ, sed etiam in Asiâ latissimum est Imperium, Circassii etiam, Quinquemontani ad Pontum habitantes, Rascia-

ni, Mœ-

ni, Mœsii, Serviani, Bulgari, Bosnenses in Illyrico, Dalmatæ, Istri, Carniolani, ac denique Carinthii utuntur.

SABELLICUS Ennead. 8. lib. 2.

S*Lavos perhibent à Cimmerio Bosphoro, è Sarmatiâ & Russiâ bipartitò egressos. Partem unam ad dextram deflexisse Septentrionem versus, scissamque in duos populos, Bohemos & Polonos, cum hos Lechus, illos Cechus fratres ducerent. Alteram transmisso Istro, secundum Savum amnem, ad Dalmatiam usque sedes tenuisse, nihil mutato nomine. Occupârunt autem relictas à Vandalis sedes Hispaniam petentibus.*

PRIVI-

JOANNES III

DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNUS DUX LITHVANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIJOVIÆ, VOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIECHOVIÆQVE.

Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest Universis & Singulis. Cum Nobis expositum esset per certos Consiliarios Nostros, ac inprimis per Venerabilem fideliter Nobis Dilectum JOACHIMUM PASTORIUM, Protonotarium Apostolicum, Canonic. Chelm. Decanum & Officialem Gedanensem, ac per Pomeraniam Generalem, Præpos. ad S. Albertum, Secretarium & Commissarium Nostrum, Spectabilem *Simonem Beckenstein*, Civem & Bibliopolam Gedanensem, Florum

rum Polonicum quintò correctum & auctum, nec non alia opera Historica, uti & Palæstram Nobilium cum Panegyricis quibusdam & Carminibus, ab eodem Venerabili Pastorio concinnatis, propriis sumptibus, typo eleganti in lucem edere velle, vereri autem, ne posteaquàm hæc opera in lucem prodierint, æmuli Typographi, eadem recudendo in recenti, prænominatum Spectabilem Bibliopolam non solum sperato fructu, sed etiam sumptuum notabilium compensatione privent: Supplicatumque Nobis, ut ejusdem Bibliopolæ libertati & indemnitati, authoritate Nostra Regiâ providere dignaremur: Nos proindè, prout laudabili instituto supra nominati Venerabilis Decani & Officialis, ita etiam intercessioni ex parte prædicti Bibliopolæ Gedanensis factæ, benignè annuentes, eidem facultatem & libertatem cudendi seu imprimendi specificata supra Opera ac libros, ex speciali gratia Nostra, ad annorum quindecim â data præsenti computandorum decursum, concedendam & tribuendam esse duximus, prout concedimus & damus hoccè Privilegio Nostro, ita, ut intra decursum præfixorum annorum, præter dictum Spectabilem

ctabilem *Simonem Beckensteinium* & ejus hæredes legitimos, nulli Typographorum, Bibliopolarum, seu negotiationem librariam alio quovis modo in Regno, Provinciis & Civitatibus Regni Nostri & Magno Ducatu Lithvaniæ exercentium, licitum sit, nominatos libros recudere, recusosve vendere, tam in toto quàm in parte, sub amissione exemplarium omnium & pœna ducentorum Hungaricalium aureorum, Fisco Nostro & accusanti parti per medium applicanda. Quod ad notitiam omnium, quorum interest, præsertim vero Officiorum ac Magistratuum Nostrorum quorumvis, in Civitatibus Regni Nostri & Magno Ducatu Lithvaniæ, majoribus & minoribus omnibus existentium, deducentes, mandamus, ut sæpè nominatum Spectabilem Bibliopolam Gedanensem, circa expressam speciali hoccè Privilegio libertatem, ad expirium præfixorum annorum conservent, in invectione & venditione prænominatorum librorum in Dominiis Nostris ac Civitatibus quibuscunq; non impediant, nec à quibusvis Typographis, aut Bibliopolis impediri eundem, vel Successores illius permittant, pro gratia & sub pœnis in Con-
vulsores

vulſores Privilegiorum Noſtrorum Regni Legibus ſancitis. In cujus rei fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni communiri juſſimus. Datum Javoroviæ die 26. Menſis Septembris Anno Domini M. DC. LXXVIII. Regni Noſtri Anno Quinto.

JOANNES REX.

(L.S.)

JOACHIMI AB HIRTENBERG PASTORI

FLORI POLONICI

LIBER I.

CAP. I.

DE LECHO.

ANNO CHRISTI IↃL.

Lechus primus Princeps. Quis status tum Principum. mores Polonæ gentis. Gnesna condita. gentium Septentrionalium migrationes.

PRIMUS Reipublicæ conditor ac Princeps Lechus extitisse perhibetur. Quem alii indigenam, alii ex ultimis Russiæ recessibus, alii ex Illyrico advenam fuisse tradunt. Sup-

petunt argumenta, quibus colligere licuerit, ipſum unà cum Czecho in Illyricum primò, ubi Croatia, progreſſum ex veteri Lazorum Sarmatarum regione, cui Zechos olim, quà Circaſſi hodie degunt, vicinos fuiſſe vel ex Procopii & Agathiæ monumentis conſtat. Cæterùm uti Patria Lechi ambigua, ſic virtus non alio certiore documento innotuit, quàm quod ductũ ejus ſequi, audireq; imperium invaſor novæ terræ Populus voluit. Erat tum ſine lege Principis poteſtas, niſi quam ei vel natura poneret, vel genius populi, ſuperba imperia facillime aſpernantis. Nec propriis ex agris ille, ſed annuo ſuſtentabatur proventu ſubditorum, ſecuriùs quoque ſic parentium Principi, qui ſine ipſis vivere non poſſet. Nummus etiam hactenus in Poloniâ incognitus erat. Oppida rara. Lechus quæ reperit, munivit, & ad nova ſtruenda animum adjecit. Prima operum ejus Gneſna hodieque extat, regia quondam Principis, nunc primi Antiſtitis ſedes. Quam moliendi animum vel dedit vel auxit nidus regnatricis avium Aquilæ, felix naſcentis Jmperii omen. A nido nomen adepta civitas eſt;
avis

ævis insigne regni mansit. Bella quin aliqua gesserit Lechus, extra dubium est, aut certè perquàm felicem fuisse oportuit, cui novæ terræ occupatio nullo sanguine constiterit. Magnam ejus partem eo tempore â Bulanis, Venedis, aliisq;, quorum Ptolomæus meminit, habitatam, partem quoq; desolatam penè offendisse verisimile est. Incidit enim Lechi ætas in ea tempora, quibus Gothi, Alani, Vandali, Hunni, Italiam, Galliam, Hispaniam, & Africam, inundaverunt; eunte tum Româ in præceps, danteque exitio suo variis Imperiis initia nascendi.

CAP II.

DE PALATINIS XII.

Aristocratia instituta similis Decemvir: Rom. Leges tum conditæ, non scriptæ. Palatinorum ambitio & discordiæ. Finitimorum machinationes.

NOndum formam constantem, aut certum veluti vultum duxerat Polonorum Respublica. Facilis mutationi fuit, cum vel Lechus nullam sobolem, aut

non capacem ſceptri reliquiſſet, vel populus libertatis pertinax, uni in omnes dare nollet imperium. Viſum ergo eſt duodecim primarios viros deligere, munia Reipublicæ communi conſilio exequuturos: qui cum vernaculo nomine *Wojevodæ*, id eſt belli duces dicti, hodie Latinè loquentibus Palatini vocantur. Ac hic magiſtratus & numero, & factis & fine deniq; haud multum abſimilis Decemviratui Romanorum eſt. Nam utrorumque & brevis poteſtas, & laudabilius initium, quàm finis fuit. Præterea, ut illi Romanam, ita Polonam Rempubl. iſti, legibus certis devinxerunt. Quæ tum rudi adhuc ſeculo ſimplices fuerunt, & quia literarum cultura aberat, non tabulis, ſed mentibus inſcriptæ, ſolis in moribus obſervantium legebantur. Plurimum his inſtitutis ornaverant Rem-publicam Palatini; ſed hanc iidem mox graviſſimè afflixêre. Correpti enim ambitione, diſcordes agere ac raptare inter ſe Imperium cœperunt. Quod idem ſic domi ægrum non omiſerunt mox infeſtare finitimæ gentes, jam pridem, ut fit, ſurgentem in viciniâ novam potentiam malè ferentes.

CAP.

CAP. III.

DE CRACO.

AD ANN. CHRISTI. IↃCC.

Cracus invitus ſuſcipit Principatum, ſuſceptum pacat. Cracoviam condit. Draconem tollit. Sepulchrum illius.

LAborante ita externis civilibuſque bellis Poloniâ, publicæ rei intererat, ab uno rurſus omnia regi. Aptiſſimus ad id Cracus videbatur, vir opulentus, Viſtulæ fluminis accola. Sed is ægrè perſuaderi potuit, ut ſuſciperet onus, quod per ſe arduum mala tum publica aggravaverant. Vicit tamē recuſantis modeſtiam pertinacia deferentium. Ille turbatum imperium pacare aggreſſus, hoſtes partim fœderibus, partim vi mitigavit. Domi ambitionem, & ſi quæ alia ſupererant, diſcordiarum civilium ſemina ſuſtulit, ac ut porro compoſitiùs cuncta agerentur, paſſim per provinciam diſceptatores privatarum litium conſtituit. Inde novam ad Viſtulæ ripam excitat urbem, quam de ſuo dictam nomine Cracoviam, relictâ Gneſnâ, regni caput dedi-

cat. Arcem imponit ſcopuloſo monti Vavelo, qui hinc Viſtulæ præterfluenti, inde ſubjectæ urbi imminet. Ad ejus radices ſuſpenſum rupibus antrum hodieq; conſpicitur, quod Draco immane monſtrum, & magna circumjectorum locorum calamitas, dicitur habitaſſe. Quem Cracus objectâ corporum pice ac ſulphure effertorum eſcâ confecit. Moriens in Laſſotino monte ultra Viſtulam è conſpectu Civitatis ſito, ſepeliri voluit, ſublato in collis ſpeciem tumulo, qui hodie etiamnum extans, urbi nobiliſſimæ memoriam conditoris ſui renovat conſervatque.

CAP. IV.
DE LECHO II.

Parricidium Lechi. ejusdemque pœna exilium.

CRacus duos filios reliquerat. Quorum minor natu Lechus imperium, quod Craco fratri, jure ætatis, primò debebatur, rapere maluit, quàm expectare. Valuitque in tantum ambitio, ut regnandi causâ

causâ nec parricidii ſcelus admittere dubitaret. Eductum enim in ſylvas, ſpecie venandi, fratrem obtruncavit. Mox ut à ſe ſuſpicionem cædis amoliretur, eundem quaſi caſu vel fato mortuum, multo luctu & accuratiſſimo exequiarum honore perſequutus eſt. Sed nempe vindex ſcelerum Deus non permittit diu latere flagitia, aut fructu eorum gaudere authores. Enotuit Lechi facinus, ac miſſus in exilium eſt parricida. Sat grande ſupplicium ferre videbatur, ſi eo careret, ob quod parricidii reus eſſe non timuiſſet.

CAP. V.
DE VENDA VIRGINE.
AD ANN. CHRISTI IↃCCL.

Venda Princeps electa. matrimonium reſpuit. Ritigeri proci conatus & mors. Venda victrix ſe Diis Manibus devovet.

EX ſobole Craci Venda ſupererat, ingens animi virgo & ſupra ſexum ſuum prudens. Inde poſt infauſtos fratrum casûs digna Polonis viſa eſt, cui ſceptrum paternum daretur. Et hac veluti dote

deſtinabatur conjugio, per quod Poloni principem, & ex eo prolem acciperent, ne porrò ſucceſſor in dubio foret. Sed Venda princeps eſſe maluit, quàm principis uxor. Ambiebat eam Ritigerus è vicinâ Germaniâ Princeps, & ſpretus à pulcherrima virgine, conjugium, quod precibus impetrare non poterat, manu capere decrevit. Progreſſus ad fines Polonorum cum exercitu, hoſtilia minabatur, ſic tamen, ut in hoſte amantis animus emicaret. Proceſſit obviam cum expeditis ſuorum copiis Virgo, omnia mutua oſtentans, præter amorem. Dum legationibus morantur bellum, pudor inceſſit Ritigeri comitibus pugnare contra caſtiſſimam Virginem pro Principis ſui libidine. Ergo abitum moliuntur. Dux ipſe amore Virginis, ſimul irriti conatûs pudore vecors, infelicem ſibi manum infert. Venda triumphans Cracoviam ingreditur, nec contenta victimas alias obtuliſſe, ſe ipſam Diis Manibus devotam in Viſtulam præcipitat, nobili contemptu vitæ, ſi tam digniori cauſſæ impenſa eſſet, quàm cæco impetu erroreque ſuperſtitioſo videtur projecta.

CAP. VI.
DE XII. PALATINIS, & PREMISLO ſeu LESCO I.

Palatini iterum regnant. Premiſli fabrica ejusdem electio in Principem.

VEndæ caſtitas Polonis glorioſior, quàm utilior fuit. Tota enim cum illa ſtirps regnatrix, de quâ ſola jam ſupererat, intercidit: revolutaq; eſt Imperii moles in Palatinos. Sed favit Fortuna Polonis, ut cognitus recenti periculo Magiſtratus, antequam tempore corrumperetur, deſineret. Infeſtabant tum Poloniam Pannones & Moravi, diu impunè, donec à Premislo aurifabro, inuſitatâ rudi illi ſeculo arte, multarentur. Fabrefactas ex corticibus arborum, & felle vel lithargyro illitas galeas ad oram ſylvæ, in arbuſtis truncisq;, caſtra hoſtium contrà, clam noctu ſuſpenderat. Sole oriente ſplendor galearum, exercitûs ſpecie, oculis eminus ſpectantium illudens, excivit quosdam hoſtium, qui prioribus ſucceſſibus feroces, tanquam ad expoſitam prædam accurrêrunt. Venientes cùm ga-

leas non reperissent (eas enim Poloni interim removerant) fugâ elapsum credunt hostem & ad persequendum se parant. Sequutos in interiora sylvæ derepente ex insidiis circumveniunt Poloni, cæduntque: mox armis eorum indutis, castra quoque hostium invadunt. Machinatorem tam felicis doli Premislum admirati Poloni, Principem fecêre. Regere debere visus est Rempublicam, quam servaverat.

CAP. VII.
DE LESCO II.
AB ANNO IↃCCLX. AD ANNUM IↃCCCIV.

Certamen equestre de Principatu. Dolus Lesci. infelix autori. alterius Lesci electio. & mores.

SEd Premislus seu Lescus iste orbus decessit. Inde nova de Principatu contentio orta est. In quâ cum cætera discordarent, eò consensêre voces omnium, ut fortunæ permitteretur electio. Selecti equis versicoloribus procurreretur ad metam, qui primus pervenisset, Princeps foret.

foret. Sed repertus eſt ex competitoribus, qui fortunæ arbitrio dolum interponeret. Is campi, in quo certandum erat, arenas tribulis ferreis clam noctu impedit, relicto ſibi tramite integro, equoque etiam in caſum ſoleis ferreis munito. Effuſis in curſum omnibus lapſantes cæteri vel tardati, facilè victoriam impoſtori reliquêre. Jamque adſtrepi cœptum erat ut victori, ut Principi, cum paulò poſt fraudis compertus, pro principatu ſupplicium ſubiit. Fortè autem cum cæteri equites decurrerent, vir quidam tenuiſſimæ ſortis idem ſtadium pedes, non ſine riſu aſtantium, ingreſſus fuerat, metamq; etiam poſt ipſum doli ſtructorem tetigerat primus, quòd ſcilicet, antequam alii adeſſent, cum ſodale, ludicro curſu, certamini velut præludens, quà currendum eſſet, non ſine pedum vulnere didiciſſet. Illum poſtea fato ſibi oſtenſum rati Poloni, quanquam pauperem, & nec unius equi Dominum, principatu donarunt. Quem ille, dubites majorene felicitate acceperit, an induſtriâ adminiſtrarit. Stimulabat animum ipſa ignobilitas, ut quod ſtirpi deerat, virtute ſuppleret. A-

nimum fortem in hostes, in suos beneficum ostendit, habitum verò privati & modestiam mutatâ etiam fortunâ retinuit, ac ne exueret, pannos, quibus ante Principatum usus erat, subinde contemplabatur, sobriæ insuper vitæ inprimis studiosus, ebrietatisque osor acerrimus. Quasi sciret, magnis honoribus tentare fortunam mortalium mores, cautè egit, ne impar inveniretur.

CAP. VIII.

DE LESCO III.

AB ANNO IↃCCCIV. AD ANNUM IↃCCCX.

Lesci bella cum finitimis. pax cum Carolo magno. filiis ejus Provinciæ distributæ.

GLoriosam Lesci vitam similis mors sequuta est. Fertur enim in prælio conrra Carolum Magnum, cognatis Slavorum gentibus, Hunnisque opem ferens, occubuisse. Sed mox in successore filio virtus mortui patris resplenduit. Aspernatæ novitatem ejus finitimæ gentes assiduis bellis exercebant arma fortissimi juvenis, incitabantque ostendere, parùm inter-

intereſſe virtutis, quos numeret majores. Atque iſtos quidem hoſtes feliciſſimè ultus eſt, provinciis etiam quibuſdam patrio regno adjectis. Cum Carolo M. miſſis muneribus pacem pepigit. Satis ſpecioſum fuit Leſco, à magno illo Occidentis domitore non victum eſſe. Filios habuit complures, quorū unus Popielus in ſpem regni educatus: reliquis Marchia, Pomerania, Caſſubia iisque confines Provinciæ diſtributæ ſunt, hoc autoramento, ut Popielo hæreditatem ſuam integram relinquerent. Felix obiiſſet Leſcus, ſi tam bonum hunc genuiſſet, quam bonus genuerat.

CAP. IX.

DE POPIELO MAJORE.

AB ANNO IↃCCCX. AD ANN. IↃCCCXV.

Popielus degener, mutat ſedem regiam, citò moritur.

POpielus nihil à Patre præter Principatûs fortunam, accipit. Animus diſſimillimus erat, ignavus, & ultra abdominis curas vix aſſurgens. Nec patria ſedes Cra-

Cracovia diu placuit degeneri. Situs urbis montibus cinctæ & Russorum Pannonumque assultibus opportunæ, persuasit homini, ut campestria Poloniæ planaque habitare mallet. Et quò simul fratribus propior esset, Pomeraniæ dominis, Crusphicia delecta est, Cujaviæ, ut hodiè dicitur, oppidum. Sed frustra vitæ vel securitatem, vel voluptatem hâc mutatione sedis quæsivit. Aliquanto enim post repentino fato abreptus est, non bonus sine dubio princeps, nisi pejor filius patrem omnibus desiderabilem fecisset.

CAP. X.
DE POPIELO JUNIORE.
AB ANNO IↃCCCXV.
AD AN. IↃCCCXXX.

Popielus deterior Patre. deformis. uxor ejus pessima, ipsi imperans. patruos veneno necant. à muribus devorantur.

POpieli filii adolescentia aliquandiu Patruorum Procerumque consiliis cohibita est. Mox non tutorum tantùm, sed omnia honestatis fræna excussit. Juvenis in fœdas voluptates totus profluens, regere

ens, regere ab ingenio ineptus, & ex dominandi fortunâ nonnisi licentiam usurpans. Juncta erat animi ignaviæ corporis deformitas, raro in capite, & facie pilo perabsurda. Inde irrisum voculasque subditorum incurrit, ut vulgari convicio *Chłóstek* appellaretur. Spes adhuc tamen corrigendi juvenis in matrimonio supererat. Verùm & hæc fefellit. Ducta enim è vicinâ Germaniâ uxor ad Principis solutissimos mores propria insuper vitia, avaritiam & crudelitatem attulit. Postremo quoque fœmina impotens vecordiam Popieli ita subegit, ut hic inania nominis, ipsa vim teneret imperii. Nec satis illi erat vivo marito imperare, nisi imposterùm etiam sibi & filiis, quos duos ex Popielo pepererat, regnum firmaret. Diffidebat autem favori Polonorum, præsentem dominationem abominantium: sed inprimis Patruorum mariti gratiam in vulgus atq; autoritatem suspectabat. Hos dum amoliri laborat, erupit in scelus, in quo fides annalium laboret, nisi tot seculorum consensu niteretur. Persuadet mulier nefanda marito, ut modesto æmulorum metu se suosq; liberos exsoluturus,

dolo,

dolo, quem commenta erat, operã commodaret. Ille, jubente ita uxore, morbum ſimulat, patruisq; advocatis, quaſi morti proximus conjugẽ ac liberos commendat, Ipsâ interim, ut fidem morbi periculoſi faceret, nulla non adhibente doloris imitamenta. Flexo in veſperam die, Popielus manum, quaſi teſſeram affectûs ſui ultimam, ſeceſſuris porrigit, & ſimul infelix poculum, quo paratum à muliere venenum continebatur. Illi conceptâ intra viſcera morte abeunt, mox acti in rabiem, poſt ingentia tormenta exanimantur. Clamat mulier divinâ aliquâ vi tactos eſſe, ac recidiſſe in autores inſidias, quas Marito ſuo ſtruxiſſent. Mox corpora abjici jubet, odio quaſi ipſo & ſævitiâ in nocentes innocentium ſuam probatura. Et fefellerat fermè homines, ſed minimè Deum, qui, ſi fides annalibus veterum, prodigioſo planè & inaudito ſupplicii genere eos, qui patraverant, reos peregit. Nati quippe è cadaveribus projectorum mures, portentoſæ molis, invadunt impium parricidam, uxorem & liberos. Non aqua, non flamma, non clauſtrorum latebræ, non auxilia mini-
ſtrorum

ſtrorum arcere hos vindictæ Divinæ ſatellites potuêre. Ita tandem liberi Principis Lechus & Popielus, mox conjux, poſtremo ipſe pabulum murium facti, documentum dedêre poſteris, non poſſe à mortalibus tam horrenda committi flagitia, quin horribiliores pœnas iratum Numen inveniat.

CAP. XI.

DE PIASTO.

AB ANNO IↃCCCXXX. AD ANN. IↃCCCXL.

Comitia ſine effectu. turbæ in Polonia. Piaſtus paſcit miraculosè plurimos. princeps creatur. bene diuque imperat.

CAlamitates Poloniæ ſub Popielo toleratas auxêre poſt ejuſdem exitium, orta de ſucceſſore diſſidia. Indicta Cruſviciæ comitia ſine effectu diffluunt. Et poſcentes regnum filii Patruorũ, quos Popielus ſuſtulerat, adverſos habebant Polonos. Interim omnia rapinis & latrociniis infeſta erant, & mox per interna mala machinationibus finitimorum, nudum Reip. latus objectabatur. Coacti

iterum

iterum Proceres, cum diu ſe variis contentionibus fatigaſſent, tandem eum eligunt Principem, quem nemo unquam ſperaverat. Is erat Piaſtus, Cruſviciæ oppidanus, modici agelli dominus, ſed inter fortunæ anguſtias, vitæ innocens, & inprimis erga egentes promptus. Hunc narrant ſcriptorcs extremis Comitiis, cũ magnâ annonæ caritate laboraretur, refeciſſe omnem eorum, qui ad comitia convenerant, multitudinem · nihil minuentibus inter tot avidas fruentium manus dapibus . eâdemque penûs fœcunditate olim ab eo exceptum Principem cum univerſo aulicorum comitatu. Quo prodigio attonitos Polonos Piaſtum nequicquam reluctantem ſalutaſſe principem. An à credulâ antiquitate hæc falſo in miraculum corrupta ſint, non habeo dicere : certe non ſine fato potitum eſſe Principatu Piaſtum, principatus ipſe oſtendit, geſtus ab illo feliciſſime, & ad ſeram poſteritatem, ordine non interrupto deductus. Quos enim poſt illum Duces vel Reges Polonorum ad Ludovicum Ungarũ numeramus, illius ſoboles ſunt, & ad eundem nuper extincti Duces Lignicenſes

ac

ac Bregenses, generis sui primordia referebant. Incursiones hostiū ad initia statim ejus acquieverunt. Latrocinia, dissidiaq; interna, autoritate magis, quàm severitate Piasti compressa sunt: comitante eum divini favoris opinione, quâ nullum instrumentum ad regendam multitudinem potentius Principes habent. Crusviciam, scelere humano, divinæque ultionis piaculo infamem locum, Gnesnâ mutavit, vetustissimâ Principum sede. Hic obiit annum agens vicesimum supra centesimum, ætate sanè principibus viris inusitatâ. Sed hic quondam Agricola, frugalitatem prioris fortunæ etiam postea servaverat, gulæ & libidinum abstinens, per quas plerique vitam præcipitant.

CAP. XII.

DE ZIEMOVITO I.

AB ANNO IↃCCCLXI. AD ANN. IↃCCCXCII.

Ziemovitus à Patre consors imperii adsumitur. disciplinam militarem condit. bella ejus cum Ungaris. Germanis. Pomeranis.

Piasto

PIasto Repicha, digna marito conjux, dignum Patre filium Ziemovitum pepererat. Qui à Patre grandævo in consortium curarum jampridem assumptus, illo mortuo, magnis omnium studiis summum regimen accepit. Vir erectæ indolis, inediæ, vigiliæ, algoris patientissimus; penitusque ad rem militarem compositus. Quanquam nec in pace obsolevit, munificus in largiendo, in pœnis lenitati propior. Simulac Patri successerat, gentis suæ fortitudinem ratione temperaturus, disciplinam militaré condidit, creato militiæ magistro, & ordinum ductoribus. Paulò post in Ungaros & Moravos, tandem & Germanos movit, repetiturus provincias, quas illi Popieli nuper ignaviâ & interregni tumultibus usi, Polonis eripuerant. Atque hi tum, Ludovico Balbo imperante, discordiis internis attinebantur. Quò facilius Ziemovitus non sua tantùm recuperavit, sed latius subinde evagante belli contagione, vicina aliquot loca traxit. Pari felicitate, quæ Prussi occupaverant, recepit. Inde in Pomeranorum, Cassubiorumq; duces vertit, priscum Polonorum

ex

ex Leſco III. ſanguinem. Sed hîc aliquantùm victoriarum ejus curſus ſubſtitit, recuſante velut fortunâ adeſſe cognatos ſuos oppugnanti. Hi ergo locorum inprimis præſidiis tuti, diu bellum ſuſtinuêrunt, fagitatiſque etiam tandem, Ziemoviti poſt inſequuta mors, ac ſucceſſoris filii impar ætas, reſpirandi copiam dedit.

Cap. XIII.
DE LESCO IV.
Ab Anno IↃCCCXCII. Ad An. IↃCCCCXIII.

Leſci impuber ætas. Curatores. pacis ſtudium.

MOriens Ziemovitus, cum XXXII. regnaſſet annos, filium impuberem Leſcum reliquit, qui grati in parentis merita Poloni principatnm deferunt, datis puero rectoribus, qui Reipublicæ interim negotia tractarent. Hi ſeu incuriâ, ſeu contemptu gloriæ ſub alienis auſpiciis merendæ, neglexêre cœpto à patre Leſci contra Pomeranos bello inſiſtere. Leſco poſtea adulto occaſio effluxerat. Et erat mitis

mitis ingenio Princeps, quique pacem quàm bellum mallet, patrium tueri principatum contentus. Ne lenitatem hanc ignaviam interpretemur, pacis artibus effecit, in quibus & ipsis habent, ubi se exerant bona ingenia.

CAP. XIV.
DE ZIEMOMISLO.
AB ANNO IϽCCCCXIII.
AD ANN. IϽCCCCLXIV.

Hic quoque pacis amans. sero filium & cæcum suscipit. cui restituta prodigiosè lux majorem Poloniæ lucem portendit.

QUasi Polonorum animos Christianæ mansuetudini sensim temperare vellet fatum; pacis amanti Lesco similis filius Ziemomislus successit. Quippe & hic leni silentio vitam transegit, nullâ re nobilior, quàm filio. Quem sero partu mater ediderat, & quasi ne sic quidem satis elaborasset natura, cæcum. Dubitabat penè pater talemne prolem orbitati præverteret, nescius, quantâ per eam Polonia beanda esset felicitate. Attigerat annum

annum ſeptimũ puer, uſitatum tum gentili ritu tondendæ comæ, & nominis imponendi tempus. Inſtruit Pater convivium, cui præcipui ex proceribus intererant, omnes ambiguo inter gaudium triſtitiamque vultu, ſed mox durantibus adhuc epulis donata puero repente oculorũ lux novâ lætitiâ omnes perfudit. Novo illicò apparatu adornatur epulum: inditurque puero Miecislai nomen, quod nutricum poſtea blanditiæ in Mieſconem detorsêre. Interrogati ſuper hâc re Arioli, reſponderunt, lumen Poloniæ portendi. Quod augurium ſecuta Chriſti religio aſſeruit, ſed ut ſimul aliis omnibus auguribus ſilentium imperaret.

CAP. XV.
DE MIECISLAO I. PRINCIPE CHRISTIANO. AB ANNO IↃCCCCLXIV. AD AN. IↃCCCCXCIX.

Mieciſlao plures uxores. nulla proles. Chriſtianam uxorem accipit. ſimul & fidem. Bella ejus pauca & infelicia.

Miecislai

Miecislai initia non illaudata equidē penitùs, infra tamen expectationem ſtetêre ſuorum, quos tam inſoliti eventûs augurumque vaticinia in ſpes non mediocres erexerant. Immodicus libidinum, & ignavæ penè quietis juvenis, ſeptem ſimul habebat uxores, tamen ſine prole agebat. Ea occaſio primum religioni Chriſtianæ aditum in Poloniam aperuit. Sparſi enim tum fortè per regnum ex vicinis ditionibus Chriſtiani, Principi arrepſerunt, prolem & felices ſucceſſus pollicentes, ſi ſacra hactenus uſurpata melioribus mutaret. Haud mora. Illectus ille tantarum rerum ſpe, an potius à numine tactus, uxores barbaras repudiat, & Boleslai Bohemorum Ducis filiam jam Chriſtianam ducit, nomine Dąmbrawcam. Eam ad Polonos euntem comitatus eſt nobilis Bohemus, nomine Perſtinius, primariæ in Poloniâ familiæ Leſciniorum autor. Ejus filius Bozuta principem poſtea in eo Regno pontificatum Gneſnenſem rexit. Frater Bozutæ filios & nepotes habuit, quorum alii pariter infulis, alii aliis Dignitatibus effloruêre. Sed antequam Miecislaus cum Sponsâ ſuâ in

manum

manum conveniret, publicè ſponſus ſacrâ lymphâ Chriſtianiſmo initiatur. Mox officii ſui ducens acceptam purioris religionis facem ſubditis etiam ſuis præferre, Archiepiſcopos duos Gneſnenſem & Cracovienſem: Epiſcopos hinc inde aliquot, paſſim verò ſacerdotes, templis conditis, inſtituit. Juvit pios hos conatus Johannes XIII. eo vocabulo Pontifex: à quo miſſus Ægidius Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus, conquiſitis ex Italiâ, Galliâ & Germaniâ ſacerdotibus omnia ad Romanæ Eccleſiæ ritum ac leges compoſuit. Interim naſcitur Miecislao filius, cui Pater Avi materni, Boleslai nomen imponit, & adulto deinde, Ungarorum principis Geiſæ filiam Juditham jungit: cum priùs Geiſæ, mortuâ Judithæ matre, ſororem ſuam Adleidam locaſſet, cujus curâ prima quoque per Ungariam Evangelii vox inſonuit. Bella Miecislaus vix ulla geſſit, quaſi ſatis gloriæ haberet, qui tot monſtra ſuperſtitionum debellaſſet. Cum Ulodimiro Ruſſorum duce parùm feliciter congreſſus, Premiſliam, Cervenum, aliaque aliquot oppida amiſit. Miſerat porro Miecislaus Ro-

mam Lambertum Antistitem Cracoviensem, ut à Pontifice pro Poloniæ Principibus Regii nominis decus atq; insigne impetraret. Sed nondum tum postulato huic annuere Pontifex voluit, desiderans nescio quid in Polonis. Amorem certè susceptæ religionis non potuit, qui vel splendentibus illis gladiis, quos sub Evangelici, ut vocant, textûs prælectionem stringere consuevêre, satis effulsit.

FLORI POLONICI LIBER II.

CAP. I.
DE BOLESLAO CHROBRI.
AB ANNO IↃCCCCXCIX. AD ANN. CIↃXXV.

Boleslaus ab Othone III. Imperatore Regium nomen accipit. Bellum in Bohemos. in Russos. in Germaniam. iterum in Russos. pacis artes.

SUscepta à Polonis Christiana Religio magnis mox præmiis remunerata est suscipientium fervorem. Ne alia jam memorem, principes eorum ad Regiam dignitatem evexit. Quæ res ut gesta sit, pretium videtur altiùs repetere. Clarebat tum apud Bohemos Woiciechus, seu, ut ab externis vocatur, Adalbertus, Pragensis præsul, vir qui vitæ sanctitate supra seculi sui mores se extulerat. Hic cùm lentiores ad Christianæ Religionis obsequium Bohemos experiretur, ad Ungaros profectus, ut sur-

gentem ibidem divini cultûs lucem foveret, inde tandem ad Polonos venit, ubi cum aliquandiu munere Archiepiſcopali functus eſſet, propagandæ religionis ergò adPolonos abiit. Adeò neſcit in talibus viris quieſcere divini amoris flamma, pluribusq; ut luceat, Solis inſtar ſe perpetuò circumagit. Sed Adalberti noviſſimum hoc curriculum fuit, præclarum inprimis glorioſâ martyrii coronide. Hanc enim dum gentem Chriſtianâ imbuere pietate nititur, barbara immanitate confoſſus periit. Ejus poſtea corpus Boleslaus Poloniæ princeps Miecislai filius auro contrà appenſum à barbaris redemit. Quod Gneſnæ conditum, & miraculorum famâ nobile, plurimos exterorum in ſui cultum ipſumque etiam Imperatorem Germanorum Ottonem III. excivit. Hic verò in Poloniâ quæſitiſſimis honoribus cultus, ut gratum ſe oſtenderet, diadema Regium Boleslao impoſuit, remittens inſuper, quicquid unquam juris in Polonos prætendiſſent Imperatores. Adjunxit & affinitatis vinculum, deſponſata Boleslai filia Miecislao tum adhuc impuberi Rixâ, quam Ehrenfrido

Rheni

Rheni Palatino ſoror Othonis pepererat. Magnas, ut apparet, in Boleslao virtutes deprehendit Imperator, quas tantis benevolentiæ pignoribus coluit.

II. Sed idem, ut ante ſemper egregius, ſic Rex factus dignos fortunâ geſſit animos. Primum ejus impetum Bohemi ſenſêre, qui fines Polonorum deprædati, primæ tamen vindictam culpæ pace oblatâ effugerant, ut repetitâ injuriâ acriorem mox experirentur. Boleslaus enim ſecundùm jam irritatus, Bohemiam cum exercitu ingreditur, & oppidorum aliis impetu correptis, aliis expugnatis, Moraviam inſuper ſibi tributariam facit. Ducem ipſum excæcat, ut ad novas machinationes redderet ineptum. Inde reverſus cum victore exercitu, in Ruſſos movet, recuperaturus Patri Miecislao erepta, & Stopolci miſeratus, qui à fratre Jaroslao ditione exutus ad Polonos confugerat. Diu multumque Ruſſiæ aperta populatus, occurrentem denique ad Bugum flumen Jaroslaum fundit, Kioviamque florentiſſimam tum urbem, occupatam Stopolco reſtituit. Abeuntem jam, tanquam re confectâ, Regem vertit iterum in ſe Jaros-

laus, opprimere ſperans itineri magis quàm prælio accinctos. Sed victus denuò ægrè ipſe fugâ ſalutem reperit; exercitus ejus magnam partem cæſus eſt.

III. His actis, ne otio torpeſceret ſuorum virtus, ſed exercitio perpetuo velut cote acueretur, Saxones Boleslaus aggreditur Leſci III., nepotibus, Pomeraniæ Dominis, infeſtos graveſque. Sed hi ſubitâ belli procellâ perculſi, fugam magis quàm arma circumſpexêre. Unde terram eorum impunè ingreſſus hoſtis latè omnia ferro flammiſque vaſtat, progreſſusq; ad Salam usque, toto itinere victorem ſe oſtendit, poſitis in ipſo flumine columnis, quæ Polonicæ virtutis Germanos admonerent. Rediens inde Prutenos corripit, Adalberti interfectores, qui bello impares pacem ſupplices petiêrunt. Igitur tributum ipſis imponitur, mittunturque, à quibus fidem Chriſtianam diſcerent. Sed hi nihil tum usque profecêre, hactenus domitis barbaris, ut meliora docentes ferre, nondum, ut ſequi vellent. Intento his Boleslao, reſumpſerat interim animos viresque Jaroslaus, audetq; invadere Polonos. Rex procedit obviam, vene-

ratque

ratque in conſpectum uterque exercitus apud Bugum flumen. Hîc lixæ dum fortè equos adaquant, prælio præludunt, quod increſcente mox, ad famam tumultûs, utrinq; militum numero, acerrimum commiſſum eſt. Profligatis ibi victisq; Ruſſis, itidem, ut Prutenis nuper, tributum imperatur.

IV. Bellicas Boleslai laudes minimè pacis tempora detrivêre. Jam primũ quia adjutoribus opus eſt Principi, partem curarum capeſſituris, duodecim è Proceribus Poloniæ conſiliarios ſibi adſcivit, viros annis & ſapientiâ graves. Magna præterea ei ſacrorum cura, magna juſtitiæ erat. Pauperes, ſi periculum eſſet, ne per lites in longum prolatas, vel advocatorum penuriâ, potentioribus obnoxii fierent, opibus ſuis juvabat. Arces, præfecturas & regni etiam longinqua ſedulus obibat. Audita ejus vox: Reip- negotiis invigilantem gallinâ ſe veſci, quàm deliciis omnibus circumfluum cujusdam ex ſuis adverſa incuriâ transmittere malle. Hiſce moribus meruit Boleslaus, ut qui partæ Polonis Regiæ dignitatis autor fuerat, ejusdem benè adminiſtratæ abſolutum æternumq; habeatur exemplar.

CAP. II.

DE MIECISLAO II. REGE.

[AB ANNO cIↄ XXV. AD AN. cIↄ XXXIV.

Hic Patri dissimilis. Tributa Bohemorum & Moraviam amittit. Pomeranos vincit. postea deterior in dies.

BOleslao mortuo in filium ejus Miecislaum regnum devolutum est, segni indole virum, imparemque tuendis, quæ pater acquisierat. Primus ejus ac potissimus labor fuit, quo Russos compescuit, audita Boleslai morte rebellantes. Sed hoc quicquid erat gloriæ à Bohemis mox destructum est. Qui excussis tributis Polonorum, Moraviam insuper Polonis tum parentem sibi asseruêre. Eam post quidem ingressus est Miecislaus, sed quasi in id tantum, ut illam jam non suam esse palam faceret. Adeò immaniter ea, quæ patebant, vastavit, & mox nulla seriò oppugnatâ urbe militem reduxit. Felicius paulò post cum Pomeranis pugnatum est, Belæ imprimis virtute, stirpe Regiâ, Ungari. Quem proinde generum

Rex

Rex assumpsit, datâ ei in dotem Pomeraniâ, cujus dux in prælio occiderat, & si provixisset, provinciâ tamen privari rebellando meruerat. Post hæc Miecislaus ad solita voluptatum malumque otium reversus, nihil dignum viro agitavit. Extremò denique amentiâ correptus, nec jam suo, sed uxoris, impotentis fœminæ, ingenio utens, odia & contemptũ omnium incurrit. Planè in hoc quoque post tot omnium seculorum exempla fides facta est: Naturam postquam magnos viros produxit, veluti lassam in posteris deficere.

CAP. III.

DE CASIMIRO I.

AB ANNO cIↃXXXIV. AD ANN. cIↃXLI.

Rixa regni administratrix aufugit. Casimirus Monachus factus. revocatur. Masovios & Prussos domat.

MOriens Miecislaus unicum reliquit filium Casimirum, sub cujus ortum Polonia magno terræ motu inhorruit. Quod rarum illi terræ, mira fortunæ lu-

dibria nascenti, Polonis ingentia mala portendisse, postea explicantibus se fatis eventus ostendit. Decedente Patre tener admodum erat Casimirus. Dum ergo is adolesceret, Regia potestas penes matrem Rixam relinquebatur. Quâ abusa mulier in Germanos prona, hocque ipso Polonis gravis, cum invisam se sentiret, in Germaniam tandem, expilato fisco Regio & diadematibus ablatis, fugit. Casimirus ad Ungaros, inde ad matrem tendit, à quâ animi excolendi causâ Lutetiam missus, paulò post vitæ Monasticæ se addixit. In Poloniâ interim mira erat rerum perturbatio. Omnia latrociniis cædibusque mutuis ardebant. Eâq; occasione usus Maslaus Regi nuper à poculis, provinciam regno abstraxit, quæ postea ab eo Masoviæ nomen accepit. Nec ab externis hostibus quies erat; Russis Bohemisque abolendæ priorum cladium infamiæ intentis. Tantis malis pressi Poloni ad Casimirum tandem respexêre, Monachum jam, & Cluniaci in Galliâ agentem. Sed vix multis legationibus & precibus ab ipso, ut vellet liberari voto, à Pontifice, ut posset, impetratum est. Ex

eâ

eâ causâ imposita Polonis annua pensio est, quæ sancti Petri nummus dicta fuit. Et alia quædam diu postea in Papalis beneficii memoriam observata.

II. Exceptus magno suorum plausu Casimirus & Gnesnæ rex salutatus, fessis mox Poloniæ rebus manum applicuit. Dissidia inter Proceres oblivione mutua, seu amnestiâ sepulta fuêre. Manifesti cædium ac latrociniorum puniti. In cæteros haud anxie quæsitum, *prudenter invenisse bonos, quàm fecisse* videri malebat. Sic illi nec contemptum impunitas scelerum, nec invidiam pariebat cupiditas puniendi. Exin Jaroslaum Russorum Ducem fœdere & mox adfinitate sibi jungit Casimirus, ductâ illius sorore Maria, quam pater Ulodomirus ex Anna Basilii & Constantini Imperatorum Constantinoplitanorum sorore susceperat. Postea Dobrogneva dicta est. Firmatis ita domi rebus in Masovios movet, eunte obviam Maslao. Committitur acre prælium, addente pugnantibus animos hinc ira in perduelles isthinc conscientia sceleris, quo veniæ spem absumpserat. Favit Fortuna caussæ meliori, victusque tum

Maslaus aufugit, sed ut à clade post major rediret.

III. Habitabant tum Prussiam, quà Lituaniæ jungitur, Jaziges, ferocissimus populus. Ad hos confugiens Maslaus in suo discrimine ipsorum securitatem periclitari facundè demonstrat. Moti illi hominem Masoviæ suæ restituunt. Casimirus properè copias contrà adducit, mox visa multitudine hostium trepidare penè cœperat. Sed animum labantem somnium erexit: & quasi timiditatis notam deleturus Rex fortissimè postea pugnat: ita ut suos hortando, hostem feriendo defatigatus ac pene semianimis in castra referretur à gregario, cui postea nobilitatis insignia contulit. Maslaum iterum victum Prussi ipsi, ut cæde perduellis clementiæ victoris litarent, in crucem agunt, insultantes, ad alta nisum, ad alta pervenisse. Victoriam hanc Prussorum deditio & optatissima toto regno quies secuta est: quæ afflictas ante Casimirum Poloniæ vires & per bella nondum penitus recreatas blandissime focillavit. Gratior erat Polonis tanta felicitas, quia magno

gno constabat, quippe cujus autorem Regem multis calamitatibus, precibus & laboribus repugnanti velut Numini extorsisse videbantur.

CAP. IV.

DE BOLESLAO AUDACE.

AB ANNO CIↃ LIX.

AD ANN CIↃ LXXXII.

Bellum Bohemicum. Prussicum. Ungaricum. Russicum. Ungaricum alterum. Russicum alterum. Kioviæ luxuriant Poloni. Boleslaus degenerat. Stanislaum occidit. in exilio sua manu perit.

EX tribus Casimiri filiis, qui Patri superstites manserant, maximum natu Boleslaaum Regem Poloni assumunt. Juvenculus is adhuc erat, sed magnâ industriæ indole, & parem arduis conatibus ipsum fatum judicavit, cum imperium capessenti tot ostendendæ virtutis occasiones aperuit. Undique malè habiti à suis Principes ad Boleslaum confluxêre, opem roga-

rogaturi : id quoque providente fortunâ, ut fortisſimi juvenis auſpiciis ſpecioſam miſericordiæ famam circumdaret. Primum Boleslai impetum Bohemorum princeps Premislaus excivit, qui fratrem ſuum Jaromirum à Polonis receptum dolens, vaſtatâ immaniter Sileſiâ ad Polonorum fines pervaſerat. Sed eundem mox velut emiſſo aculeo fugientem ſecutus Boleslaus, illatas Polonis injurias in Moravis acerrimè vindicat, magnâ inde prædâ abductâ. Atrociora metuens Bohemus ad pacis conſilia vertit, fratremque Jaromirum dato Pragenſi & mox Olomucenſi Epiſcopatu, Boleslaum ductâ ejus ſorore Suentochnâ mitigat. Qui clemens ingenio non invitus bella ignoſcendo tranſigebat, & tum aliud ad bellum avocabatur.

II. Etenim, dum his intentus agit Boleslaus; Pruteni rebellantes Pomeraniam & Poloniæ oram vaſtaverant, occupato Grodeco, quod prædam poſt vectantibus ſuffugium dabat. Rex cum ſuis advolans, cum hoſtem intra dictam arcem ſylvarumque porrò ac paludum invia latentem elicere non poſſet, dolo aggredi-

greditur. Simulat fugam, moxque erumpentibus velut ad prædam Prutenis improvisò supervenit, cæditque palantes ac securos: hoc majori suorum virtute ac gloriâ, quòd Ossam flumen tranaturi tegumenta corporis abjecerant. Victorem inde Prutenorum Bela exul, cui amita Boleslai nupta erat, & ex Ungaris multi in Belam proni, in Ungariam traxêre. Cui Rex Ungarorum Andreas præter suorum copias, robora Germanorum Bohemorumque opposuit. Concurritur ad Tibiscum flumen, ambiguo aliquandiu Marte, donec Ungari ad Belam & Boleslaum transeuntes animos abstulere relictis. Plurimi tum ex his cæsi. Princeps Bohemorum Uratislaus captus. Andreas Rex è fuga reprehensus & malè ab Ungaris exceptus periit. In hujus solium cum Belam Boleslaus reposuisset, donatum præmiis exercitum, ipse gloriâ contentus reduxit. Magna sane illius hoc bello & plane ut sibi pugnantis fortitudo eluxit, cum alii victurus esset.

III. Reversus ab Ungariâ Boleslaus matrimonium init, ducta domum Vissessava Russorum cujusdam principis filia.

At non diu hæsit inter curas nuptiales; easque ipsas si non bellum, belli tamen apparatus interstrepuêre. Russi illi in animo, nec patiebatur excidere Izaslaus Kioviensium Princeps, qui tum ejectus à suis cum Boleslao erat. Cœterum inchoato bello Russi, & qui præcipue petebatur Visseslaus haud sustinuerunt ad pugnam consistere. Kiovienses quoque conscientiâ trepidi magis de venia, quam tuenda urbe laborabant, venientemque Izaslaum etiam ambigua spe impunitatis recipiunt. Ex iis septuaginta, duces nuper seditionis vita vel oculis mulctati. Boleslaus dimisso in hyberna exercitu ipse Kioviam abiit, ut assiduos belli labores brevi quiete interjungeret. Hyeme exacta eundem nescio quæ causa in Premislienses concitavit. Cui venienti minora in eo tractu oppida facilè patuere, Premislia obsidenda fuit, urbs hinc fluvio Sano freta, inde vallis & hominum, qui eo ex agris confugerant, numero. Etiam cum occupata tandem esset, tamen refugi in arcem obsessi, vix longa demum fame, & quæ hanc comitantur, malis edomiti dedidêre se, vitam prius pacti, &

quod

quod quisque uno onere secum efferre posset.

IV. In Ungaria interim Belam, quem paulo ante ad Regnum evexerat Boleslaus, illabentis forte cameræ ruina graviter afflixerat. Unde secuta mors æmulos ad spem regni erexit. Filii Belæ ad Boleslaum confugiunt, opem & ut beneficium patri datum in filiis tueretur, rogantes. Ille quanquam cœptis in Russiâ bellis ægrè abstrahebatur; cessit tamen obstinatis precibus supplicum. Veniens in Ungariam Boleslaus terruit mox Salomonem, Regis nomen usurpantem, ut Budæ se non credens Mosonum arcem ingrederetur. Interim Episcopi medios se interponunt, armorum incerta utrique parti, Belæ filiis insuper belli patriæ illati infamiam demonstrantes. Initur pax his conditionibus, ut Belæ filii ducum titulo & tertiâ regni parte contenti, summum nomen Salomoni relinquerent.

V. Pacem Ungaris dederat Boleslaus, sed nondum sibi. Russi iterum vocabant, & Izaslaus, quem fratres denuo Kioviâ ejecerant. Venientis impetum primum Volhinia excepit, & in ea Lutzkum, quod

Rex

Rex post sex mensium obsidionem demũ expugnavit. Duci illius Igoro seu Gregorio venia data. Inde ad Kiovienses conversus Rex Vussevolodum cum exercitu obvium habuit. Cum ad pugnam venissent, laborare primo coitu dextrumPolonorum cornu cœperat; sed mox misso à Rege subsidio, restitutum est. Unde mutata aciei fortunâ pelluntur in fugam Russi, penè jam victores. Profligato hoc exercitu, Rex ad Kioviam promovet castra, obsessamque aliquandiu expugnat. Cui quanquam iram victoris merenti parcitum tum tamen est, infelici planè clementiâ, & quasi ad id, ut esset, unde corrumpi Regis felicitas posset.

VI. Verè quodCapua olimAnnibali, id Boleslao per hyemem habitata Kiovia fuit. Hîc ille tot gentibus formidabilis, ille victor exercitus elanguit, otio scilicet hyberno ad malas libidines abusus. Nec stetit intra viros malum. Delata enim velut aurâ pestiferâ in Poloniam harum libidinum fama uxores quoque corrupit, diu jam maritorum absentiam malè ferentes. Placuit fœminis nefandum vindictæ genus, ut libidinem libidine ulciscerentur.

rentur. Grassabaturque tum passim juvenum licentia, ut difficilis esset etiam pudentioribus castitatis suæ custodia. Unde Margarethæ cujusdam, quæ Nicolai Zembocii uxor fuit, virtus laudatur; quæ cum duabus sororibus rn turri Zemboviensis templi multo tempore latuit, familiâ illis per funem alimenta suppeditante. Cæterum auditis uxorum suarum flagitiis viri indignatione accensi, missionem petebant: hâc non impetratâ, clam, Rege nequicquam prohibente domum dilabuntur. Rex desolatus à suis, metuensque ne cum tam paucis inter infensos agens, contemptum, ac mox periculum provocaret, sequi cœteros necesse habuit. Reversus fugæ autores capitali supplicio, cæteros publicatione bonorum, aut carcere diuturno multat. Nec à fœminis temperavit. Uberibus adulterarum, si quibus indulgentia maritalis pepercerat, horrendo vindictæ genere abstrahi sobolem, catulosque admoveri jussit. His rudimentis Boleslaus sævitiæ initiatus non destitit postea in innocentes juxta ac noxios grassari: documentum omnino præbens, Exui inter crebra supplicia sanguinis

nis humani reverentiam, invisæque pridem crudelitatis usu tandem venire amorem. Mox & exactionibus insolitis onerare subditos cœpit. Palam denique adulter, Christina nobili fœminâ, marito Miecislao abductâ ad fædas voluptates abutebatur. Quid multa? in Tyrannum jam degenerabat, ille nuper optimus Princeps Boleslaus.

VII. Sed ut morbi, ita vitia nondum planè adulta sanari possunt, si manum admittant, præbeantve patientiam remediis. Boleslaus hic ferre penitus non poterat vitæ suæ censores: & Stanislaũ Sczepanovium, Episcopum Cracoviensem, virum non minùs sanctitate, quàm gente nobilem, ulcera ipsius liberius tangentem pessimè oderat: quærebatque labem aliquam famæ viri adspergere: quo autoritatem arguentis excusatiùs contemneret. Comperto tandem, cum diu rimatus nihil aliud reperisset, emptum à Stanislao agrum quendam, emptorem male acquisitæ possessionis per hæredes (nam venditor, paulò post acceptum pretium, obierat) jubet inquiri. Ut innocentiam suam probaret Episcopus, mortuum, cujus

ager fuerat, Petricum (ut cum Cromero plerique alii tradunt autores) ſuſcitat, decantatiſſimo per Poloniam miraculo. Boleslao nihilominus ad ſcelera contumaciam addente, pertinax quoque Epiſcopus fuit in monendo, & fortioribus tandem remediis agendum ratus, Regem à communione ſacrorum prohibet. Ille magis etiam iratus, Epiſcopum ſacris tum operantem interficit, inflicto capiti illius tam valide gladio, ut exſiliens cerebrum templi parietes adſpergeret. Percuſſus mox majori ab ipſo Pontifice Romano fulmine, annum circiter poſt cædem exegerat, cum exoſum ſe omnibus ſentiens, & conſpiratione etiam impetitus in Ungariam cum filio profugit, ubi cùm aliquandiu vixiſſet, conſcientiæ torminibus impar & amentiâ correptus, finem ſupplicii manu fertur quæſiviſſe. Alii alium Boleslai exitum memorant. Sed quiſquis fuit, meretur lachrymas degener illius ex optima adoleſcentiâ poſterior ætas: admonetque mortales fragilitatis ſuæ, cui adeò ipſa etiam, quam cuncti expetimus, felicitas periculoſa eſt.

CAP. V.
DE ULADISLAO HERMANNO.
AB ANNO CIↃLXXXII. AD ANNUM CIↃCIII.

Fratris vices principis nomine ſuſcipit. bella ejus cum Pomeranis. cum Imperatore Henrico. domeſtici tumultus. Filii ipſius expeditiones quædam.

EXacto Boleslao Audace, deſtitutum capite Regnum, & Ruſſorum tum inſuper incurſionibus vexatum, frater Audacis, Uladislaus, nomine principis in ſe ſuſcepit. Regis titulum refugiebat, ſeu ſpe fratris redituri (nam mors ejus ſeriùs demum vel ſequuta eſt, vel innotuit) ſeu metu Pontificis, qui Poloniæ, ut ſacris, ita Regis creandi poteſtate interdixerat. Prima ergo illi cura fuit Pontificis interdicta tollere, miſitque in id legatum; qui tamen nihil amplius quam libertatem ſacrorum impetrare tum potuit. Poſt hæc Uladislaus Mieſconem fratris exacti filium egregiâ indole juvenem ex Ungariâ revocat, miſeratione, vel metu, ne Unga-

rorum

rorum ope ad Paternum regnum niteretur. Sed hunc ſexto à reditu anno ſeu mors fato propera, ſeu artes patris inimicorum, ultorem filium timentium, abſtulerunt. Uladislao duo erant filii, alter Sbigneus ex matre impare natus, alter Boleslaus à detortis labris *Crivouſti* appellatus, quem Juditha mater diu ſterilis, nuncupatis ingentibus votis à Deo impetravit.

II. Cæterum Uladislai iſtius tempora Pomeranorum Prutenorumque maximè incurſiones inſignierunt. Qui poſt multas demum expeditiones eò redacti, ut quieſcerent. Primum in illos bellum ſine ſanguine ſtetit, cum territi fidem & obſequium pollicerentur. Alterâ expeditione res ad prælium devênit: quod tamen æquis manibus patratum videri poterat, niſi nocte, quæ pugnam diremit, fugiſſet hoſtis. Tertius impetus circa Naclum conſumptus eſt, quæ arx Pomeranorum poſt actam prædam fugientium receptaculum erat, nec potuit tum à Polonis expugnari. Poſtremo denique certamine laſſata hoſtis contumacia, redditis quæ abſtulerat, clementiam Uladislai invocavit.

III. Dum hæc in Pomerania geruntur, conflaverat nescio quod fulmen in Polonos Imperator Henricus IV. Uratislao enim Bohemorum Principi dum Regiam dignitatem conferret, jus quoque in Poloniam, quod nullum habebat, dederat. Hujus ergo filius Prædislaus, quasi sua sibi vindicaturus, Poloniæ fines invasit, vastavitque. Quem missus à Uladislao Secechus Cracoviensis Palatinus, impiger militiâ vir, repulit fortiter, & actis per Moraviam prædis gravissimè ultus est. Ivit tum impetratâ à Patre veniâ Sececho comes principis filius, Boleslaus, novem ferè annorum puer, sed qui annos ingenio præcurrebat. Magnâ industriâ is omnia, quæ in castris gerebantur perlustrans, in futurum post usum seponebat. Idem paulò post latrones, qui ex Pomeraniâ egressi Miedzericum occupaverant, rectore Sececho, repressit. Talibus curis ac facinoribus Boleslaus futuræ magnitudini præludebat.

IV. Hostibus domitis jam pace florere Polonia poterat, nisi domesticæ seditiones turbassent. Secechus ille, cujus facinora egregia modò narrabamus, meritis

in

in Rempublicam & gratiâ principis tumens, potentiam ſuam, ut ferè fit, oppreſſione inferiorum oſtentare cœperat. Inde non invidiâ tantum ſed odio quoque civium flagrabat. Multi illo ſtruente everſi, multi proſcripti, vel proſcriptos ſequuti in Bohemiam erant. Qui opem pollicente Bohemorum rege, adſcitoque in ducem Sbignei Uladislai notho, quem Pater monaſterio incluſerat; denique pertractô in ſocietatem Uratislavienſium præfecto Magno comite, arma parant in Secechum. Uladislaus ſe per latus miniſtri petiratus, exercitum conjuratorum, quibus Pomerani quoque jam recens acceſſerant, circa Cruſphiciam adoritur, strageque inſigni afficit, Sbigneo ipſo, qui caput omnium erat, capto. Cui non difficulter tamen mox ignovit Uladislaus, manſitque pater erga hoſtem etiam filium.

V. Sed paulò poſt reſuſcitatum eſt hoc belli civilis incendiũ, & Boleslaum quoque alterum filium, intactum antea, traxit in partes eorum, qui in Secechum conſpiraverant. Ægrè adhuc à Sececho divellebatur Uladislaus Pater, incertùm an

ob virtutem viri, an ex more principum, qui Amicitias proprio fastidio facilè omittunt, si excutere coneris, cedendi pudore, ambitiosiùs plerumque retinent. Noster tamen hic publicæ quietis studio, in exilium clientis, quo illa redimi posse videbatur, consensit. Compositâ seditione domesticâ Boleslaus filius arma à Patriæ visceribus in Pomeranos, & mox Russos convertit, repressisque fortiter utrisque, regnum patri securum, sibi per beneficia obnoxium devinctumque magis reddidit.

CAP. VI.
DE BOLESLAO III.
COGNOMINE CRIVOUSTO.
AB ANNO cIↃCIII. AD ANN. cIↃCXXXIX.

Crivousti in Bohemos expeditio. In Pomeranos. mox iterum in Bohemos. iterum in Pomeranos. Bellum cum Henrico Imperatore. bellum in Pomeranos duplex. Fratris Sbignei cædes. Palatini Cracoviensis dejectio. Expeditio in Russos. in Ungaros. in Russos diversæ expeditiones. extrema infelix.

VLadislao mortuo filius succeſſit Boleslaus, jure naturali hæres, ſed quô digniorem, etiam ſi ſuffragiis agendum fuerat, nulla electio inveniſſet. Magna juvenis ſpecimina virtutis ediderat, ſed majora mox principatum adeptus, exſeruit. Bellis ſanè exercitatiorem virum non habuit Polonia, poſſetque illa hunc Martis pullum numero conflictum Marcellis Iuliiſque Romanorum ferè opponere. Sed mihi nunc pugnas illius omnes memorare per propoſitam animo brevitatem non licet; præcipuas, nec has niſi ſtrictim enumerabo. Initia Boleslai invidia Sbignei fratris maxime exercuit. Qui ſupra aſſignatæ à patre hæreditatis ſortem aſpirans, varios ſubinde in Principem hoſtes concitavit. Primùm quidem Borivojum, Bohemorum ducem. Sed is cum ad fines Polonorum perveniſſet, pudore injuſtæ cauſſæ â ſuis deſertus, re nullâ effectâ domum rediit. Conatum tamen ejus ulciſcendum putavit Boleslaus, miſitque copias, quæ duce Zelislao, uno è Proceribus Polonis, omnem Moraviam hoſtiliter pervagatæ ſunt. Mox eodem Sbigneo machinatore

Pomerani inſurrexêre. Hos lentius quidem, nec ſine diſcrimine, compeſcuit tamen ad tempus Boleslaus, Bialogrodo, Colberga, Coſmino, Veleno, præcipuis tum Pomeranorum oppidis expugnatis.

II. Sed paulo poſt cum utrâque hâc gente repetenda fuit bellorum tela. In Bohemos incitavit Boleslaum fœdus & affinitas Colomanni Ungarorum regis, quem oppugnans Henricus V. Imperator, Bohemos, ut tributarios tum imperii, ſecum traxerat. Ingreſſo Bohemiam Boleslao oppoſuêre ſe Vaſco & Mutina, delecti à principe ſuo, qui in Ungariam ſecutus Imperatorem erat, Duces. Sed hi fuſi, Pragamque profugi, quicquid apertum aut imbecillum in Bohemia fuit, prædæ hoſtis reliquêre. Interim abſentia Boleslai audaciores Pomeranos fecerat; & ſeu impetu, ſeu proditione arcem Uſce occuparant. Huc ergo feſtinato itinere regreſſus Boleslaus Velenum obſidet, quod & ipſum ad hoſtes defecerat. Aderat tum Boleslao Sbigneus, iniquus adhuc fratri, & occulte cum hoſte ſocians conſilia. Nocte quadam irrumpere Pomeranos in caſtra Principis juſſerat, omnia prompta polli-

pollicitus. Illis advenientibus commodùm erat in excubiis, id quod ſolenne habebat Boleslaus, & in re ſubitâ, cum vires non poterat, dolum oppoſuit. Ruentem enim in caſtra hoſtem ſolus cum paucis excubitoribus à tergo adoritur, voce, terrendo hoſti, ſuiſque, qui in caſtris erant, excitandis, altùm ſublatâ. Pomerani circumventos ſe rati, concidunt, & mox accurrentibus Polonis plurimis profligantur. Tantum valet Principis in caſtris præſentia, & vel dormientes exercitus unius vigilia poteſt defendere, Cæterùm depulſis ita Pomeranis, Sbignei etiam perfidia non diu latuit. Cujus publicè convictus, cum omnium ſententiis ad capitis ſupplicium addiceretur, exilio multatus eſt, moderante ſic pœnam fratre, ut nec flagitium inultum, & reus clementiæ exemplum foret.

III. Bellum Bohemicum parvum mole ipſum, ſed magni alterius cauſſa extitit. Henricus enim Imperator, adjutos à Boleslao Ungaros indignatus, Marchiam & Sileſiam ditiones tum Polonorum invaſit, omniaque iſtic velut torrente corripuit. Sola Glogovia in obſidii toleran-

tiam obstinata, victori cæterorum moram objecit: animante ad constantiam oppidanos Boleslao, obsessoresque assiduis incursibus lacessente. Missis fortè post pacis caussa à Boleslao legatis, leges iniquiores proposuit Imperator, thesaurumque suum ostendens, hunc Polonos perdomiturum, dixerat. Ad quod Scarbicus, princeps legationis, ut arrogantiam Cæsaris perstringeret, demptum digito annulum thesauro injiciens, aurum, inquit, adjiciatur auro; subindicans haud dubiè, frustra auro terreri viros, quibus ferro manus, animus virtute armatus sit. Intellexit quoque scomma imperator, idque elusurus, *hab danck*; inquit; quæ gratias agendi apud Germanos formula est; nomenque Habdanckiorum familiæ dedit, quæ hodieque inter clarissimas Poloniæ habetur. Cæterum cum reversi ad suos legati datas à Cæsare conditiones retulissent, vehementer animi Polonorum accensi commotique sunt. Ita ut qui hucusque subitariis tantum assultationibus Cæsarianos vexassent, tandem prælii tentare aleam decernerent. Locus erat prope Uratislaviam, longâ porrectus planitie,

nitie, & ob id Polonorum aciei commodior. Eo cum ventum utrinque esset, initur prælium, in quo ingens inprimis Boleslai fortitudo emicuit. Quippe & ipse strenuè ciebat pugnam, & cum initio Germani graves esse cœpissent Polonis, cedentes hos occursando animandoque subinde reducebat in hostem; donec vi equitatus legiones Germanorum perrumperentur, inclinaretque ad Polonos victoria. Magna eo prælio utrinque strages edita est: adeò ut insepultorum cadaveribus illecti canes difficilem iter facientibus transitum darent. Unde Campi Canini nomen hodie etiamnum agro, in quo commissa pugna est, manet. Post prælium cum Henricum in Italiam vocarent negotia, & is pacem expeteret magis, quàm palam offerre vellet, profectus ad eum est Boleslaus Padenbergam Franconiæ oppidum. Ubi honorifice acceptus non pacem tantùm cum Cæsare, sed & affinitatem inivit; acceptâ in conjugem sorore illius, desponsâque porrò Uladislao filio suo impuberi adhuc filiolâ Cæsaris itidem parvâ, Christinâ, cujus paulo post sæpius fiet mentio.

IV. Pace hac factâ, data eſt Boleslao ſed brevis armorum quies. Nam paulo poſt & in Pomeranos reſumendum bellum fuit, quod tamen intra unius oppidi Nacli expugnationem ſtetit: & in Bohemos illum miſeratio Sobieslai impulit, qui à fratre ſuo Bohemorum Rege ob cædem conſiliarii cujusdam, carceri incluſus. & mox inde elapſus in exilio agebat. Quo reſtituto bellum quoque conquievit. At fortuna Sobieslai hujus, Sbigneo, quem itidem à fratre Boleslao in exilium ejectum diximus, ſpem veniam nanciſcendi attulit. Reverſus receptuſque in gratiam eſt, ſed ut citius periret. Offendit enim mox faſtu ſuo fratrem, aderantque etiam illico proceres quidam, qui privato in Sbigneum odio omnia illius ſeu bona ſeu mala in deterius torquentes, ſtimulabant occultè Principem, ut æmulum, quem nulla beneficia emendarent, amoliretur. Ita miſſi à Boleslao ſunt, qui hominem obtruncarunt, prius eundem conviciis adorti, ut per jurgium privatâ irâ occiſus videretur. Sed ceſſit mox ea cædes Boleslao in aſſiduum vitæ tormentum: Perpetuo hoc conſcientiæ ingenio,

ut

ut fœditatem criminum suorum, cum peracta sunt, rectius demum introspiciat, mirâque tum exaggeret facundiâ. Pauco interjecto tempore Scarbimirus quoque Palatinus Cracoviensis periit; vir acer ingenio, spectatusque militiâ, sed sua jactantius extollens, idemque palam criminator in Principem. Toleratus aliquandiu, tandem cum potentiæ suæ fiduciâ, apertè seditiones moliri videretur, Senatu motus, excæcatusque in carcere vitam finiit. Atque ut ignominiæ ejus, aliquod ultra mortem quo que superesset monumentum, constitutum tum est, ut posthac Castellanus Cracoviensis Palatinum loco ac dignitate anteiret. Dum hæc in Poloniâ geruntur, ceperat iterum Pomeranos quietis suæ tædium. Denuo Boleslaum lacessunt, Suentopelco duce, quem paulo ante victis Naclensibus imposuerat Boleslaus. Obsessum ergo rursus à Boleslao Naclum est, expugnatumque Cæteri quoque Pomeranorum ante expugnationem hanc prælio victi, post debellati, cum imperio Polonorum, religionem simul Christianam, quam bis ante acceptatam, bis rejecerant, bonâ jam fide receperunt.

 V.

V. Hinc jam tandem Bolesłao in eadem fere hactenus arenâ luctanti novum campum Russia aperuit. Fugerat ad Polonos, Patrui Ulodimiri insidias vitans Jaroslaus, affinis Boleslai. Eum reducere Russi quidam Ungarorum & Boleslai ope laborabant. Sed Jaroslaus inter pugnandum confosso equo excussus, & ægre à suis protectus, postquam in tentorium relatus esset, ex vulnere obiit. Cum caussa belli, bellum quoque ipsum intercidit. Postea Boleslaus Volodorem Przemisliensium Ducem, arma inPolonos cientem compescuit. Quo facto, ire in Ungariam parabat cognatos suos, Stephani regis exules filios cum matre in regnum repositurus. Jamque ad Scepusium progressus, expertusque etiam prælio cum Alberto Austrio fuerat, cum cœpto abstrahitur per Russos nova iterum molientes. Hos verò antequam vi tentaret Boleslaus, dolo adoriendos suadebant proceres. Unum esse inter ipsos Jaropelcũ videbant, à quo cæteri penderent. Ducem hunc tolli, ingens fore belli compendium. Ei conficiendæ rei Petrus Ulostovicius, Comes Xiansensis se obtulit. Hic consentiente

Sena-

Senatu, proficiſcitur ad Jaropelcum, læſumque ſe à Principe ſuo ac profugum non ſine multis conviciis queritur. Credidit homini Jaropelcus, ſed paulo poſt ab eodem, dum forte ruri cum pauciſſimis ageret, comprehenſus ad Boleslaum adducitur. A quo in carcere per annum detentus, poſt magno ære redemptus ad ſuos rediit; cum prius amicitiæ fidem Boleslao dediſſet. Sed is fidem poſtea, quam vindictam amittere maluit. Fraudem fraude ulturus, mittit in aulam Boleslai, Ungarum quendam, qui captatâ occaſione Principem occideret, vel quocunque modo proderet. Hic quâ erat ingenii ac morum verſutiâ, Principis amicitiæ ſe inſinuat, ac tandem poſt longæ familiaritatis uſum, præfecturam Visliciensem impetrat. Quam cum aliquandiu tenuiſſet, advocato poſtea Jaropelco tradit. Ab hoc vero cum pacta forte præmia poſtularet, lingua oculiſque privatus dicitur, ſolito proditorum fato, ut etiam quibus profuere, inviſi ſint.

VI. At habent plerumque hoc fraudes, ut cautos reddant, quos deceperint; raròque iidem eoſdem fefellerunt. Bo-

leslaum tamen recens àRuſſis fraudatum, graviore mox dolo iidem circumvenêre. Jaroslaum Halicienſium ducem, principatu à ſuis dejectum & ad Polonos profugum revocabant quaſi pœnitentia mutati Halicienſes. Interim tacite reliqui Ruſſorum militem cogunt, Ungaris quibuſdam adſcitis. Boleslaus exulem ad reſipiſcentes reducturus, minori, quàm in perfidos & hoſtilia molientes opus erat, exercitu advenit. Cui ad Haliciam Ungarorum turmæ ſpecie gratulandi occurrentes, Polonorum noviſſimo agmini ſe jungunt. Idem faciunt Halicienſes, omnes amicitiam vultu præferentes; mox circumdatos Polonos invaſuri. Suboluit fraus Boleslao, ſed cum jam nonniſi præſenti periculo vel dedecore effugi poterat. Conſultanti ergo quid facto opus eſſet, occupare parantes ſe pugnæ Ruſſos viſum eſt. Mox irruens orditur prælium. Secutis pari virtute cæteris, non infeliciter cedere res cœperat, cum aliâ parte fugam orſus Palatinus quidam, plurimis idem faciendi pudorem abſtulit. Pauci cum Boleslao ſaucii feſſique reſtitabant Ruſſis vincentibus; jamque equus ſub

Prin-

Principe defecerat, inſtabantque extrema omnia, cum gregarius alium illi equum ſuppeditans, perſvadet, ut maturatâ fugâ meliori ſe fortunæ reſervaret. Magnus poſtea militi honos habitus eſt. Palatinum miſſa à Principe pellis leporina, colus & fuſus, pudore ad laqueum adegêre. Ipſe Princeps adeo impatiens ignominiæ fuit, ut conſpectum hominum vitans aſſiduo ſe domi luctu maceraret: non inuſitatà humanis animis in ſe & fortunam iniquitate; unius ut calamitatis ſollicitudine, proſperorum omnium memoriam obliterent.

CAP. VII.

DE ULADISLAO II.

AB ANNO CIƆCLXL.
AD ANN, CIƆLXLVI.

Bellum Bohemicorum. Petri Dunini caſus. Bellum inter fratres.

MOrtuo Boleslao paternarum poſſeſſionum hæreditatem, ita ut pater juſſerat, quatuor filii crevêre. Summum rerum regimen primus natu Uladislaus accepit.

accepit. Sed ut ditiones, ita virtus paterna divisa minorque filiis: hujus verò etjam minimum Uladislao contigit proximo partis successori. Bellum is extra fines Patriæ nullum gessit, præter Bohemicum, quod tamen ultra populationes Silesiæ non processit, ac morte mox Ducis Bohemorum Sobieslai finitum est. Inde inturbidum externis regnum, sed ut eò gravius interna mox ardescerent. Non diu enim fratres inter se concordes egêre; culpa maximè Uladislai, cujus ambitionem imminuta principatus sors acriter urebat. Accedebat stimulus domesticus, Christina uxor, quæ Cæsare patre avoque orta, indignabatur nupta esse marito, qui tam anguste imperaret. Nec puduit Uladislaum à Proceribus postulare, ut unum se Patriarum ditionum vellent hæredem. Sed adversos omnes expertus, & acrius mox instigante conjuge, tributa fratribus imperat, postremò quoque conquisito externo milite, quædam eorum oppida invadit. Illi Principis veneratione, seu virium diffidentiâ ad preces confugiunt, fratris fidem Procerumque intercessionem implorantes. Et ex his quidem

quidem non paucos illis caussæ æquitas & misericordia conciliavit. Inprimis non tegebant affectum Vuseborius, Palatinus Sendomiriæ, ac Petrus Duninus Scrinnensis Comes: quorum ille vim minabatur, alter monendo Principem ad æqua flectere laborabat; uterque ob id aulæ exosus.

II. Sed in Duninum vehementiùs Christina efferbuit, pridem illi aliam ob caussam infesta. Processerat enim is aliquando cum Principe venatum: cumque nox in sylvis errantes oppressisset, post refectum ferinâ, & aquâ corpus, dormituri in stratas humi penulas procubuerant. Tum Uladislaus jocans ad Petrum: molliùs nunc tua, inquit, uxor cum Abbate Scrinnensi cubat. Nil moratus alter; fortasse & tua, inquit, cum Dobesso. Vocabatur autem ita Juvenis quidam Nobilis, forma elegans, Christinæ in deliciis. Altè admisit ad animum Uladislaus jocum Dunini, nec abstinuit, quin Christinæ aperiret. Hinc flagrantior jam in hunc offensa. Nec multò post ille nuptiis filiæ, quam Jaxæ Serborum Duci elocabat, occupatus, à Dobesso per insidias capitur, linguaque

& ocu-

& oculis privatus vivere pœnæ ſuæ ſuperſtes jubetur: clariſſimo documento; Cautè jocandum eſſe cum dominantibus: quod hi & facillimè offenduntur; & imprudentius jocantium argutiis gladii ſæpe promptiùs, quam ingenii acumen opponunt. Cæterùm commiſſa hac cæde, magis metus atque odia procerum in Principem, ſimul crudelitas Principis in fratres gliſcebant. Quippe accitis in auxilium Ruſſorum Ducibus, Henricum fratrem Sendomiriâ; Boleslaum Ploſco omnique Maſovia exuit: fugienteſque ad Miecislaum, qui ſolus fraternæ potentiæ reſtitabat, perſequitur. Stitit venientem Poſnaniæ obſidio, tandemque evertit. Forte enim ſecurius aliquando obſeſſor exercitus agebat, poculis ludiſque indulgens, raris nec ſobriis excubantibus vigiliis. Uſi occaſione fratres, qui haut procul aberant & ipſi exercitu inſtructi; ſolutos ac languidos circumveniunt, & erumpentibus ſimul ad datum ſignum oppidanis fugant cæduntque. Uladislaus Cracoviam primum, mox & illinc, prævalente fratrum factione expulſus in Germaniam ad Conradum Imper. Chriſti-

næ ſo-

næ sobrinum confugit. Quo eum mox uxor cum liberis sequuta est. Ibi vivere ex alieno necesse fuit, quibus nuper sua non sufficiebant.

CAP. VIII.
DE BOLESLAO CRISPO.

AB ANNO CIↃCXLVI.
AD ANN. CIↃCXXIV.

Bello fraterno Conradus se interponit. & post eum Fridericus Barbarossa. Silesia à Polonia avulsa.

FRatre exacto, proximus ætate Boleslaus principatum adsequitur, virtute ante Uladislaum imperare meritus. Hic in cæteros fratres benignus ac liberalis, cum exule subinde adhuc luctari habuit de Principatu. Quippe is omnia pro sceptro recuperando tentans, varios in Polonos concitabat hostes. Primus caussam illius suscepit Conradus Imperator, legatosque misit, negotium Uladislai acturos. Facilè se Boleslaus purgavit Imperatori, cognitâ exulis culpâ æquiori & aliis

liis tum molitionibus intento. Parabat enim bellum in Asiam, in quam tandem cum ob viæ compendium, securitatemve per Poloniam iret, honorificè à Boleslao acceptus ad PontumEuxinum deducitur, fratris caussâ in reditum rejectâ. Reversus deinde ille ab Asià, cum finem orandi non facerent Uladislaus & Christina, bellum tandem in Polonos decernit. Ingens erat Cæsaris exercitus. Sed hunc, congredi licet apertè non ausus Boleslaus, ex insidiis assultando, pabulationes infestando intercipiendoque, & quæ alia celeritate Poloni facere consuevêre, mirè fatigabat. Ut cum postea Conradum subiti Germaniæ tumultùs aliò vocarent, facile ad pacem inclinaret. Mitigavit etiam hostis animum Boleslaus in castra ad ipsum profectus & innocentiæ suæ probationi, muneribus variè per Aulicos distributis, momenta addens. Quiescente Conrado non quiescebat tamen Uladislaus: cumque ab Imperatore aliquas, quibus exilium toleraret, possessiones nec non copiolas accepisset, lacessebat fines Polonorum, sed eventu semper irrito. Mortuo Conrado suscepit Fride-

ricus

ricus Barbarossa imperium, & simul caussam Uladislai. Cum missis ad Polonos legatis nihil profecisset, bello eosdem aggreditur. Qui milite impares, ad artes confugiunt, quibus ante Conradum lassaverant: ingentemque illum exercitum, ad famem, & quæ hanc comitantur mala, redigunt. Fit iterum pax, eâ lege, ut Imperatori Mediolanense tum bellum molienti, trecentos equites hastatos submitterent Poloni, Uladislao daretur Silesia. Quæ â Poloniæ regno tum avulsa, & à posteris mox Uladislai in varios Principatus divisa, tandem tota Bohemorum regno accessit.

II. Ita belli fraterni procella detonuerat, cum Boleslaum Prussi, Polonorum imperia post Crivousti patris mortem aspernati, in se traxêre. A quo victi, & ad Christianæ religionis Sacramentum adacti sunt. Sed, ut nunquam bene respondet coacta Religio, redeunt mox ad ingenium suum Prussi, fræna excutiunt, & sacerdotibus ejectis, se potius extrema subituros minantur, quàm animorum servitutem. Ita cum ad cætera obsequium pollicerentur, patria illis sacra relicta.

cta. Ast ii, quia prima impune cesserant, audaciam mox ad majora sumpsêre. Ejiciunt Polonorum præsidia, prædas agunt per Masoviæ agros, mox advenientibus Polonis in paludum uligines sylvasque se abdunt, data opportunitate, erumpentes. Merebant ex ea gente quatuor transfugæ sub Polonis, & longâ fide locorumque peritiâ Boleslao se commendaverant. Hi conspiratione cum Polonis clam initâ, Polonos ostensâ spe ingentis prædæ deduxêre in locum avium & Prussis insessum. Quibus erumpentibus circumventi Poloni, & lubrico paludum lapsantes magnâ strage cæduntur, periitque illic Henricus Boleslai frater, & omne pene robur militiæ Polonæ. Henrico cæso, Palatinatus Sendomiriensis, qui illi ex sorte paternâ obtigerat, in Casimirum natu minimum devolvitur. Filii Uladislai, duces jam Silesiæ partem illius hæreditatis sibi vindicantes, latâ repulsa, & memoriam veteris injuriæ accendente novâ, arma minabantur: multisque demum persuasionibus à Boleslao, & proceribus mitigati conquieverunt. Sed tum ferme iterum internis se motibus

concussit

concussit Respublica. In tractu enim Cracoviensi equestris ordo Sventoslao & Jaxa autoribus in Boleslaum insurrexit, Casimiro fratri deferens imperium, odio seu Boleslai ob cladem Prussicam, seu Miecislai alterius fratris, cui ætatis jure successuro viam ad principatum, alio maturè electo cupiebant præclusam. Sed Casimirus quantò in vulgus gratior, tantò impensius pro fratre nitebatur, eòque, quô in Principem petebatur, favore ad comprimendam seditionem usus est.

CAP. IX.

DE MIECISLAO SENE.

AB ANNO cIↃCLXXIV.

AD ANN. cIↃCLXXVIII.

Miecislaus in juventute probus. postea degener. regnum accipit, & mox amittit.

FRatre mortuo ibant inCasimirum minoris Poloniæ suffragia, sed hæc tamē Miecislaus majoris Poloniæ sententiis evaluit. Huic gravis & prudens juventusSenis nomen conciliaverat, verum de-

cora

cora juventutis dissimiles sequentium annorum detrivêre mores. Principatum ejus imposita nobilibus ac plebejis tributa, & inexperta ante Polonis fisci avaritia, honorum denique nundinationes invisum brevi reddiderunt. Auxêre odium ministri ac Præfecti, qui dum emunctionibus populi non Miecislaum tantùm, sed suam quoq; aviditatem satiant, unius tamen Principis invidiâ omnes peccabant. Studuit Miecislaum in viam reducere Gedeon, Cracoviensis Antistes, & instructâ viduæ, cujus gregem nutriti à filio canes lacerassent, fabulâ, velut in imagine principem sibi ostenderat. Sed hunc nullæ admonitiones emendabant. Inde idem Gedeon cum Stephano Cracoviensi Palatino ad abrogandũ Miecislao, deferendumque fratri ejus Casimiro imperium cæteris præivit.

CAP. X.
DE CASIMIRO.
AB ANNO CIƆCLXXVIII. AD ANN. CIƆCXCV.

Conarii cujusdam petulantia à Casimiro patienter tolerata. Cum Fratre Miecislao bellum. qui à quibusdam in regnum frustra restituitur. Cum Prussis bellum.

CAsimiro cùm aliæ virtutes, tùm unum maximè moderati animi specimen studia Polonorum conciliavit. Quidam ex Aulæ ejus asseclis Joh. Conarius, ab ipso ad aleæ ludum invitatus, victusque extremo jactu, cui tota sors producti in serum noctis ludi committebatur, ita efferbuerat, ut vincenti Casimiro colaphum duceret. Comprehensum cum omnium sententiæ capitis reum pronunciarent, Casimirus etiam à culpâ absolvit illum, inquiens, impatientiâ jacturæ abreptum esse, se verò prostitutæ dignitatis suæ justam pœnam luisse. Sed vota procerum accendebat porrò etiam ipsa Casimiri sceptrum fratri præripere abnuentis modestia. Videbatur enim, ut est reverà, benè imperaturi, imperium recusare. Cedenti tandem precibus Polonorum regnumque capessenti, prima cura fuit impressa Reip. vulnera sanare, vitiaque corrigere, quæMiecislaum expulerant.Hunc

autem

autem ipsũ paternæ hæreditati restituit, supplicem quidem nunc, sed occultas tamen recuperandi imperii spes alentem, intentumque occasionibus. Erupit paulo post cupiditas, cum Masoviam & Cujaviam, quas Casimirus, tutor Lesco Boleslai Crispi filio datus, administrabat, per fraudem occupavit. Unde tamen brevi post excussus est. Bellum Casimirus primum in Halicienses gessit, quibus domitis, sororis suæ filium Miecislaum, ab illis expulsum restituit. Eo paulò post veneno à suis necato, Ungarorum regis filius Andreas, Haliciam occupaverat, Vlodimiro, qui ad opem Ungaricam, Casimirum fugiens se receperat, per fraudem carceri incluso. E quo ille elapsus, hostis nuper sui Casimiri implorata clementiâ, impetratoque auxilio Haliciam Ungaris eripit. Inde irritatus rex Ungarorum, fines Polonorum invadit, vicissimque à Polonis incessitur. Sed id bellum, quia nec Ungaris nec Polonis volentibus erat, maturatis primò induciis suspensũ, mox firmâ pace compositum est.

II. Hæc agente Casimiro, circumegit se favor Polonorum quorundam, & à

Casimiro in Miecislaum reflexit. Jamque Cracoviam urbem favitorum suorum ope occupaverat Miecislaus; arce tamen à Fulcone Episcopo, & Nicolao Palatino prohibebatur. Profectus mox idem colligendi militis caussa in Poloniam Majorem, in filio, quem Cracoviæ reliquerat, à Casimiro, ope Russorum maximè debellatur. Casimirus filium fratris ejusque milites non modò incolumes, sed & muneribus ornatos dimisit. Quâ pietate Miecislaum cæterosque ita permovit, ut vivo ipso nihil hostile moliri sustinerent. Adeò nonnunquam hostem, quem fortitudinis non coercuit metus, admiratio clementiæ subigit. Post hæc cladis Boleslao fratri inflictæ memoria, manesque Henrici nuper occisi in Prussos Casimirũ elicuêre. In hos nequicquam reluctatos igne ferroque ita grassatur, ut in armis facilè ira vindictæ appareret. Nulla sexûs, nulla ætatis ratio habita est. Donec fessi tot calamitatibus Prussi pristinæ tributorum Polonicorum tolerantiæ se submiserunt. Ultimum bellorum Casimiri fuit. His temporibus Pomerellia à Samborii Slavonii Ducis filiis ac nepotious

regebatur. Quorum unus Subislaus ex Cassubiorum principibus religionē Christianam primus suscepit, circaque annum Christi 1170. monasterium Olivense condidit. Coaluit tum quoque ad Vistulam fluvium, quà Rodanum & Motlavam amnes ille recipit, ex tuguriis piscatoriis oppidum, vulgò Dantzig/ postea Latinè loquentibus Gedanum & Dantiscum appellatum, quod commoditate sitûs, majorem deinde hominum multitudinem concivit, tandemque, faventibus cœli auspiciis, in eam magnitudinem excrevit, ut inter præcipuas Europæ Urbes, & emporia celeberrima iure numeretur.

Casimirus ad pacis artes & religiones versus, dum S. Floriani à Pontifice impetratas reliquias ac memoriam festis epulis celebrat, hausto forte poculo repente concidit, & brevi post intervallo extinguitur. Suspicio quorundam fuit, medicamento aliquo infectum fuisse poculum à fœminâ, quam deperibat Casimirus, mulierosior paulò, cætera optimus Princeps.

CAP. XI.
DE LESCO ALBO, ET MIECISLAO.
AB ANNO cIↃCXCV. AD ANN. cIↃCCXIII.

Lesci cum patruo Miecislao concertationes qui ter ad regnum emergit, ter dejicitur.

CAsimiro mortuo post multas Procerum concertationes ad filium tandẽ Lescum defertur principatus. Sed quia is per ætatem nondum par tantis gubernaculis erat, adjunguntur puero Helena mater, & Antistes, PalatinusqueCracoviensis. Interim patruum Miecislaum ambitio & contemptus sui dolor vecordem agebant per Poloniam Majorem & Silesiam. Collecto mox isthic exercitu Cracoviam properat: Cui Palatinus Cracoviensis, advocatis in auxilium Russis, occurrit. Venit res ad prælium, non acre minùs quàm impium, cum, scissâ in partes Poloniâ, fratres affinesque adversis è castris pugnarent. Russi ibi cæduntur. Romanus illorum dux saucius ac semianimis penè prælio excedit. Vulneratus etjam

jam tùm Miecislaus eſt, & filius ejus pàulò ante haſtâ trajectus, oculos penè paternos cruore reſperſerat. Interim Sileſii duo duces in auxilium Miecislao ſuperveniunt. Quibus ſe Govoricus Palatinus Sendomirienſis, qui priori prælio in ſubſeſſis fuerat, opponit. Inclinantes tùm capto Govorico Polonos nox adverſæ pugnæ exemit. Sileſii ſeu Miecislaum, qui ſaucius domum vehebatur, ſequuti, ſeu partæ gloriæ nolentes denuò facere periculum, erectis trophæis, domum quoque abeunt. Ita tum quidem irritus fuit Miecislai conatus. Aliquot annis poſt inſtaurare idem animum in novæ ſpem fortunæ cœpit. Cujaviam, Caſimiri liberorum patrimonium, occupat. Idque ei impunè fuit per ætatem poſſeſſorum, & Palatini Cracovienſis & Sendomirienſis diſſidia. Cum ſic primus conatus proveniſſet, ad majora mox fraude in auxilium aſſumptâ progredi ſtatuit. Helenæ Leſci matri per legatos arrepit, demonſtrat mulieri jus ſuum, idque perſequendi vires contra Leſci ætatem teneram, curatorum ejus diſſidia, denique petit, patruo potiùs quam aliis tutelam permitteret Leſci,

quem

quem adoptare, destinare successorem, restituta cæteris fratribus Cujaviâ, pollicetur. Impar fuit Miecislai versutiæ Helena, & minis vim ostentantis mota est, ut promissis crederet. Reliqui etiam Proceres, quanquam aliquandiu reluctati, consentiunt tandem in Miecislai restitutionem, eâ tamen lege, ut promissa ille sua jurejurando sanciret. Ita secundùm principatu potitur Miecislaus, sed in id, ut amittat iterum.

II. Is enim, quantum paulò ante verbis prolixus, tantum postea re ipsa atque operâ defecit, sermone innuens subinde; fidem servare eorum tantum esse principum, quibus frangere aut non integrum, aut non necessarium esset. Sed Helena quoque, ut ante credula nimis, ita promissorum acris nunc exactrix fuit. Elusa aliquandiu, tandem ad vim proclamavit. Invenit facile fautores simplicitate lapsa mulier, contra Miecislaum imprimis, qui ut clientes suos ornaret, alios quosdam possessionibus suis dejecerat. Ad quas isti novis rebus, mutatoque principatu redituros se sperabant. Conjurat Palatinatus Cracoviensis duce ipso Palatino, occupa-

tur urbs abſente tum forte Miecislao, recipiturque Helena cum Leſco filio. Ita vides denuo exortem principatûs Miecislaum. Sed excedit penè fidem, vel fortuna viri hujus, vel Helenæ pluſquam muliebris credulitas. Ecce enim hæc iterum mox decipitur, ille iterum regnat. Neſcio quas remoras fidei ante non exolutæ cauſſatus, ſanctè jam pollicetur omnia, quæ promiſiſſet, præſtiturum. Adductæ iterum eò mulieri, ut cederet principatum, perſuadet jam porrò, ut Palatinum Cracovienſem, Nicolaum amoveret, quaſi ducem ſeditionum, & ſub ſpecie egregii publici, privatæ utilitati ſtudentem. Ut minus reluctaretur fœmina, juvant alii, Nicolai illius faſtigium pridem ægrè ferentes. Ille purgare ſe Helenæ meritorum ſuorum ac fidei oſtentatione diu niſus, obſtinatâ muliere, ad Miecislaum confugit, quanto ante hoſtem, tanto ambitioſius nunc amicum. Nicolai authoritas traxit pleroſque alios. Miecislaus tertiùm jam princeps fruſtra promiſſorum ab Helena admonitus, Vislicienſe porro territorium illi adimit. Eâ conſtantiâ fuit. Sed paulò poſt receptum imperium, finem

nem histrioniæ suæ & vitæ simul fecit, vir inter ornamenta ac dedecora alternâ vice versatus, & eam plerumque fortunæ fidem expertus, qualem aliis præstabat.]

CAP. XII.
DE ULADISLAO LASCONOGO. ET LESCO ALBO.
AB ANNO cIↃCCIII, AD ANN. cIↃCCXXVII.

Duo eliguntur. quorum alter alteri cedit. Cometes. Tartarorum primæ in Russiam incursiones. Pomeraniæ Suentopelcus præficitur. qui deficiens Lescum interimit, Cruciferi in Prussiam vocantur.

VTi vivo Miecislao, ita mortuo adhuc inter ambiguos dominos vacillavit Polonia. Reliquerat ille filium Uladislaum, qui à gracilitate pedum Lasconogus dictus (nam alter filius Otho, paulò post patrem obierat, relicto filio Uladislao sputatore :) & Lescus quoque Helenæ filius toties à Miecislao dejectus supererat. In hunc primum sententiæ procerum con sensêre, uno Nicolao Palatino Cracovi-

ensi, ejusque fratre Episcopo repugnantibus. Et hi tandem patiebantur principatum Lesco deferri, hoc stipulantes, ut Govoricium Palatinum Sendomiriensem, æmulum ipsorum in exilium amandaret. Verùm Lesco displicuit principatus, quem amici injuriâ emendum haberet. Itaque annitente Nicolao, cui hæc tanta Lesci benevolentia in Govoriciũ tantò formidabilior erat, princeps creatur Lasconogus, vir eô maxime nomine dignus principatu, quod eo postea digniori Lesco libens cessit. Nam cum imperante jam Lasconogo, Lescus feliciter in Romanum Haliciensium ducem, Lublinensis provinciæ vastatorem, & jam trajecto Vistulâ, Sendomiriæ imminentem pugnasset, sequutus est fortunam favor Polonorum, & Lasconogo non repugnanti, surrogatus Lescus: mortuis jam maximis hujus adversatoribus, Palatino Episcopoque Cracoviensi, quorum huic Vincentius Cadlubcus successit, vir pro seculi sui ingenio eruditus, primusque historiæ Polonicæ conditor. Lescus, quod prælio meruit, pace tenuit imperium, lenis ingenio, ut alios non impeteret, felix, ut non impeteretur

retur

retur. Sub ejus initia Cometes apparuit, minax plerumque imperiis prodigium, tum vero haut dubie Tartaricæ procellæ nuncius, quam eo tempore à mari Caſpio & monte Imao Aſia in Cherſoneſum Tauricam primùm, mox in Podoliæ Ruſſiæq; fines effudit, magnam & ſequuturis etiam poſtea ſeculis ineluctabilem Poloniæ calamitatem. Gens enim juſti belli ignara, ferarumque inſtar pauperiem tantùm vicinis inferre nata, ipſâ inopiâ & fugacitate ſuâ invicta eſt.

II. Cæterùm Leſco huic frater erat Conradus, cui Maſoviam & Cujaviam conceſſit. Pomeraniæ Suentopelcum præfecit, ea lege, ut jus quidem diceret provinciæ, ea tamen Polonis maneret vectigalis, juraretque in verba principum Poloniæ. Sed utrumque hoc Leſci beneficium malo omine datum eſt, & alterū Leſco ipſi interitûs, alterum toti Poloniæ magnorum malorum cauſſa extitit. Nam Suentopelcus paulò poſt fortunâ ſua corruptus fræna momordit, Leſcumque bellum illi meditantem, & fortè aliquando inter Comitia in balneo lavantem, oppreſſit interemitque. Aderat tum Leſco

Henricus barbatus Dux Uratislavienſis; ſed hic proſtratus ab emiſſariis, quia pro mortuo habebatur, vivus evaſit. Ex eo tempore Suentopelcus Ducis ſibi Pomeraniæ nomen adſcivit. At frater Leſci Conradus, defendendæ àPrutenorum incurſibus terræ ſuæ impar, fratres Theutonicos (quos Cruciferos vocant) è Syria tum à Sarracenis ejectos, in auxiliũ contra Pruthenos, data ad tempus terra Culmenſi, vocavit, ſtipulatus viciſſim, ut quicquid illi in Pruſſiâ occupaſſenr, ex æquo ſecum partirentur. Ea res magnorum poſtea ac difficilium bellorum tempeſtates Poloniæ concivit, uſitato ferè imperiorum fato, magis uti illis formidabiles fiant, vocati in auxilium populi, quàm fuerant hoſtes, contra quos vocabantur.

CAP. XIII.

DE BOLESLAO PUDICO.

AB ANNO cIↄ CCXXVI. AD ANN. cIↄ CCLXXVIII.

Pudici pueritia, & ſub tutoribus miſeriæ. Ejus caſtitas. Tartarorum prædationes per Poloniam, & Sileſiam. Bella inteſtina. Iazyges. Lituanorum incurſiones. Turbæ inter Sileſiæ duces.

Cum Lescus filium Boleslaum, sed adhuc tenerum reliquisset, Henricum Barbatum, & Conradum de tutelâ hæredis aliquot annis certantes spectavit sensitque Polonia. Ipse puer inter agnatorum studia variè raptatus, & Conradi etiam carceres expertus, vix tandem post multas difficultates ad regnum eluctatus est. Atque id jam pater ei minutius reliquerat, cum provinciarum aliæ Miecislai Senioris filiis, aliæ Conrado cessissent. Ut ad Boleslaum quidem tum nihil præter Cracoviens. & Sendomir. Palatinatus perveniret. Princeps factus, Cunegundin, Belæ Ungarorum Regis filiam uxorem duxit. Sed cum primis nuptiarum diebus intactam reliquisset, consensum utrinque est postea in perpetuæ virginitatis sacramentum. Unde Boleslao Pudici nomen. Hoc principe Tartarorum rabies primò, sed eo multiplici impetu per Poloniam desæviit. Pervagati enimLublinensem oram, & trajecto Vistulâ Zavichostum usque progressi, graves in Russiam prædas deportârunt. Mox inde post deposita onera revertentibus corporum suorum objectu viam præcludere tenta-

bant Cracovienſes & Sendomirienſes. Sed hi ad Schidloviam oppidum profligati ſunt, immaniuſque hinc & velut perruptis obicibus, ferociùs ſe crudelitas ſævisſimæ gentis diffudit. Non ſatis in prædam graſſanti fuit Polonia, in Sileſiam quoque ſuperato Viadro tranavit. Illic circa Ligniciam Ratiboriæ & Opoliæ Duces, junctis cum Cruciferorum & Majoris Poloniæ exercitu copiis, ſumpſerant animos eundi in barbaros. Sed pariter infelix fuit, quanquam acerrimè pugnantium fortitudo. Cæſi ibi Henricus Pius Uratislavienſium poſt Henricum patrem dux, Boleslaus Moravorum Ducis filius, Poppo Cruciferorum Magiſter, aliique ſpectati viri. Jam cæterorum militum tanta multitudo occidit, ut à Tartaris præciſæ cæſorum ſingulis ſingulæ aures novem capaciſſimos ſaccos ferantur implêſſe. Ut excitet penè nobis hæc tempeſtas cladis Romanæ apud Cannas memoriam, cum Annibal equitum Romanorum annulos, inſignia nobilitatis, Carthagini ſuæ modiis admenſus eſt. Sed porro ut illic vento, pulvere, ſole adverſo pugnârũt Romani, ita ſe hic externa aliqua, & humanâ

manâ major vis prælio creditur miſcuiſſe. Tradunt enim authores, concuſſum inter pugnandum ex ſignis Tartarorum unum fumi ac nebulæ tanta ſparſiſſe volumina, ut proſpectum omnem adverſæ aciei eriperet. Quod mirum, non difficile tamen creditu videbitur ei, qui ſciverit, Tartarorum gentem veneficiorum minimè rudem eſſe.

II. Percuſſa tanta clade Polonia, magis etiam miſera erat, quod principe carebat. Nam Boleslaus, ubi alterius Tartariæ calamitatis rumor increpuit, in Ungariam cum ſuis transfugerat. Nec diu poſtea comparuit. Inde Boleslao Calvo Henrici Pii filio, Principatus decernitur. Quod ægrè ferens Conradus Maſovius, vix benè datum Calvo ſceptrum ſibi vindicavit. Sed hujus quoque impotens dominatus odia mox incurrit, movitque Polonos, ut Pudicum requirerent. Qui reverſus, recipit imperium, cum Conrado duplici prælio confligit, uno victor, altero victus, uſque tamen per fidem procerum quorundam, poteſtatis ſupremæ retinens. Mortuo paulò poſt Conrado, quieta quæ ſub Pudico erat, Polonia fuiſſet,

ſet, niſi qvæ in Majore Polonia inter Mie-cislai ſenioris Conradique poſteros arsêre, & maximè Sileſiorum Ducum graviſſima inter ſe certamina, aliquam quoque turbarum contagem viciniæ afflâſſent. Inprimis verò in Sileſia Boleslaus Calvus, à quo ſui defecerant, in tractu Cujavienſi Caſimirus Conradi Maſovii filius, quietẽ publicam turbabant.

III. Diſtrictis ita circa domeſtica mala Polonis Sileſiiſque, novus iterum mox turbo ab Oriente inſonuit. Tartarorum enim ingens vis Lublinenſem terram vaſtabat, notiſque jam & nupero cruore velut ſignatis viis progreſſa, Zavichoſtum, Sendomiriam, Cracoviam, & quæ ultra hanc, populabatur. Erant in caſtris Tartarorum duo Ruſſorum duces Leo & Romanus, ſcelerique fœdorum gentilium ducatum ac potentiam in Chriſtianos Chriſtiani ipſi præbebant. Sed reverſis quoque ad ſua Tartaris, hi quaſi tardiùs ſatiarentur, repetitis ſubinde incurſionibus, Poloniæ partes, Maſoviam inprimis, infeſtavêre, Lithuanis jam quoque ſuccincti & Iazygibus, populis ea tum parte poſitis, quæ hodie Podlaſſia appellatur.

Sed

Sed postremi hi quasi in fatum suum lacessissentPolonos, internecione penè tum à Boleslao excisi sunt. Lithuani domum reversi & ob necem DucisMindaci mutuis se cædibus lacerantes, internis discordiis relinquebantur. In Russos sumptum bellum est, Boleslai tamen magis auspiciis, quàm ductu. Nam Petro Palatino Cracoviensi summum belli regimē commissum fuit. Qui in hosticum progressus, Russos Suarnone duce contra venientes, quibus & Tartarorum ingens manus accesserat, commisso eminus cominus prælio, insigni victoriâ ultus est.

IV. Post hæc major Polonia Duce Boleslao CalissiensiumDynasta cumBrandeburgicis Marchionibus bellum exorsa est: minor intestinis dissidiis laborare cœpit. Erat tum Cracoviensium Antistes Paulus Polucosius, vir avaritiâ, libidinibus, venandi prurigine muneri suo dedecorus. Hunc operâ duorum juvenum ex Toporum gente captum Lescus Niger carceri incluserat, jussu vel saltem permissu Pudici. Post annitente Gnesnensi Archiepiscopo dimissus, vindictam parat, collectisque, qui fortunæ inopes, moribus turbidi,

turbidi, licentiam ſcelerum bello civili ſperabant, in principem conſpirat. Inficit ea labes bonos etiam quoſdam vel pridem aliquibus Pudici moribus offenſos, vel offenſis aliis credulos. Juvitque ſeditioſorum conſilia Boleslai abſentia, qui tum cum Bohemo in Sileſia de reſtituendâ Polonis Opavia, agebat. Nec mora. Deferunt Conjurati principatum ad Uladislaum Opolienſium ducem; illoque poſtulante, ut quotquot ſe principem vellent, ad ſe Opoliam venirent; iter ingrediuntur. Euntes & ſecuritate vagos adoritur in vicino tum agens Pudicus, nullo juſto milite, ſed ſolo procerum aulicorum quorundam comitatu: Et ſuffecit ad comprimendos rebelles illa fortunæ regiæ moles. Inde in Uladislaum receptorem ſeditioſorum itum eſt, & direptæ ejus ditiones. Cruduiſſentque in juſtum bellum odia inter cognatos, niſi Boleslai Caliſſienſis prudenti opera ſopita maturè forêt. Tandem reſtitutâ minori Poloniæ quiete, Maſovia, Cujavia, & his adfines provinciæ Lithuanorum & Pruthenorum incurſione concuſſæ ſunt. Feruntur tum quadraginta hominum millia abducta.

In Silesia verò, si unquam, nunc maxime Duces cognati ferrum parricidiale inter se strinxêre. Autor turbarum præcipuus Boleslaus Calvus fuit, qui cum Henricum Uratislaviæ Ducem dolo cepisset, quosdam Silesiæ Principum, Pudicum etjam aliosque Poloniæ Duces in se concitavit. Tandem quoque in illum Uratislavienses Bohemorum regem Ottocarum vocarunt, datâ regi ad tempus ditione Glacensi. Ejus autoritate lis inter duces utcunque composita est, & præter Henricum Premislus quoque, Posnaniensium Dux, quem in prælio nuper ceperat Calvus, dimissus. Eundem Ottocarum Cruciferi excivêre in Prussiam, quam eo tempore Mendocus, Lithuanorum dux, acerrimè pervastabat; magnis Prussorum ipsorum copiis, odio Christianæ religionis, & novi Cruciferorum regiminis, arma Lithuano socianțib9. Quò Regi Ottocaro Marchiones, Moravus, & Brandeburgicus, Episcopus item Olomucensis comites ivêre, magnam omnes hominum multitudinem Crucis sacramento auctoratam ducentes. Subacta tum Prussiæ ea pars, quæ Sambia vocatur, & ut eò forti-

ore

ore fræno coërceretur in posterùm, extructæ duæ Arces, quarum altera ad Bregelam sita, in honorem Regis Ottocari, *Mons Regius*, vulgò apud Germanos Königsberg/ altera à Brunone, Episcopo Olomucensi, Brunsberga appellata est. Sub id tempus movit denuo in Brandeburgicum Boleslaus Calissiensis, fusoque Othone Longo Marchione, latè Marchiam populatur. Sed paulò post reversus inde febri extinguitur. Quem eodem quoque anno Pudicus consequutus est, princeps ingenio mitis, vitâ integer, cæterà infelix, & calamitatibus ferè quam rebus gestis nobilior.

CAP. XIV.
DE LESCO NIGRO.
AB ANNO cIↃcCLXXIX. AD ANN. cIↃcCLXXIX.

Cum Russis bellum. cum Henrico Vratislo-viensium Duce cum Lithuanis. Iazygum internecio. Sendomiriensium seditio in Nigrum. bis iterata. Cracoviensium fidelitas.

Boleslaus

BOleslaus Pudicus, cum ob virginitatis votum nullum genuisset, fecit sibi judicio successorem. Is erat Lescus Niger ex fratre ipsius patruele ortus. Poloni alii libentes acquiescebant adoptione Boleslai, alii reluctati nonnihil, tandem pertinaciam temporibus Reipublicæ submisêre. Russi enim tum omnium animos in se adverterant. Qui Tartarorum Lithuanorumque viribus succincti, Duce Leone, immaniter Poloniam vastabant. Hos Varsius Castellanus Cracoviensis cũ suo & Sendomiriensium Palatino temerè aggressus, feliciter tamen ad Goslicium pagum fudit. Eosdem collecto majore exercitu persequitur Lescus, & ad Leopolin, quæ ab hoc Leone nomen habere videtur, progressus, vicissim se quoque ultione & sanguine explet. Inde in Henricum Uratislaviensium ducem, cognomento Probum, sed tum nomini malè respondentem, movet. Caussa belli erat Henrici in patrueles suos, cognatos Lesci, impia fraus, quos per speciem colloquii evocatos Bariciam, vinclis oneraverat. Lescus cum multam agris Uratislaviensibus vastitatem attulisset, captos tamen

men haut liberare potuit: ipsi se paulò post concessis, quæ Henricus postulabat, quamquam iniquis, exemêre. Eo tempore infudit se denuo in Poloniam gens Lithuanorum, & quicquid adhuc Iazygum supererat. Quos contra cum veniret Lescus, recedentes repperit, tardo tamen ob prædam agmine. Dubius an hostem persequeretur, somnio animatur, mox eâdem fiduciâ incensos suos vestigia barbarorum legere jubet. Hi fulgentibus ex propinquo Lesci signis, quanquam in re subitâ attoniti, parant se tamen pugnæ. Mox incurrentium Polonorum impetum fortiter excipiunt, cum subito eos captivi à tergo adoriuntur; viri arreptis, quæ sors dederat, telis, fœminæ truci ululatu. Fertur & canum, quos secum abduxerat, morsibus impetitus hostis; pulcherrimo spectaculo, cum Polono, numero hominum impari, bestiæ militarent. Perculsos undique & in fugam effusos persequitur cæditque Lescus, donec sylva & oborta nox finem poneret. Acriùs cæteris tum Iazyges pugnaverant, unde occidione omnes periêre. Ut hodiè nonnisi nomen supersit.

II. Sed

II, Sed pulcherrimæ victoriæ decus civiles coorti metûs penè temeraverunt. Sendomirienses enim jam olim Lesco iniqui, autoribus Johanne Palatino & Crispino Castellano, cum quibus & Paulus Cracoviensis Episcopus trahere se dicebatur, spreto Lesco, Conrado Masoviæ duci, se submisêre. Verum hunc venientis subitò Lesci fama in Masoviam repulit, minace tamen belli & majoris apparatûs fugâ. Lescus procerum primis prudentiâ & comitate reconciliatis, reliquos, ut gratiam principis sponte quærerent, coëgit. Interim Lithuani vires recollegerant, & Poloniam ingressi ad Sendomiriensem usque terram latè omnia vastabant. Hos iterum fortiter adortus Lescus feliciter repulit, convincens veluti ingrati animi suos, & antea ipsum principem aspernatos, & mox aspernaturos. Surrexit enim denuò male obrutum seditionis incendium, & majore flammâ è dolosis velut cineribus erupit. Accivisse barbaros principis odio credebatur Paulus Episcopus Cracoviensis, unde iterum captus & iterum dimissus, magnisque immunitatibus donatus est à Lesco. Sed ut plerumque homi-

homines injuriæ quam beneficio malumus vicem exſolvere, adeò non mitigatus eſt muneribus Leſci Antiſtes, ut tantò etiam acriùs omnium animos, quà poſſet, in principem acueret. Atque ejus nefaria conſilia, quod mireris, ſecuta eſt pleraque, quæ ſub Leſco erat, Polonia. Iterum accitur Conradus, venientique Cracovienſium ac Sendomirienſium proceres obviam procedunt. Sola urbs Cracovia ab illo rebellionis contagio intacta manſit, & quamvis magna præmia polliceretur Conradus, dira quoque minaretur contumacibus, neutro tamen modo in deſertionem Fidei corrumpi potuit. Obſeſsâ à rebellibus urbe, & mox incenſâ, cives in arcem ſe recipiunt ſpe Leſci ſe ſuſtentantes, qui ſub initium ſtatim motûs, ad Uladislaum Ungarum, quærendo opere confugerat. nec multô poſt adeſt cum exercitu, cui opponit longè majorem Conradus. Sed voluit bellorum arbiter Deus, ut unde jus, inde victoria ſtaret. Leſcus debellatis & veniam orantibus ſubditis magna facilitate ignovit. Cracovienſium conſtantiæ gratiæ ingentes habitæ, inprimis Germanorum

quorum

quorum fide arcis custodia potissimùm steterat. His urbis regimen tradidit Lescus, habitu quoque eorum assumpto favorem suum testatus.

III. Felix erat Lescus, si ut subditis suis, ita Conrado benignum se præstitisset. Sed huic implacabilius irascēs, recondiderat odium, quod captatâ mox occasione, prompsit. Dobrinum tum Lithuani incurrerant, fratris sui Ziemoviti oppidum. Huic quasi opitulaturus, in Masoviam deflexit, igneque ac ferro latè grassatur. Redeuntes cum prædâ milites plurimos in trajectu fluminis aquæ hausêrunt. Sed mox major calamitas sequuta est. Tartari enim iterum magnâ & miserabili diluvie Poloniam inundarunt, Tot tum homines abducti feruntur, ut cum reversi Barbari in Russiam circa Ulodimiriam recognoscerent prædam, ultra viginti millia innuptarum virginum numerata sint. Nec Russis impunè fuit toties immanissimam gentem juvisse. Ferunt enim à transeuutibus Tartaris immissis humanis cordibus, quæ veneno imbuerant, infectas aquas nova morborum genera peperisse, quorum ut caussa diu fefel-

fefellit medicos, ita ſoboles hodièque in inexplicabili tricarum contage, quam Plicam vocant, creditur vulgò ſupereſſe. Cæterùm Leſci animum nondum publica mala mitigaverant. Iterum Conradum laceſſit, miſſo in Maſoviam Palatino Siradienſe. Sed hunc ex Maſovia cum prædâ regredientem ſecutus Conradus, incautum opprimit necatque. Ac miles prædator præda mox Maſoviis fuit. Leſcus ipſe paulò poſt ex mœrore animi periit, princeps inter laudatos cenſeri meritus, felices etiam, niſi finis inclinaſſet, cujus maximè ſemper meminimuus.

CAP. XV.
DE INTERREGNO, ET PREMISLO REGE.
AB ANNO cIↃCCLXXXIX. AD ANN. cIↃCCXCVI.

Polonia variè diſcerpta. Premislus emergit & Regium nomen recipit. mox clam interficitur.

LEſcus abſque liberis deceſſerat. Inde regnatarum ab eo ditionum imperium

um variè priùs, quàm certis iterum velut humeris ſederet, agitatum eſt. Siradienſem Palatinatum Uladislaus Locticus frater Leſci obtinuit. Cracovienſes & Sendomirienſes Boleslaum Ducem Plocenſem, Conradi Maſovii fratrem, ad Principatum vocaverunt. Sed hunc mox Henricus, Uratislavienſium Dux dejecit; dejectus ipſe quoque ad tempus à Loctico, paulò poſt verò reſtitutus, morte inſtante, hæredem harum Provinciarum ſcripſit Premislum, Majoris Poloniæ Ducem, cui recens Pomerania quoque teſtamento morientis Mieſciugi acceſſerat. At huic Henrici quidem hæreditatẽ ambiguam faciebat Gryphina, Leſci Nigri uxor, quæ in duos illos Palatinatûs ſibi à marito donatum, ut ferebat, jus Venceslao Bohemorum Principi ſororis ſuæ filio transſcripſerat. Ceſſitque Cracovia Bohemo. Sendomiriam Locticus ſibi armis vindicabat. Penes Premislum tamen majoris Poloniæ & Pomeraniæ Dominum, inter tot æmulos, ſummi Principis autoritas manſit, cui mox & regia dignitas acceſſit. Omiſſa ea in Polonia fuerat ducentis, & ultra annis. A temporibus

ſcilicet Boleslai Audacis, ob quem Pontifex, Regnum quoque ipſum execrationibus devinxerat. Poſt & hoc relicta ſubinde â dominantibus numeroſà ſobole, in tot qrincipes diviſum fuit, vix ut horum quiſquam regio nomini eſſet ſuſtinendo. In Premislum hunc quia plures provinciæ felici ſucceſſione coiverant, dignum ſui judicârunt, qui diadema Regium geſtaret. Quod ei Gneſnæ ſolenni ritu Jacobus Swinka, Archiepiſcopus impoſuit. Rex factus Premislus, cœperat curas eo nomine dignas agitare. Sed eas nimiū præcox & quaſi Poloniæ invidens fatum ſubitâ morte abrupit. Septimô enim poſt ſuſceptum regnum menſe, dum Bachanalium diebus apud Rogosnum, Marchiæ vicinum locum, ſecuriùs agit, à manu emiſſariorum, quam Brandeburgici Marchiones ſorore Premisli geniti ſubornaſſe dicuntur, oppreſſus periit.

CAP. XVI.

DE ULADISLAO LOCTICO.

AB ANNO cIↄccxcvi. AD ANNUM cIↄccc.

Loctici in Silesiam expeditio. quæ discordiis atterebatur. Locticus degenerat. & regno dejicitur.

OCciso Premislo omnium electus suffragiis Uladislaus Locticus, non tamen solenni ritu inauguratus est: nec Regis, sed hæredis Poloniæ nomẽ assumpsit. Incertùm quâ de caussa, an fatis rem ita adgubernantibus, ut faciliùs eripi indigniùs se gesturo nondum plenè datum imperium posset. Prima ejus expeditio in Silesios fuit, favore in Bohemum regni æmulum ipsi adversos. Quorum terram cum exercitu ingressus, longè lateque populatur. Id eò proclivius Loctico fuit, quod principes Silesiæ domesticis turbis districti, in commune non consultabant. Boleslaus enim, Suidnicensium Dux, in Conradum Glogoviensem bellum parabat, Henrici Uratisla-

viensis caussâ, quem Conradus fraude captum, teterrimi carceris squallore primo ad iniquissimas conditiones, tandem ad mortem adegerat. Reversus ex Silesiâ Uladislaus otii ac voluptatum saginæ se dedit. Milites quoque rapinis assvetas manûs ne â suis quidem abstinebāt, principe non ad hæc tantùm connivente, sed ob libidines privatas omnis jam publicæ rei incurioso. Tandem ita gravis Polonis esse cœpit, ut imperium tribus annis administratum ei abrogarent. Felicem hanc calamitatem Loctico fuisse eventus docuit: quippe quâ velut stimulo admoto animus, qui inertiâ penè elanguerat, virtutis suæ admonitus est.

CAP. XVII.
DE VENCESLAO REGE; AB ANNO cIↃCCC. AD ANN. cIↃCCCV.

Venceslaus è Bohemia accitus Rex inauguratur. Locticum persequitur. Qui redux moriente Venceslao restituitur.

AMoto Loctico, accitur in Poloniam Venceslaus Bohemorum Rex, cin-

ctusque Regio diademate munimentum suæ, ut exoticæ dominatione petit à conjugio, ductâ in uxorem Rixa Premisli Regis filiâ. Inde Locticum persequitur, adhuc tum in Polonia, sed occultè & incertis latebris vagum, mox in Ungariam atque inde Romam profugum. Remoto æmulo, ipse in Bohemiam abit, constitutis, penes quos rerum summa esset, præfectis. Venceslao absente, Sendomiriensibus & Cracoviensibus animus incessit, Russos toties Poloniam depopulatos, & recenti quoque injuriâ exosos, ulciscendi. Pugnantibus, quanquam sine Rege, auspicium fortunæ non defuit. Fusis enim prælio Russis, quibus Tartari quoque auxilio venerant, Lublinum, quo quinquaginta annis Poloni caruêre, ereptum est.

Dum hæc in Polonia aguntur, Locticus in Ungaria apud Amedeum Palatinum agens, imminebat adhuc occasionibus regni recuperandi. Compertoque, dominationem Bohemorum gravem esse Polonis, & Venceslaum filii caussa in Ungaros moliri bellum, collectâ manu Ungarorũ & Amedei hospitis ope adjutus, in Polo-

niam venit, Pelciscam mox, Visliciamque & quæ circumjecta loca sunt, occupat. Sed luctanti ita inter initiorum veluti rimas magnum post ostium aperuit, secuta sub id tempus mors Venceslai Nam fato Regis, Bohemis quoque, qui passim civitates Poloniæ præsidio tenebant, cecidit animus: & capita urbium, Cracovia ac Sendomiria, Loctico facile cessere. Ibat tamen manu assertum patrium regnum Venceslaus junior è Bohemia non exiguam manum ducens, ac, si imperium detrectetur, bello certaturus. Sed ille dum Olomucii fortè sub meridiem somno indulget, occiditur. Autor cædis in ambiguo est, quanquam fuêre qui Alberti Imperatoris scelus suspectabant. Ex hoc tempore Bohemis externi Reges imperitârunt.

CAP. XVIII.

DE ULADISLAO LOCTICO.

AB ANNO cIↃCCCV.
AD ANN. cIↃCCCXXXIII.

Loctico

Loctico redditur regnum. Pomerania Marchionibus proditur. contra hos Cruciferi vocantur in auxilium. qui ex sociis mox hostes. Cracoviensium seditio. Silesia Bohemiæ innexa. De Cruciferis victoria. Autor Gentis Zamoscianæ.

MOrte utriusque Venceslai, Loctico armorum pro recuperatione imperii necessitas remissa est; & diffugientibus passim Bohemorum præsidiis, sponte se illi subdidêre Poloni. Soli Posnanienses & Calissienses, memores vitiorum ejus, fortèque etiam vindictam metuentes, regnum dare ignominiâ accenso renuebant. Itaqne Henricum Glogoviensium Ducem sibi adsciscunt, hoc pejus merentes de Loctico, quòd sine illis coronari non posset. Quippe Gnesnæ, ditionis ipsorum urbe, Regia diademata asservabantur; & in illis partibus erat Archiepiscopus. Locticus levi incursione correptis adversariorum agris, ad Pomeranos tendit, acceptoque ab omnibus sacramento, Gedanensibus Bogussam judicem, cæteris Premislum & Casimirum duces, Ziemomisli fratris filios, præficit. Postquam

 inde

inde abiisset, cepit prodendæ Marchionibus Brandeburgicis Pomeraniæ consilium Petrus Cancellarius Pomeraniæ, Palatini Gedanensis filius, homo factiosus & tum Loctico, nescio ob quam repulsã, infensior. Idem tum captus inter prima molimina, mox tamen deprecatione fratrum dimissus, beneficii immemor, ignominiam ulcisci statuit. Ejus ergo fratrumque ope accitis paulò post Marchionibus, pleræque civitates Pomeraniæ traduntur, Gedanum quoque ipsum, solâ arce relictâ, quam Bogussa tutabatur. Hic, urgente obsidium hoste, ad Locticum magnâ celeritate contendit, & de statu rerum edocto, svadet Cruciferos vocare in auxilium, qui jam, amissâ Ptolemaide, spes opesque pene omnes in Prussiâ locare cœperant, sede Magistrorum suorum, Mariæburgum, tum recens exstructum, translatâ. Annuente Loctico Bogussa reversus Cruciferos in arcis dimidiæ regimen recipit, hâc lege, ut unius anni defensionem suis impensis tolerarent, hoc elapso, quicquid porro insumeretur, Regi ferrent expensum. Juncta ita cum Cruciferis manu, non arx tantum Gedanensis de-

ſis defenſa, ſed urbs quoque recuperata eſt. Verùm repulſo hoſte, inſurgere paulatim Cruciferi, arcis univerſum regimen in ſe trahere cœperunt: fruſtra repugnante Boguſsâ, aut cæteris, quorum ut quisque potentior aut obſtinatior erat, carcere multabatur. Moniti à Vladislao, & præſentes in conventu apud Cujaviã habito, injuriarum poſtulati, ingentem atque iniquam pecuniæ ſummã poſcebant: quam abnuente Vladislao, ad vim bellumque apertum erupêre. Diſtinebatur tum Vladislaus bello civili contra Henricum Glogovienſem: quod ſpem dabat Cruciferis occupandæ totius Pomeraniæ. Primo impetu adoriri oppidũ Gedanenſe placuit, quod aliquandiu à Pomeranis defenſum, tandem civium quorundam Theutonici generis operâ proditum eſt. Inde Derſavia, cui Caſimirus, Loctici cognatus præſidebat, capta, & Suecium ingenio ſitûs & arte munitiſſimum Caſtellum, longâ obſidione expugnatum. Quod pleraque alia ſecuta ſunt.

II. Dum hæc apud Boruſſos aguntur, Polonia major pertæſa dominationis Henrici, & perpetuarum belli calamita-

tum metuens, Vladislao ſe dedidit, miſſuſque, id ut impediret, ab Henrico Biberſteinius, à Samotulio, Palatini de Poſnanienſe profligatus eſt. Sed rara ſine mali mixrurâ felicitas: plerumque lancis inſtar, unâ parte attollitur, ut altera deſidat. Sic Vladislao, cum pars Poloniæ faſces ſubmiſiſſet, altera cœpit rebellare. Cracovienſes enim cives, Alberto advocato autore, Boleslao duci Opolienſium urbem ſuam ſubdiderant, arcemque in ſocietatem flagitii trahere certabant. Sed Bolesłaus, miſſis à Loctico legatis, & mox vi ingruente perculſus, properè urbem deſeruit, comitantibus eum plerisque, qui ſeditioni claſſicum cecinerant. Victor ante quàm adventaret, Locticus, cum venit, ſentire urbem voluit, quid peccaſſet. Profugorum bona in fiſcum rèdacta ſunt; cæſi, qui è ducibus rebellionis remanſerant, univerſæ civitati jura imminuta.

III. Cruciferorum interea ut potentia, ita potentiæ cupido gliſcebat. Pomerelliam omnem tenebant, & ut jure tenere viderentur, primò Loctico; hoc abnuente, Marchionibus pecuniam offerunt.

Qui ut vendere jure non poterant, quod per injuriam nuper occuparant, ita pretium libentes accepere pro eo, quod jam ipsis vi erat extortum. Poloni verò irritati tot injuriis, antequam armis se vindicarent, svasu Episcoporum, quibus ablatâ Pomerelliâ non modici proventûs interciderant, Pontificis Romani, qui Avenione tùm agebat, judicium implorârunt. A quo toto quadrienni labore, vix tandem impetratum est, ut deligerentur, quorum arbitrio disceptaretur caussa tam gravis. Ab iis secundum Polonos data lis est, jussique Cruciferi satisfacere, cum non parerent, sacro fulmine percussi sunt.

Poloniæ calamitates ingens hoc tempore fames auxit, quæ simul quoq; Prussiam, Lithuaniam, & vicinas his provincias corripuit. Non cadaveribus in sepulchro putrescentibus, non in patibulo suspensis, imò nec liberorum corporibus esuries publica pepercit. Pestis inde orta, confertissimos passim acervos fecit. Serpsit malum, & communi quodammodò aëre corrupto, totam fere Europam infecit; adeò ut tertia propè hominum

pars tum penuriâ Victûs, tum contagione, his annis feratur absumpta.

IV. Eâ quoque tempestate Duces Silesiorum, hactenus liberos fœderatosque Polonorum, vitia sua, & Johannis Lucemburgici Bohemiæ Regis artes, alieno subegêre regno. Cum enim ex Ducibus alii armis se invicem incesserent, singulis suos casses aptans Johannes; illos dato pretio, ditionibus suis exuebat, hos occultis stimulis in mutuam armabat perniciem. Dum tandem omnes luxu vel discordiis attritos, sub Bohemorum imperium adegit. Idem Johannes, nescio, quod sibi jus ob antecessorem Venceslaum in Polonos vendicans, vocatusque à Cruciferis in auxilium contra Locticum, seriò tandem Pomeraniam recuperare molientem, Masoviam ingreditur. Ab eodem Cruciferi, ut jus suum in Pomeraniam magis etiam stabilirent, prece & pretio impetrant, ut illam provinciam ipsis donaret, jure scilicet in Polonorum ditiones Regio, quod Johanni homines ridiculi, ut accipere possent, dabant.

V. Nec vero diu se intra Pomerelliam continuit Cruciferorum avaritia. Polo-

niæ

niæ ipſius primùm oras, mox viſcera aſſiduis incurſionibus tentabant. Certè altero eorum impetu vix ullum Majoris Poloniæ oppidum intactum manſit. Aderat cum exercitu Vladislaus, ſed impar tanto hoſti, & congredi apertè non auſus, caſuum tantùm opportuna ſpeculabatur. Brevique potitus eſt voto. Militabat tum in caſtris hoſtium Szamotulius, profugꝰ è patriâ, ob ſimultates cum Rege, atque imprimis ob prælatum ſibi in præfecturâ Majoris Poloniæ Caſimirum, filium Regis. Hic pœnitentiâ & patriæ amore mollitus, captato tempore, ſpecie exploratoris, in caſtra Polonorum transgreſſus deprecatur Regem, ſimul hortans, prælii ut tentaret fortunam, ſuamque ad id operam promittens. Redux, trepidatione Polonorum falſo memorata, perſuadet Cruciferianis, ut ſecurè & ſine metu agerent. Illi prædæ ſuæ incubantes, & quaſi victo hoſte læti, reditum parare ad deponenda ſpolia, partiriq; exercitum cœperant. Interim admovet Locticus exercitum, nebulæ beneficio uſus, ut improviſior hoſtibus veniret, famamq; ſui anteiret. Illis tamen ſtrepitû propinquantium

admo-

admonitis, ſubitòq; arma corripientibus cum ad Radoviam veniſſet, ſiſtit nonnihil ſuos, & ad hunc modum affatur: Si *quantam ore habituque præferunt hoſtes, tantam moribus ac factis oſtenderent numinis curam: bellum, milites, aut nullum cum illis, aut omnino injuſtum gereremus. Nec enim intra ſacræ militiæ conſiſtentes munia, violentam in noſtra injicerent manum: & ſua ſervantes improbè à nobis oppugnarentur. Sed nimirum malè reſpondent illi inſtituti ſui legibus, turpiterque ex propugnatoribus Chriſtianæ religionis, in magiſtros avaritiæ & immanitatis, in Cruces turbatoresq; vicinorum principum degenerârunt. Alia eorum facinora ne memorem, in nos patriamque noſtram, quæ illos inſana impiaque habendi cupiditas armavit? Profugos olim & ſedibus ſuis exutos. cognati principes noſtri in partem belli quidem, ſed & terræ ſimul ſuæ vocârunt. Hic afflictæ prioris fortunæ allevationem, hic nova hæc, quæ videtis, incrementa cepêre. Expectanda nobis erat gratia; illi vim inferunt, illi focos, in quibus nefarii ſcilicet aſpides recaluêre, diripiunt, atque etiam, ſi liceat, ereptum nobis eunt. Pomeraniam jamdudum eſt, quod ſibi uſurpant, magnæ etiam Cujaviæ parti incubant: Et*

his

his tamen adeò non ſatiatur illorum avaritia, ut velut irritata magis, in intima patriæ noſtræ viſcera ungues promittat. Verum modum his, quem ſibi ponere neſciunt, ponet hodiè, ſpero, numinis vindicta, & noſtra, commilitones, virtus. Quam jampridem ablatarum provinciarum injuria, malè habiti ab illis agri ſubditique noſtri, profanata à ſacris nempe militibus templa, ita acriter ſtimulant; ut vix difficilius jam fore videatur vincere hoſtem, quàm fuit hactenus, in prælium vos ruentes tenere. Nec ullo ſanè degeneri metu ardorem veſtrum inhibui; ſed quia malis boniſque rebus meis edoctus ſcio, quantùm poſſint in bello momenta temporum atque occaſionum. Has profecto qui prudenti patientiâ ſpeculari novit, ſecurus vincit, vel, ſi fortuna omnino rectè etiam conſultis repugnet, vincitur ſaltem ſeriùs atque excuſatiùs. Sæpe parvis copiis magni exercitûs, iniquo vel loco vel tempore deprehenſi, debellantur. Sed nobis milites, hodiernus dies tot offerens benè gerendæ rei opportunitates, grande morarum omnium, quas tuliſtis hactenus, pretium oſtentat. Huc uſque numero adeo prævaluit hoſtis, ut & ſuperare illum arduum foret, & ſuperatis nobis temeritatis inſuper expectanda eſſet nota. Nunc

flos exercitûs illorum ad ſubigenda Cujaviæ ulteriora miſſus eſt. Sic univerſos ante cum diſcrimine aggreſſuri, diviſos jam absque negotio proteremus. Sed ut multitudine etiamnum pares vel ſuperiores ſint, animis tamen nos non æquant: quos exigua mercede autoratos, caterva undique collecta, & prædandi quam præliandi gnarior, pares profectò afferre non poteſt noſtris, quos pro patriâ dimicantes, præter nobilitatem ingenitam. ſumma belli non æquitas tantùm, ſed neceſſitas acuit. Ac clamor illorum diſſonus, quo omnia jam iſtic perſtrepunt, nonne pavorem & feſtinatione ſe ſua implicantem trepidationem arguit? ſcilicet cautionem noſtram ignaviam forſan hactenus interpretati, quia non provocavimus, nunquam provocaturos credidêre: aut fecialem, puto, expectârunt, qui ad prælium paratos eſſe juberet Diſcant age nunc exitio ſuo, non eſſe tum pugnandum, cum cupit hoſtis; & periiſſe rerum agendarum occaſiones, cum utrinque ſciuntur. Cæterum quos perculſos ita anxioſque audimus; major mox, milites, occupabit dejicietque conſternatio; cum Samotulium, noſtratem olìm Palatinum, illorum hactenus caſtra pravo conſilio ſequutum, mutato animo, in illos pro nobis arma ſtringere videbunt. Id quidem

facturum

facturum se recipit, nec, nisi penitus Polonus esse desiit, enisurum dubito, ut iras civiles in exitium hostibus versas, crimenque perfidiæ egregio decore expiatum nobis patriæque probet. Sed & vos, commilitones, certus sum, ita acturos, ut & civis resipiscentis studium viso vestro pro patria pugnandi ardore crescat; & opera ejus à nobis ad communicandam victoriæ gloriam admissa, minimè requisita ad obtinendam videatur.

Hæc fato Duce, discussâque etiam interim nebulâ, initur prælium. Agunt rem fortiter Poloni, certantibus velut inter se quoque Loctico & militibus, illo, ne exemplum, vel vocis incentivum suis deesset, his, ut utrumque superfluum esset. Nec Cruciferianis virtus deerat, donec Szamotulius terga eorum incessere cœpit. Tum respectantes & re subita attoniti, remisêre animos. Subvenientes quoq; iis, quæ Bræstiam pridie præmissæ erant, copiæ, in id tantum venêre, ut victoriam Polonorum augerent. Nam & acrius isti tanquam pro parto decore pugnabant, & illi pavore fugientium suorum auferebantur. Viginti millia tum Cruciferianorum feruntur periisse, ex Polonis quingenti

genti tantùm. Quanquam in numero cæſorum, omnique hujus prælii hiſtoriâ multum diſſentire video ſcriptores, quâdam æmulatione decus Polonorum minuere conante, ut dedecus Cruciferorum minuatur. Poſt prælium inter ſaucios, vir quidam equeſtris ordinis Florianus Szari jacebat, effluentia abdomine ilia manu cohibens. Ejus cruciatum Rex fortè præteriens cum Comitibus, miſerabatur. Cum ille: acrior, ô Rex, inquit, dolor ejus eſt, qui in eodem pago malum vicinum habet, qualem ego expertus ſum. Miratus eſt Rex hominis inter mortis diſcrimen ejuſmodi cogitationibus vacantis reſponſum; ſublatoque & arte chirurgorum curato pagum dedit, quem ſolus & absque vicino poſſideret. Stemma ejus, quod trium haſtarum erat, inde Jelitorum, i. e. ilium nomen accepit, eſtque inſigne Zamoſcianæ familiæ, è qua magnum illud non Poloniæ tantum, ſed ſeculi decus Johannes Zamoſcius effulſit. Cæterum, ut Vladislao Regi victoria hæc glorioſa fuit: ita fructum ejus Bohemi ferme & Sileſii intervertêre; bello majori Po-

ri Poloniæ intentato, necessitatem Regi Cruciferos omittendi, his respirandi moram facientes. Qui &, dum in novum hosté movent Poloni, Brestiam & Gniewcoviam impunè abstulerunt. Paulò post pactus cum Cruciferis inducias Vladislaus, munitiones aliquot Bohemorum Silesiorumque cepit aut incendit. Inde reversus, post brevissimi temporis morbum, moritur, princeps corpore exiguus, magnus animo, comitate in suos;, fortitudine in hostes egregius, à secundâ fortunâ penê deceptus, adversa pulchrê tolerans semper, plerumque victor.

CAP.

CAP. XIX.

DE CASIMIRO MAGNO.

AB ANNO cIↃCCCXXXVIII.
AD ANN. cIↃCCCLXX.

Casimirus pacem init cum Cruciferis. successorem designat Carolum. Russos Poloniæ subdit. Leges instituit. Ius Magdeburgicum introducit Ludovicum Ungarum post Carolum successorem nominat. Pater Plebejorum dictus. Valachi dolo Polonos vincunt. pestis & fames per Poloniam. Casimirus cognatam Carolo IV. Imperatori locat. Hospites Regios consul Cracoviensis splendide excipit. Casimiri ex equo lapsus & mors.

VLadislao Loctico filius Casimirus succedit. Qui mitis ingenio; & quietis quàm armorum appetentior, pacem cum Cruciferis init, parùm decoram nomini Polonico. Eam aspernati Proceres, & simul tamen bellorum pertæsi, Pontificem iterum in arbitrium malè compositæ litis sollicitant. Ab hoc missi arbitri infes-
sam

ſam à Crucigeris Pomerelliam, Cujaviam, Dobrinum, & reliqua Poloniæ propiora Polonis adjudicant, Cruciferis inſuper prægrandem mulctam irrogantes. Sed hi nec decreta Pontificia, nec execrationes morati, occupata retinuêre.

Cæterum Caſimirus, ut vagus libidinum, ita prole orbus erat. Unde maturè ſucceſſorem circumſpicere cœpit. Placuitque eligenti Carolus, Ungariæ rex, ſorore illius genitus, ſpretis cum indigenis principibus, tum Sileſiis alieno jam imperio additis. Exin in Ruſſiam expeditio ſuſcipitur, ſæpe jam olim victam à Polonis, nunquam ad conſtantem obſequii fidem ſubactam. Caſimiri felicitati ceſſit, & tum primùm in Provinciam redacta, æquo inde jure cum Polonis gaudet. Paulò poſt tentavit Poloniam Johannes Bohemiæ Rex, qui abſtractâ Sileſia ferocior atque avidior factus, unicum ſenectutis atque etiam mortis ſolatium habiturum ſe dixerat, ſi manu muros Cracoviæ attigiſſet. Sed is à Polonis fortiter repulſus, aliquantò poſt in Galliâ interiit. Poſt hæc Caſimirus quanquam in luxuriem ſolutior, & ſegni in Crucigeros indulgentiâ

nonnihil

nonnihil invisus, domi tamen conditis legibus, constitutis judiciis, & arcibus structis, Reipublicæ multùm profuit. Ab eo jus Teutonicum in Poloniam inductũ, quod Magdeburgicum vocant. Condita item Cracovianæ urbis ea pars, quæ hodieque Casimiria, accepto â conditore vocabulo, appellatur.

Dum hæc in Poloniâ geruntur, interim in Ungariâ Carolus haud pridem Casimiro successor nuncupatus, decedit. Ejus igitur in locum Ludovicus filius adoptatur. A quo Poloniæ ordines immunitatem tributorum atque onerum, quæ hactenus principibus dependi consueverant, paciscuntur: præcipuo hoc plerumque, quod ex regnatricium familiarum interitu sperari potest, commodo: quod successores, ut regnum accipiant, leges priùs accipere cogantur. Eodem anno lætæ multæ res Casimiro contigêre. Primùm enim Russiam perpacavit: pulsis, qui turbas isthic dare cœperant, Lithuanis, Duceque eorum Lubarto capto. Paulò post Masovia corpori Reipublicæ Polonæ accessit, submittente se Regi ejusque posteris Ziemomislao, iis legibus, quibus

Vasalli,

Vaſalli, quos vocant, ſolent obſtringi. Exciti tum denique Regis clementiâ Germani quamplurimi migravêre in Poloniam, quorum poſteritas etiamnum ſubjectos Carpatho monti colles (quos *Podgorze* vulgo vocamus) colit. Atque ab iſtâ in Germanos aliosque vilioris ſortis homines benignitate, Caſimirus patris Plebejorum vel ruſticorum nomen accepit. Dignũ ſanè quod alii Principes ambiant ſimiliter, iis præcipue majeſtatis ſuæ præſidium commodando, quos paupertas potentiorum injuriis facit opportunos.

III. Poſt hæc felicitatis Caſimirianæ curſus improſpero cum Valachis prælio aliquantùm interpellatus eſt. Mortuo iſtorum Palatino Stephano, cum certantiũm de principatu filiorum uni auxiliarentur Poloni, miro ab adverſa parte ſtratagemate circumventi ſunt. Incîderant ſcilicet Valachi in ſylva, per quam eundum erat, ultra medium arborum plurimas. Hinc cum, ſubeuntibus Polonis, quæ in ora eſſent poſitæ, à doli ſtructoribus impellerentur, aliæ mox poſt alias ruina proximarum provolutæ, magnam partem exercitus obtriverunt. Reliqui ſeu

ſaucii

ſaucii ſeu attoniti inopinâ clade, capiebantur; pauciſſimi effugêre. Ne ſola hæc eſſet calamitas, immanis mox peſtilentia per Poloniam ſequuta eſt. Acceſſitque etiam annonæ ſævitia. Quam tamen utcunque ſolatus eſt Caſimirus, apertis horreis, quæ priorum annorum ubertas, quaſi in futuros usûs locupletiſſimè inſtruxerat. Frumentum petentibus, ſi ære deſtituerentur, opera in muniendis arcibus injungebatur. Ditiorum pecuniæ theſaurum Regium augebant. Cujus opibus Caſimirus anno ſequenti, nuptias cognatæ ſuæ ſplendidiſſimas paravit, quam Boguslao Pomeraniæ duce genitam Carolus IV. Imperator, parario Pontifice, in matrimonium accipiebat. Adfuêre nuptiarum ſolennibus Ludovicus Ungarorum, SigiſmundusDanorum, item Petrus Cypriorum Rex, cum principibus aliis non paucis. Nihil ibi ad magnificentiam vel luxum omiſſum. SedRegiâ opulentiâ diu non ſine admiratione excepti hoſpites, magis mox ad privati hominis divitias ſtupuêrunt. Gerebat Cracoviæ Conſulatum Veringus quidam, gente Germanus, caritate apud Principem præcipuus.

cipuus. Is cum precibus & gratiâ apud hoſpites Regios exambiſſet, ut domi ipſius epulari vellent, parentes illos non curatiſſimis tantum dapibus excipit, ſed muneribus etiam ingentibꝯ proſequitur: geſtiente Caſimiro, cujus gloriæ militabat ſubditi ſui opulentia, pace Domini in tantũ aucta. Caſimirꝯ verò iſtiusmodi jam amicitiis firmatus, majore in dies & ambitu prenſabatur à vicinis. & terrore ſuſpiciebatur ab hoſtibus. Nam & Belzenſium dux ante infeſtus ſemper Polonorũ Principibus, ſupplex huic fieri ſuſtinuit, quò dignitatem & ditionem retineret: & in Boruſſiam venienti Crucigeri cuncta venerantium officia exhibuêre. Sed illum paulò poſt inter fortunæ obſequia luxuriantem repentina nec ſimplex mors abſtulit. Inter venandum enim dum incautiùs cervum inſectatur, equo forte prolapſo, ſolo affligitur, caſu ob corporis obeſitatem lethali, cum æger præſertim gulæ plùs, quàm medicorum præceptis daret. Antequam extingueretur, condito teſtamento largiter multa Eccleſiis donavit; Princeps, ſi libidines excipias, in

quas fuit effusior, domi magnus, foris fortunâ quàm virtute melior.

CAP. XX.
LUDOVICUS UNGARUS.
AB ANNO CIƆCCCLXX.
AD ANN. CIƆCCXLXXXII.

Piasti posteris deficientibus Ludovicus Ungarus succedit. non æquo Polonorum affectu. Majores Poloni deficiunt. Mater regia Poloniæ administrationem deserit, recipitque. Lithuani vincuntur; & Russi rebelles.

IN Casimiro defecit tandem illa Piasti progenies, quæ, tot seculis, ordine vix unquam interrupto, Poloniæ clavum rexit. Inde Regnum ad Ludovicum Ungarum devênit, quem à Carolo genitum Casimirus pridem successorem sibi destinaverat. Erat in Ungaria Ludovicus, cum nuncium de morte avunculi acciperet: cunctabaturque etiam venire ad Polonos, dubius de horum erga se animis, nec ignarus difficultatum, quibus duplicis illa regni administratio foret obnoxia. Venit tamen tandem, ab Ungaris præcipuè suis

ſuis perſvaſus. Cum regni ſolennia accepiſſet, prima illi curarum fuit, avunculo iuſta perſolvere. In quibus cum penitius voluntates Procerum introſpexiſſet, cognovit, defleri defunctũ ob id vehementius, quod ſine maſcula prole obiiſſet. Quod ille in diminutionẽ ſui accipiens, ſimul veritus, ne aliqua filiarum Caſimiri, ſtudio populari accincta, occaſionem novis rebus præberet, projectas in Hungariam illas, nothas adeòque incapaces hæreditatis paternæ proclamari juſſit. Paulò poſt ipſe in Ungariam redit, relictâ penes matrem Elizabetham, Poloniæ adminiſtratione. Prole & ipſe maſculâ carebat, filias habebat duas. Alteram Sigiſmundus Cæſaris filius duxerat, alteram ſceptro Polonico deſtinabat. Quam ad rem ut conſenſum Nobilitatis impetraret, libertates ante conceſſas novo ſacramento ſancire atque etiam augere neceſſe habuit.

II. Compoſuiſſe ita ſibi utcumque res ſuas videbatur Ludovicus, cum Majores Poloniæ proceres quidam, externum dedignati Regem, Vladislaum Ducem Cujavienſem ex Vladislai Loctici fratre ori-

undum, principem ſibi conſtituunt. Is mente imbecillior & ditionibus ſuis præeſſe impotens, his perditis, Divione in Burgundia, vitæ Monaſticæ ſe dedicaverat. Inde reductus in Poloniã, cum nihil non tentaſſet pro dominatu, tandem, nequicquam omnia experiuntibus fautoribus ejus, à Subinio aliiſque Proceribus, qui pro Ludovico nitebantur, vincitur, miſſusque ad Regem ab illo Abbatià donatur. Quâ ſpretâ, cum Divionem, priſcam otii ſui ſedem reverti vellet, in itinere morte præcoci intercipitur.

III. Mater interim Ludovici, motuum Polonicorum, quibus par non erat, pertæſa, in Ungariam, ætatem illic tranſigendi animo, ſeceſſerat. Sed illa (ut facilè redit humano animo etiam faſtiditæ potentiæ cupido, nec facilè in æquo manent, qui in faſtigio eſſe aſſuevêre) mutato paulo poſt conſilio ad relictam ſtationem remeavit. Reverſam verò ut Proceres Poloni, ita varii mox hoſtiles motûs excepêrunt. Lithuani enim Duces quidam cum prædatore exercitu irruêre, & intima Poloniæ ſcrutati depeculatique, magnam vim prædæ & hominum abduxe-

abduxerant. Inter Ungaros quoque & Polonos inteſtinæ gliſcebant offenſiones, ſubinde etiam in apertos tumultûs exardeſcentes. Sed hi tamen utcunque authoritate regiâ repreſſi ſunt. In Lithuanos, & qui ſe his contra Polonos junxerant, Belzenſes, bellum decretum eſt. Venitque ipſe ob eam rem ex Ungariâ Ludovicus forti Ungarorum manu inſtructus. Quibus cum Polonici exercitûs acceſſiſſent, fracti animo Lithuani, pacem implorârunt. Nec Ruſſi rebelles diu potentiam Regis ſuſtinuêre. Chelma cum aliis vicinis oppidis intra octavum diem ſe dedidit. Quam poſt & Belzum ſequutum eſt.

IV. Cæterum peragranti victoriis Ruſſiam Ludovico arriſit terræ illius genius, & feraciſſima frugum ubertas. Unde Ungariæ eam adjicere agitans, Ungaros ei præfectos imponit, & ut omnia iſthic ſibi obnoxia haberet, Archiepiſcopatum Haliciæ (quam olim tenuerant Ungari) inſtituit. Qui poſtea Leopolin translatus, penes eam urbem hodieque manet. Non effugit tum Ludovicus ſuſpicax populi ſilentium, & voces quorundam liberiores. Imò & univerſum ordi-

nem equeſtrem inComitiis tumultu quodam, duce Granovio, adversùs præſens regimen inſurrexiſſe, ac Senatorum nonnullorum, quos libertati publica indignatio ſubitò immolaverat, cadaveribus Regem terruiſſe, fama tenet, quanquam nullâ annalium, quos viderim, fide nixa. Id equidem omnium autorum conſenſu certum eſt, ingens tum odiumPolonorum in Ungaros fuiſſe: & aſperavit id Vladislaus, Opolienſium Princeps, qui creatus à Rege Ruſſiæ gubernator, Ducis Ruſſorum titulum ſumpſerat. Eidem & Poloniæ adminiſtrationem detulit poſtea Ludovicus, cum matre inUngariam tandem ſeriò reversâ, licentia paſſim nullis coërcita legibus valeſceret, & ordines Ludovicum ſubinde ad ſe vocarent. Verùm miſſum, quem diximus, vicarium, Proceres reſpuerunt: indictiſque poſtea Budæ Comitiis, cura Reipublicæ tribus Senatoribus commiſſa eſt. Hi erant Zaviſſa Cracovienſis Antiſtes, Dobeslaus Caſtellanus Cracovienſis Zaviſſæ frater, Sendivojus Szubinius Caliſſienſis Palatinus. Ipſe Ludovicus, cum languidum ſe ætate & morbis inſuper fatigari ſentiret.

Comitiis

Comitiis in Scepusio habitis, generum suum Sigismundum Marchionem Brandeburgicum sibi successorem adsciscit. Nec multo post extinguitur. Vir benigni satis ingenii, atque in eruditos perliberalis, inprimis astrologos. Inter cætera morũ hoc quoque habuit, quod identidem dissimulato habitu vicos & oppida perlustrabat, inquirens in magistratuum vitam, simul & suam, quò, si quid reprehenderent judicare periti, corrigeret, sin placuisset, famâ sui frueretur. Eodem quo Ludovicus, tempore, Ordinis Teutonici in Prussiâ magister Vinricus Cniperodius vitâ excessit, anno potentiæ trigesimo primo: Vir magni inter suos nominis, quia & Lithuanos aliosque infideles feliciter profligavit, & prudente rectoque regimine potentiam ordinis in id fastigium extulit, ultra quod postea progredi nequiit, instante jam illo flexu fortunæ, quo ad summa provecti, citiùs descendere coguntur, quàm ante adscenderant.

CAP. XXI.

AB ANNO cIↃCCCLXXXII. AD ANN. cIↃCCCLXXXVI.

Sigiſmundus Marchio ſucceſſione regni exclusus. Ziemovitus Maſovius electus à Regina repudiatur. Iagello Lithuanus & Vilielmus Auſtriacus de ſponſa certant.

DEſtitutum iterum rectore regnum, multorum mox Principum vota ac ſtudia in ſe arrexit. Proximus ei videbatur Sigiſmundus Marchio, vivo etiamnũ Ludovico ſucceſſor deſtinatus. Sed is negato per faſtum Polonis ad epulas ſuas aditu, & quod Demaratum majoris Poloniæ præfectũ nobilitati inviſum impenſiùs foveret, odia plurimorum incurrerat. Hinc cœprum à Polonis deliberari, an darent imperium, quod habere jam ille ſibi videbatur. Comitiis Radomiæ indictis concluditur, ut Ludovici quidem filiæ haberetur ratio, ſed cujus maritus nulli alii regno implicitus, ſolis Polonis imperaturus eſſet, quâ ſententiâ non obſcurè excludebatur Sigiſmundus, Ungarico quoque ſceptro inhians. Illo deinde neſcio qua ex cauſſa in Ungariam profecto, voluntates procerum quorundam

rundam in Ziemovitum Masoviæ Ducem vertêre, hac lege, ut Hedvigin, alteram Ludovici filiam duceret. Nec cunctatus ille ad tam optabilem conditionem se Regẽ venditare cœptabat. Sed aspernata generũ hunc Elizabetha, Hedwigis mater, filiam mittere negabat in conjugii talis conditionem, quin pro filiâ manum ingentem mittit in Poloniam, qui conatus Ziemoviti retunderent. Victo illo, cunctabatur tamen etiamnum Elizabetha mittere Hedvigin unicè expetitam Polonis, varios jam illi maritos circumspicientibus. Tandem hæc Sendivoi Szubinii industriâ facundiâque à matre exorata in Poloniam venit, comitata Demetrio Cardinali, & Antistite Strigoniense, alii͡sque Ungarorum Primoribus, & paulò post à Bozenta Archiepiscopo Gnesnense diademate Regio evincitur. Multùm delectabantur Poloni Reginæ decentissimis moribus, quibus species quoque corporis multùm gratiæ addebat. Quo intentiùs vestigare cœperunt dignum tali puellæ conjugem. Et pridem illi oculos adjecerat Vilhelmus Austriacus, simul olim cum ipsâ, & quodammodò in spem talis con-

jugii, in aulâ Ludovici (qui puellæ pater) educatus. Sed ille diu amiciorem virginem, quàm Polonos expertus eſt. Et denique ſpem ipſius, quâ adhuc ſe ſuſtentaverat, IagelloLithuaniæPrinceps omnem intervertit. Petebat hicHedvigin in matrimonium, ſe & Lithuaniam ad Chriſtiana ſacra, & hanc ſimul ad ſocietatem Reipublicæ Polonicæ offerens. Nec diſplicebat Polonis tali cum fortunâRegni ſui procus, ſed expectabatur adhuc matris Reginæ conſenſus. Quem cum impetraſſent, expugnabant ſuaſionibus Hedwigis quoque animum, pertinaciùs Auſtriaco hærentem. Qui amore vecors, & puellaris benevolentiæ fiduciâ Cracoviam venerat. Sed arce prohibitus, cum adverſos Polonorum animos cognoviſſet, quibus & Hedvigis tandem affectum ſuum gratificatura videbatur, ſalutatâ in cœnobio Franciſcano puellâ, voto irritus abiit. Adeò ſcilicet, quicquid etiam contra niterentur humana deſtinata, impediri non poterat divini voluntas conſilii, quod in his Hedvigis nuptiis, aliud novum Lithuaniæ cum Poloniâ conjugium moliebatur.

FLORI POLONICI

LIBER III.

CAP. I.

VLADISLAUS JAGELLO.

AB ANNO cIↃCCCLXXXVI.
AD ANN. cIↃCCCCXXXIV.

Iagello Baptiſmum & coronam ſuſcipit. Lithuanos ad Chriſtianiſmum convertit. Ejus cum conjuge diſſidium. cum Vitoldo & Skirgellone fratribos. Academia Cracovienſis inſtituitur. Bellum cum Cruciferis. de iis victoria inſignis. Boruſſicarum urbium mutata ſubinde dominatio. Bohemicum regnum Iagello repudiat. Vitoldo ferme Polonicum cedit, & Suidrigelloni Lithuaniã facilitate haud cordata pacatis Cruciferis Rex moritur.

VENIENS in Poloniam Jagello, primò omnium Gentiliſmum ejurat, & cum novâ religione novum Vladiſlai nomen ſuſcipit. Inde celebratis cum Hedwige nuptiarum ſolennib9, Regio diademate à Bozenta Antiſtite conſecratur.

Mox compositis rebus per Poloniam, majorem inprimis, quæ procerum quorundam culpâ tum discors agebat, in Lithuaniam proficiscitur: ibique sacerdotis magis, quàm Principis munere functus, Lithuanos suos gentili adhuc impietate imbutos, ad sacra meliora manu ducit, ipse (cum adducti è Polonia Episcopi linguæ rudes essent) prima fidei rudimenta illis præiens. Sic per annum repurgata ab Ethnicâ superstitione illa regio est. Si quæ supererant emendanda, Episcoporum ibi manentium industriæ relinquebantur. Abiens inde fratrem Skirgellonem summæ rerum in Lithuaniâ præficit. quæ res Vitoldum patruelem, gravi æmulatione accendit, quærentemque, ubi odium suum tutiùs atq; efficaciùs effunderet, primùm in Masoviam ad cognatos, mox in Prussiam ad Cruciferos egit. Eo intellecto, Rex Nicolaum Moscorovium Regni Procancellarium cum manu militari in Lithuaniam mittit, componendæ, si posset, cognatorum discordiæ, sin minus, pro securitate saltem Reipublicæ excubiturum. Interim Regi ipsi domesticum cum conjuge

suâ natum dissidium est, illudque tam acre, ut in divortium penè eruperit. Ei fomitem dedêre quidam pudicitiæ Reginæ obtrectatores, probrosam illi cum Vilhelmo Austriaco, proco olim suo consuetudinem objectantes. Sed innocentiam Reginæ ipsa juramento primùm, mox delator publicâ ac solenni mendacii professione vindicavit. Quod pœnæ genus apud Polonos hodieque inter probrosissima habetur.

II. His domi compositis Rex in Vitoldum vertit, Cruciferorum fiduciâ aperte jam hostilia molientem. Is Grodni obsessus, clam aliquà effugerat, & variis sic inde cladibus ope Teutonicâ Lithuanos afficiebat. Donec illum Rex reconciliaret sibi, & Lithuanis denique præfectum imponeret. Motus loco Skirgello, non mitius amissâ dignitate, quàm nuper Vitoldus non impetratâ infremuit. Ejusq; itidem odiis Cruciferi ad Lithuaniæ perniciem usi, hanc infestâ denuò manu invadunt. Deliberantem de sumendâ in illos vindictâ Regem multa attinuêre. Inprimis Poloni ipsi haud temerè lacessendam rati gentem, magnam Germaniæ

partem

partem ſecum in arma tracturam. Rex quoque ipſe cum Duce Opolienſium prius experiendum ſibi arbitrabatur, pridem multarum in Polonos injuriarum reo. Sed cum hoc, oppidis quibuſdam captis, in gratiam mox rediit. Secuta paulò poſt Reginæ mors domeſtico eoque graviſſimo vulnere Regem perculit. Præclara fuit hæc virtute fœmina, dum viveret, ſed moriens quoque auxit gloriam. Multa in pauperum usûs legavit, plurima in Academiam, quam à Caſimiro inchoatam, abſolvi, inter ultima vòta habuit. Rei dignitas & conjugis morientis deſiderium moverunt Regem, ne omitteret piiſſimam curam aut differret. Duas ergo in Muſarum ſedem, domos, Cracoviæ extruit, & Pragâ varios evocat doctores, qui Juventutem bonis artibus erudirent.

Togatis autem his curis intento, non deſinebant alibi ferrum oſtentare Cruciferi. Qui domi foriſque jam ſuperbi, non ampliùs fratres, ut antehac, ſed Domini Crucis, vulgò Creutzherren (id enim vocabulum hoc demum tempore, Ulrico Zölnero Ordinis magiſtro, eoque fruſtra repugnante faſtui ſuorum, innotuit) ap-

pellari

pellari voluêre: graviores indies ſuis, & vicinis magis magiſque inſultantes. Eos tamen Rex inſitâ lenitate adhuc etiam tuſit, ſæpeque ab illis ad colloquium invitatus falsâ ſibi ſpecie pacis illudi paſſus eſt. Tandem cum Samogitiam olim ereptam Lithuanis, & vix demum per Vitoldum recuperatam contumaciùs repeterent, ac legatis Regis ſuperbè appellatis, Dobrinenſem vicinaſque terras laceſſerent, bellum in illos decernitur. Nequicquam ad amicam compoſitionem offerente ſe Bohemorum Rege, aut ad eam invitato Ungaro: quorum ille ſtolidus judicio, & affectu palam iniquus in Polonos: hic accepta à Cruciferis pecunia Vladislai amicum ſe ſimulans, per occulta & magis fida inclinabat in corruptores.

III. Nullum in bellum hactenus conſideratius aut mole majori deſcenderant Poloni. Primùm miſſis in omnes partes regiis literis (quæ quod reſti obligatæ circumferrentur, reſtium nomen etiamnum retinent,) velut communi claſſico cuncta nobilitas convocabatur. Domi curam rerum Antiſtiti Gneſnenſi Rex committebat,

tebat, belli regimen cum Zindramo Mascovicio, Ensifero Cracoviensi partiebatur. Ingresso dein castra Vladislao, primò omnium disciplinæ militaris instauratio curæ fuit. Meritò sane, & ad maximorum Imperatorum exemplum, qui nunquam felicem bellorum speravêre exitum, nisi inde fecissent initium. Scilicet, quod in corpore anima, in navi clavus, id in militiâ disciplina est: vinculum, quô & intra obsequii fines continetur militum ferocia, & magnæ exercituum moles ad subita necessitatum dexterrimè circumaguntur. Sed tunc, dum in prædatores ultor gladius stringeretur, comprehensi inter alios duo Lithuani sunt, qui sacramenti, ut vocant, ædiculam abstulerant. Illi patrio ritu crucem sibi erigere jussi, & suis se manibꝰ suspendere, paruêre alacres, & quasi sæviùs aliquid à principe expectarent, & mors talis beneficium esset, moras suas mutuò castigantes. Ante prælium Rex humi stratus in preces se effudit, quibus& innocentiam suam testabatur, & pervicaciam hostium, pacis omnes conditiones aspernantem. Nam & paulò ante prælium, arrogans

arrogans Ordinis magister Conradus à Tungingen duos enses sanguine imbutos Regi miserat, testandæ pugnandi, sanguinisque fundendi libidini. Rex oblatos gladios ut omina victoriæ secuturæ accepit, quia victoribus victi arma sua tradere soleant. Exin dato Lithuanis, qui Vitoldo parebant, dextro cornu, Polonis sinistro, canere signa cœpêre. Concurritur utrinque magnâ vi, ambiguâ fere per horam fortunâ, donec dextrum Polonæ aciei cornu laborare cœpit, in quo Lithvani cum Russis Tartarisque erant. Hi primo cedentes, telis tamen subinde fatigabant insequutos, mox penitus effusi in fugam, magnam hostium partem abstrahunt à reliquo exercitu. Soli Smolenscii dextro cornu se adjungebant, quod Poloni fortunâ sociorum nihil territi strenuè tuebantur. Venerat autem forte in hostium manus signum, quod Martinus Vrocimovicius, Aquilifer Cracoviensis gestabat. Id ut recuperarent connisi Poloni, omnem aciei fortunam convertunt. Inclinare hostes cœpêre, moxque acrius instante Polonorum exercitu, in fugam aguntur cæduntur que. Nec sistere labantem

tem aciem poterant, qui Lithuanos insequuti, fessi & sine ordine redibant. Ita illo die Poloni magnâ & memorabili victoriâ potiti sunt. Centum & quadraginta millia à Cruciferis in aciem deducta, & ex iis quinquaginta desiderata, perhibent idonei authores. Periit ibi ipse Ordinis Magister, debito superbiæ exitio; periêre simul potiora Cruciferorum capita. Inter Captivos, quorũ quatuordecim millia fuisse memorant, eminuêre duo duces, Silesius unus, alter Pomeranus, Venceslaus item Burggravius de *Dohna*.

IV. Victoriam hanc, quam inter *Grunvvaldum* & *Tannebergam* congressi Poloni obtinuêre, sequuta est præcipuarum Borussiæ urbium deditio. Debellatumque fortè tum fuerat, nî una arx Mariæburgensis ingenio situs & arte firmior, victoribus se opposuisset. Cujus præses Plavenius ad Regem admissus meditatâ oratione veniã Cruciferorum nomine petit, Borussia ut Magistris suis relinquatur, quam à Barbaris suo sanguine vindicassent, orans. Cum nihil profecisset,

ſet, indignabundus redit ad ſuos, eosdemque ad conſtantiam hortatur. Atque interim Livonum quoque Magiſter advenerat, ſociis ſuis, ſi vi nequiret, dolo opitulaturus. Vitoldo per ſecretum colloquium Samogitiam oſtentat, hæreditario jure poſſidendam, ſi Regias partes deſeruiſſet. Mox permiſſu Regis in arcem admiſſus, memoratâ Vitoldi defectione obſeſſos animat. Tum ſenex etiam quidam Sacerdos imparem ſe ferendis obſidii ærumnis cauſſatus, arce egreditur, clam inter ſupellectilem triginta aureorum millia ſecum efferens, quibus paſſim novus miles conſcriptus eſt. Accedebat rumor, venire Sigiſmundum Cæſarem Cruciferis auxilio, & jam finibus Poloniæ imminere. Movere hæc regem, ut ſolutâ obſidione, relictoque in Boruſſia cum aliquâ manu Andrea Brochocio reditum pararet, multùm reluctantibus, ſed fruſtra pleriſque Procerum, atqve inprimis Nicolao Tramba, Procancellario. Datus ſic Cruciferis locus eſt reſpirandi, qui nec defuêre ſibi, collectiſque undique viribus recuperare ſua annitebantur, Nec, licet etiam poſt magnam illam cladem ſemel

mel iterumque infelicius pugnassent, fracti sunt. Gedanum denique, & mox Thorunium, sensimque reliquas urbes receperunt.

Nec vanæ fuerunt Cæsaris minæ paulò ante memoratæ. Misit enim Sciborium, Transylvaniæ principem, qui submontanam Poloniæ oram invasit. Conventu ergo cum Cruciferis habito, Rex in inducias primùm, mox & in perpetuæ pacis fœdus consensit, factum eâ lege, ut quisque habita antiquitus retineret, Samogitiam Vitoldus & Rex, dum viverent, Dobrinum verò Poloniæ Reges perpetuò possiderent. Paulò post etiam Sigismundus Cæsar, accurante Zavissio Nigro, in utrâque aulâ gratioso, Vladislao reconciliatus, ab hoc insuper octoginta millia florenorum Pragensium mutuò accipit, datis in pignus Scepusii urbibus, quæ hodièque Polonis subsunt.

V. Verùm pax cum Cruciferis non diu rata mansit. Hi enim conjecto in carcerem Plavenio, quasi Polonis pluskulum dedito, & Regis, nescio, quas in se machinationes caussati, expilationibus mox mercatorum, prædisque per Dobrinen-

ſem terram actis, neceſſitatem fecêre Regi arma in ipſos reſumendi. Cum bellum aliquandiu tractum veriùs, quàm geſtum eſſet, perſuaſit Regi Pontificis legatus, ut cauſſam cum Cruciferis ſuam Concilio, quod tum Conſtantiæ, ſectæ Huſſiticæ cauſſa, habebatur, diſceptandam ſubmitteret. Paruit Rex, veneruntque ad componendum negotium à Pontifice legati. Sed ii iniquo in Polonos judicio ſuſpicionem incurrêre acceptæ à Cruciferis pecuniæ. Æquiora pollicebatur vocatus ad arbitrium ejuſdem cauſſæ Sigismundus Cæſar. At ne is quidem controverſiam finire potuit; inducias tamen duûm annorum Polonis, ſubinde adhuc ad arma provocantibus, perſuaſit. Sub idem tempus magnum aliquid Vladislao fortuna videbatur parare. Bohemi enim ob religionem Sigiſmundo Cæſari diſcordes, regnum noſtro oblatum ibant. Ambiguo primum reſponſo dimiſſos, cum redirent, officii in Dominum ſuum Rex admonuit, negans inſuper, cordi ſibi eſſe offendere Cæſarem, ut hæreticis imperaret.

VI.

VI. Vix à bellis Borussicis aliquantulum requieverat Rex, cum novis illum molitionibus primùm patruelis, mox frater fatigare cœpêre. Vitoldum patruelem super insitam animo ambitionem, Cæsar regium illi diadema pollicitus, in Regem stimulabat. Nec Cruciferi deerant impellere dubitantem, opemq; promittere. Et ex Polonis quoque pauci consiliis Vitoldi primùm reclamavêre, mox publica authoritate missi sunt, qui regnum illi deferrent. Gravissimis negotiis semper à Rege adhibitus Vitoldus, & ipse magnus omnium, quæ ageret, callidusque ostentator, munificus simul in Proceres, magnam animis plerorumque reverentiam sui injecerat. Ita data Vitoldo à Rege ætate decrepito authoritas, suam Regi destruebat, notabili Principibus documento: Neminem, ut eo loci evehant, unde, qui evehitur, despicere evehentis fastigium possit. Sed Rex porrò tam mitis facilisque fuit, ut sceptrum Vitoldo deferri non abnueret. Nec ulla jam mora erat, nisi in Vitoldo, qui seu fato prohibitus, seu aperti facinoris invidiam metuens, non decorum modestiæ suæ fore

re

re respondit, Regem patruelem solio deturbare. Dimissis ita legatis nihilò tamen pacatiùs egit, plane ut composito ad speciem pudore, magis suppressa, quam penitùs edomita in illo ambitio videretur. Nam non multò post, quasi pœnitens prioris modestiæ, prompsit malè sopitum desiderium, Regique in Lithuaniam blandiciis evocato persuadere conatus est, ut regni honorem sibi permitteret. Sed Rex interim stabilito sibi per data privilegia plurima regno, id quoq; impetraverat, ut filiorum alter patri successor destinaretur. Et tum in Lithuaniam cum Rege iverant, curantibus Polonis, Proceres quidam, ac inter alios Sbigneus Olesnicius, Cracoviensis Præsul, præcipuus semper consiliorum Vitoldi impugnator. Hi facilitatem Regis custodivêre, nimis alioqui fraudi alienæ opportunam. Sed & brevi insequuta Vitoldi mors omnia ambitionis consilia abrupit.

VII. Defuncto Vitoldo, Lithuaniam Suidrigello frater Regis sibi vendicabat. Nec contentus hâc, Podoliam quoque sibi voluit adjungi, potitusque erat voti à

fratre

fratre nimiùm suis dedito, tumque etiam libertatis experte negandi. Capto enim similis in Lithuania detinebatur. Moniti ea de re à comitibus Regiis Poloni, habitis Comitiis, per legatos Suidrigellonem hortantur, ut Podoliam redderet, & Lithvaniam etiam prius peteret, quâm occuparet. Ferox ille ad hæc, missumque post alterum legatum, fas gentium non moratus, violat. Mox & cum bellum imminere sibi à Polonis sentiret, quò par esset tanto hosti, Cruciferorum se fœdere succingit. Ubi ad vim ventum est, fusus profligatusque aliquoties est, nec adhuc tamen remittebat spiritus, donec tandem Lithuanis quoque crudelitate factus invisus, principatu dejicitur, surrogato in ejus locum Sigismundo Vitoldi fratre; qui beneficio hoc Regi ac Reipublicæ innexus, facilè in leges ab illis præscriptas consensit. Omnia pro recuperando dominatu tentabat Suidrigello, sed frustra; excubantibus pro Sigismundo Polonis, ut beneficium suum tuerentur. Cum Cruciferis dein, post leves utrinque habitas velitationes, induciæ in annos duodecim pactæ sunt. Composito ita regno, correptus

ptus febre Vladislaus moritur cum XLVIII annos regnasset. Princeps mitissimi ingenii & liberalitatis penè profusæ, religionis verò studio ita ardens, ut adolescentiæ gentili impietate transactæ errores tanto majori post pietate jure credatur expiasse.

CAP II.
VLADISLAUS III.
AB ANNO CIƆCCCCXXXIV.
AD ANN. CIƆCCCCXLV.

Vladislai, patre moriente, pueritia ut impar regno à multis rejecta, à potioribus ad regnum consecratur. Illius fratrem Bohemi Regem eligunt, sed frustra. Tartarorum incursio. Vlodeci constantia in dolore vulneris. Vladislaus ab Ungaris Rex creatur. cum Turcis pugnæ felices. & mox induciæ. quas Vladislaus rumpens, pœnas suâ & Christianorum strage luit.

FAtis concedente Vladislao, major natu filius, patri cognominis, nonum vix annum excesserat. Nec dubitavêre tamen majoris Poloniæ ordines, puero regnum decernere. Cæteros seu ætas Vla-

dislai, seu quod alteri his insciis Regem creaverant, æmulatio ipsa stimulavit, ut contradicerent acrius. Sed hi rationibus tandem & numero victi conquievisse videbantur, resque in eo erat, ut diadema Vladislao imponeretur, cum denuò in Comitiis ipsis coorti, cœptæ Regis inaugurationi intercedere cœperunt. Gravescenti deinde dissidio regni Mareschalcus Johannes Olesnicius finem imposuit, jussit, qui pro Vsadislao nitebantur, ad dextram concedere, reliquos ad sinistrã. Dextram elegêre plerique etiam ex turbidis: cæteri sociorum discessione desolati, vel sponte cedebant, vel paucitate suâ contemnebantur. Ita Regia quidem insignia Vladislao tum delata, juramenti tamen ætatis teneritudini gratia facta est: spondentibus Sophia matre & procerum nonnullis, juraturum, simul ut per ætatem capessendo Imperio foret idoneus. Nam tum quidem species nomenque Principatûs penes Vladislaum, vis apud Satrapas erat, qui singuli singulisPalatinatibus præfecti, provisorum nomine, publicaRegni negotia tractabant.Sed hæc dignitas adultiore paulò Rege exolevit,

vit, contumacibus Polonis ad imperia eorum, quos nil ſuperiores cæteris ſors naſcendi feciſſet.

II. Primò omnium auſpiciis Vladislai adhuc adoleſcentis ſedata lis eſt, quæ inter ſacerdotes & Ordinem equeſtrem diu agitata, tum vehementius exarſerat. Inde publicæ etiam ſecuritati conſultum, pacto fœdere cum Cruciferis, perpetuò adhuc hactenus Poloniæ infeſtis. Cæterùm pax iſta civiles mox Pruſſis diſcordias, Ordini ingens periculum, propè & exitium attraxit. Civitates utique initâ cum Nobilibus ſocietate, ſeu ut vulgò appellari ſolet, Unione, ſuperba dominantium imperia refrænare cœpêre. Inde exacerbatis magis magiſque animis, àd illam tandem ſeceſſionem deventum eſt, quâ bonæ Pruſſiæ pars, excuſſo Cruciferorum jugo, Regis Poloniæ Caſimiri III. patrocinium & regimen amplexa eſt.

His pacatis, bello propè alii Regem Bohemi involvêre. Qui mortuo Sigismundo, Rege ſuo, in partes ſeceſſerant, aliis Caſimirum Vladislai noſtri fratrem, aliis Albertum Auſtriacum, quem generum & ſucceſſorem ſibi ut in Imperio, ſic

in Bohemico Ungaricoque Regno Sigismundus voluerat, in Regem petentibus, Persuasêre è Polonis quidam Casimiro, ut oblatum regnum acceptaret; ibantque assertum illud Sendivojus Ostrorogius, & Johannes Tencinius, ille Posnaniensis; hic Sendomiriensis, Palatini. Sed Albertus, Pragâ celeriter occupatâ, conatûs æmuli sui prævertendo intervertit.

Sub idem tempus cum Tartaris quoq; infeliciter pugnatum est. Qui Podoliam ingressi nobilitatem ad arma concîtam, & loco iniquo deprehensam magnâ strage ceciderunt, duce ipso Bucacio interfecto. Inter cæsos jacuisse tum fertur Johannes Vlodecus vulnere invalidus, vivens tamen & tam inexpugnabili ad doloris sensum constantiâ, ut barbarus saucio digitum cum annulo auferret, vivere tamen ipsum non sentiret,

III. Negaverat fratri Regis Bohemiam fortuna. Eadem in Regem ipsum tanto liberalior, Ungarico eum sceptro auxit. Orbum hoc erat rectore post mortem Alberti Imperatoris, terrebaturque circumsonantibus undique Turcarum armis. Sed qui regnum illud Vladislao de-

latum

latum ibant, non illico ut ſperaverant, promptum hunc repperêre. Unius clavi tractatione didicerat jam, quàm arduum foret binos regendi onus. Nec ignorabat inſtare Turcam Ungaris, ſimulq; cum purpurâ ſagum induendum fore. Verſanti hæc ſecum, affertur, Elizabetham Reginam poſthumum ex Alberto peperiſſe. Hoc magis cunctabatur. Tandem poſt longas deliberationes, legatorum precibus evictus itineri ſe accingit, ingreſſuſque magno ac ſplendido comitatu Ungariam, Budam occupat. Interim verò alibi Ladislaum (hoc enim nomen poſthumo illi inditum) ambitioſa pro filio quadrimeſtri mater, regio inſigni curaverat redimiri. Quod audiens Vladislaus gravi ſermone Ungaros alloquitur, invitis ſe ac diſcordibus imperaturum negans, nec videri velle alii præripuiſſe Regnum, cui in univerſum excuſari maluerit. Jubet illos conſulere ſibi, ſe paratum redire ad ſuos. Magis etiam accendit hæcRegis moderatio ſtudia procerum, qui vocandi ejus authores fuerant Itaq; demonſtratâ innocentiâ ſuâ, cui fœmineus ambitus fraudi eſſe non debe-

at, persuadent Vladislao, ut detractum de calvaria S. Stephani diadema (quia alterum Regina præripuerat) imponi sibi pateretur. Lætis, ut ferme fit, ad nova imperia Ungaris, Rex ipse nunquam securè egit, superstite æmulâ Elizabethâ, cum quâ magna Ungariæ pars in ipsum conspiraverat. Nec ab armis temperatum est, abutente illâ arcium quarundam præsidio ad lacessendum Regem: hoc, Hunniade ministro, & accitis è Polonia auxiliis aliquoties se non sine clade adversæ partis vindicante. Insignem his temporibus operam Regi navavit Nicolaus Lasocki, Cardinalis & Episcopus Uladislaviensis, qui Sclavoniam, Croatiam, Dalmatiamq; in verba Vladislai adegit, & in sedandis Ungariæ motibus summâ industriâ ac dexteritate versatus est, vir magnus, & multis legationibus ad summos Principes, atque ad ipsum etiam Concilium Basileense, clarus. Cæterum in Ungaria pax tandem, interponente se simul legato Pontificis Juliano, inter illos coitura videbatur, nisi subsequuta Elizabethæ mors continuandum negotiũ reliquisset iis, qui Ladislai amorem præ-
ferentes,

ferentes, alendo dissidio, suum negotium agebant.

IV. Interim Amurates etiam, Turcarum Imperator, Ungarorum usus discordiis, Belogradum premere obsidione cœperat. Nec mitigatus legatione regis, tributum insuper imperare Ungaris audebat. Ita decretum in Turcas bellum. Ad quod Poloni quoque manus suas obtulerunt. Primum prælium ad Moravam flumen commissum est. In quo Turcæ ab Hunniade intempestâ nocte oppressi profligatique ad triginta hominum millia feruntur desiderasse. Sub hoc tempus Georgius Castriotus Epiri & Albaniæ hæres, puer olim Amurathi à Patre Joanne obses datus, & tum post visa acerrimæ indolis specimina Scanderbegus, hoc est, Alexander Dominus appellatus, cum, patre mortuo, ditiones paternas nullis fortitudinis meritis ab Amurathe obtinere posset, dolo tandem Crojam munitissimã majorum suorum sedem, & dein totam Epirum insigni successu recuperat, atque adversus universam Turcarum potentiam fraudesque virtute admirabili defendit, princeps robustissimi & juxta agilli-

mi corporis, animo ultra terræ ſuæ anguſtias longè eminens, & maxima quæque pro re Chriſtianâ geſturus, ſi pares animo vires & exercitûs habuiſſet. Sed ad Vladislaum redeo, qui ad Macedoniæ fines cum Carambejo, Aſiæ præfecto congresſus, ipſumCarambejum cepit, exercitumque ejus in montes compulit. Regi hæc victoria tanto glorioſior fuit, quod non citra proprium ipſi ſanguinem conſtiterat. Diſtulit ſine morâ per orbem Chriſtianum victorias iſtas fama; & mox undique confluebant à Principibus, ipſoque etiam Conſtantinopolitano Imperatore, Johanne Palæologo & Pontifice legati, qui fortunam Vladislao gratulati, ad ſimilia eundem adhortarentur.

At ſinceriſſimè omnium Poloni Regis ſui Triumphis lætabantur, miſſiſque legatis, qui gaudium teſtarentur, ſimul orabant, ut parceret imposterùm ſe Remque publicam in caſum dare: meminiſſetque tandem reviſere aliquando Poloniam, malè jampridem deſiderium ipſius ferentem. Inter tot feſtas gratulantium voces venêre etiam ab Amurathe Oratores, ſpecie Carambeji redimendi, revera pacem

pacem petituri. Perterruerant enim Tyrannum concurrentium ad arma passim Christianorum Principum minæ. Sed tum tamen in pacem perpetuam conveniri non potuit. Induciæ decem annorum pactæ sunt.

V. Solutus Europæorum Principum metu Amurathes potentiam omnem suam in Carmanos, populum Asiaticum verterat, Quâ occasione erecti Veneti, Imperatorque ipse Constantinopolitanus, missis nunciis ad resumendum in Turcas bellum, Vladislaum hortantur. Aderat & à Pontifice legatus, qui religione datæ Amurathi fidei cunctantē solveret. Non diu tantis persuasionibus repugnavit Vladislaus, juvenili adhuc impetu calens, nec fortunæ mores edoctus, quæ adulatrix sæpiùs, quam verè amica, spe magnarum rerum illectos mortales, in exitium subinde præcipitat.

Contractis igitur undique, quos habebat, vel colligere raptim poterat, exercitibus medio Septembri, Segedino movet, Danubiumque trajicit. Nicopolin Bulgariæ metropolim ingresso, Dracula Palatinus Moldaviæ Transalpinæ occurrit,

 annisus-

annisusque Regem à proposito demovere; cum obstinatum sentiret, IV. millia militum offert, Duce filio suo, gloriæ Regis militatura. Interim Amurathen quoque instantis ab Ungaris belli fama ex Asia revocaverat, octoginta millium exercitu, teste Iovio, instructum: ventumque erat utrinque ad Varnam oppidum, obscurum tum, hodiè clade Regis, simul & suâ nominatissimum. Ibi Hunniades, Rege ex ulcere cruris laborante, aciem instruit: datumque dextrum cornu Transalpinis, Juliano Pontificis legato, & Bobricio Polono equiti, viro fortissimo, & recenti tum facinore claro, quod paulò ante Petressi oppidi hostilis muros primus ascenderat. Sinistrum ipse sibi Hunniades sumpsit, Rege cum suis medium aciei occupante. Progressi sic ad II. millia passuum Regii hostem per tres horas præstolantur. Interim morâ torpescere animi cœperant, & coortâ etjam fortè tempestate signa turbine atque imbre raptari: Cum veniens tandem hostis in dextrum cornu Regii exercitûs invehitur. Nec id diu restitit, equis ad aspectum odoremque Camelorum territis, &

tis, & mox fugam stragemque latè spargentibus. Feliciùs partes suas Rex & Hunniades tuebantur, repulsoque hinc hoste, cum ad sublevandos alibi suos procurrissent, ibi quoque simili fortunâ utebantur. Jamque fusus erat omnis pene Turcarum equitatus. Janizeri supererant, robur hostilis exercitûs, quibus & Amurathis ipsius præsentia animum addebat. In hos incautiùs invectus Vladislaus fortunam priorum successuum omnem corrupit. Quippe repente illic flos victoris exercitûs velut voragine absumptus periit. Ipse Vladislaus circumventus undique ab hostibus & mox equo suffosso delapsus, priusquam occumberet, magnam circa se stragem edidit, idem ùt vitæ prodigus, ita mortis suæ vindex. Tali exitu perpetratum est prælium toto orbe decantatissimum, & tum cæsorum utrinq; numero (nam Regiorum ad IX. Turcarum XXX. millia cecidisse feruntur) tum principis laudatissimi cæde luctuosum. Ad quam, utChristianus olim orbis ingemuit, ita moveri hodieq; Principes debent, ut servare fidem meminerint, cuicunque data fuerit, etiam infideli.

CAP. III.

CASIMIRUS TERTIUS.

Casimirus Regnum recusat. Lithuani turbidi. Prussi se dedunt. Cum Cruciferis prælium adversum. bellum cum iisdem continuatum. libertas Rithuanii in censendo Rege. Pax cum Cruciferis. Nuncii nobilitatis instituti, qui quasi Tribuni. Bohemorum turbæ ob religionem & successorem regni. Cum Matthia Ungariæ Rege bellum. Cruciferorum conatus sopiti. Bellum inter filios Casimiri de regno Ungarico.

APud Polonos dubia de morte Regis fama eligendi succesſoris consilia aliquandiu suspendit. Sed ubi Ungaros alium sibi Regem creâsse intellexerant, frustra se quoque Vladislaum opperiri credidêre. Itaque fratri hujus Casimiro, Lithuaniæ tum Duci, regnum deferunt. At is pertinaci fastidio atq; arroganti quâdam modestiâ oblatum honorem diu respuit. Dum tandem versis in Boleslaum Masovium Procerum studiis, æmula-

æmulatione ad pœnitentiam motus, imputari sibi passus est regnum, quod nuper spreverat. Ac quas alias recusandi caussas habuerit, in ambiguo est; à Lithuanis inprimis retentum esse opinio fuit, & satis postea odia horum ostendêre, postquam sceptrum ille susceperat, in apertum producta. Invitati aliquoties ad Comitia, vel negarunt venire, metum insidiarum causati; vel leges attulêre minus honoras Polonis. Corrigi fœdera volebant, olim sub Jagellone pacta; Podoliam præterea & Voliniam requirebãt, tanquam membra antiqua sui principatûs. Faciebat audaces occulta in illos Regis inclinatio: quæ contra apud Polonos isti non parùm invidiæ conflabat: adeò, ut aliquandiu velut in partibus essent Rex & Respublica. Donec tandem deposito à Rege jurejurando, quod multoties hactenus à Polonis flagitatum distulerat, placata nobilitas, quæ plura alia desideraverat, publicæ concordiæ remisit.

II. Conciliatis utcunque suorum animis, novo se mox fœdere Casimirus succinxit, ductâ in uxorem Alberti Imperatoris filiâ Elizabetâ. Ac vix dum nuptiarum

ptiarum solennia peregerat, cum Prutenorum legati adveniunt, opem orantes adversus Cruciferos, quorum pleræque urbes jugum excusserant. Nec cunctatus diu Rex in fidem recipere populum antiquitus subjectum Poloniæ, postquam secessisset, nullis hactenus armis ad obedientiam flexum. Missus igitur Regni Cancellarius, Johanues Conjecpolius cũ aliis nonnullis, qui juramentum ab iis acciperent. Quod & veniente paulò post in Prussiam Rege ipso iteratum. Ubi vîcissim illis Rex multa ad libertatem stipulatus est. E quibus hæc præcipua: ut pars Regni essent, liberos ad honores aditûs haberent, suo jure Culmensi seu quocunque alio vellent, uterentur, à teloniis portorisque immunes, nulli præfecto nisi indigenæ parituri. Privatim etiam Gedanensibus septingentarum, quas vocant, marcarum census remissus est, addictumque iisdem pro bis mille aureis, quicquid emolumenti rediret ex moletrinis urbanis, ex vicinioribus item agris, qui quod Vistulâ interluuntur inundanturque subinde, Insulæ minoris nomen accepêre. Imperatum vicissim, quotannis

nis ut Regem advenientem omnemque comitatum Regium per quatriduum suo sumptu exciperent, pro arce, quam diruissent, Palatium Regi, granariumque intra urbem exstruerent.

Interim autem Cruciferi BohemiæRegem, mox & Pontificem Imperatoremq; permoverant, ut mitterent legatos, qui repetundarum Polonos agerent. Sed hi cum in Poloniam venissent, lentas istic ad postulata sua reperêre aures. Nec desistebat Rex missâ in Prussiam militum manu Mariæburgum ac Stumam oppugnare, perseverantes tum usque in obsequio Cruciferorum urbes. Atque hi quoque satagentes rerum suarum, non spernendum jam per GermaniamBohemiamque contraxerant exercitum, & catervatim subinde Choiniciâ oppido effusi, lacessebant Polonos. Movit in illos jam seriò magis Casimirus, præmisso eodem Nicolao Sarleio, Inovladislaviensi Palatino. Mox & intellectâ hostium multitudine prævalidâ, ne impar omninò esset exercitus regius, copiæ quædam è Majori Poloniâ subito in auxilium evocatæ sunt. Rudes illæ magnam partem bellî,

belli, præferoces tamen & depeculandis sociis inprimis licentiosæ. Has tales cum Rex in aciem duxisset, improsperè pugnavit. Nam & castra ab hoste occupata, & ex Proceribus plurimi cæsi captive. Ipse penè Rex in potestatem hostis venerat, nisi illum cura proximorum prælio subduxisset. Culpam infelicis pugnæ alii in Duces rejiciunt, qui militiæ inexperti plerique, nec præmisissent pro more equitem rumpendæ hostium aciei, sed & locum prælio delegissent arctiorem, quâm ut explicare se turmæ potuerint. Sed hæc omnia ex contemptu ferè hostis orta, quem ante prælium quidam flagellis aurigarum fugaturos se jactaverant. Usque adeo nec in bello cuiquam benè cedit arrogantia, & vel minimus hostis tum maximè contemnendus esse desinit, cum contemnitur.

III. Cladis illius ignominiam ut aboleret, nihil non egit Casimirus. Primùm ne sumptus ad bellum deessent, constitutum in Comitiis Petricoviensibus est, ut Nobilitas universa dimidium annorum censuum in publicum conferret. Eidem oneri nec sacer ordo exemptus, & Rex

quoque

quoque ipſe ſe ultrò ſubjecit. Hoc tam inſolente tributo mercenarius miles conſcriptus, redemptumque Mariæburgum eſt, pretio dato militi hoſtili, qui id oppidum in dilatæ mercedis pignus à Dominis ſuis obtinuerant.

Exin aliquot annis continuò, & vix ſumptis ſemel ad reſpirandum induciis, in Pruſſiâ pugnatum eſt, Marte perambiguo. Eosdem ſubinde in iiſdem ferè campis victos victoreſque reperio; eadem loca amiſſa recuperataque. Choinicia ſanè, Sueca, Meva, Morangum, Mariæburgum denique ipſum ſæpè reciprocos hos belli æſtûs ſensêre. Thorunium, Gedanumque, quamvis à belli calamitatibus non immunes urbes, proditionibus quoque inſuper tentarentur, magnâ fide & conſtantiâ Regias partes tutatæ ſunt.

Sed bello huic non ita aſſiduo præſens incubuit Caſimirns, quin Poloniam ſubinde viſeret, & conſtituendis ibidem rebus Comitia haberet. Imprimis autem, quæ Anno cIɔcccclix. Petricoviæ indixerat, clara ac memoranda extitêre libertate Johannis Rithvanii Sendomirienſis Præfecti, qui miniſtrorum regiorum non coër-

coërcitam licentiam, monetam adulteratam, insolentiam vectigalium, effusiorem ejus in Lithuanos beneficentiam prolixâ oratione Regi publicè exprobravit. Is tamen auditus patienter est mirâ Regis modestiâ; seu hanc ipsi inseruerat natura, seu ratio temporum svaserat. Minus certè ei litare potuit Jacobus Sieninius, Dobeslao Palatino Sendomiriensi, Sbignei Cardinalis fratre genitus. Qui nuper ad Pontificem summum legatus, & ab eodem Episcopatui Cracoviensi præfectus, præter cæteros, qui alii hanc dignitatem delatam mallent, Casimirum quoque ipsum tam adversum habuit, ut in arcem Pinczoviensem & mox, imminente ibi obsidione, in Melstinensem receptus, cum duobus Dlugossis clientibus, ægerrimè vim regiam effugerit. Horum alter Johannes, Canonicus Cracoviensis, autor est historiæ patriæ, cujus pars Venetis inscripta extat; reliquæ hactenus premuntur. Is verò post Regi reconciliatus, liberisque Regiis moderator studiorum additus, postremò Archiepiscopatum Leopoliensem adepturus fuerat, nisi mors intervenisset.

IV.

IV. Prutheni belli diuturni malis feſſi fruſtrà diu pacem petebant, pertinacibus ad perſequenda deſtinata non minus Polonis, quàm Cruciferis. Nec legatus Pontificis, qui arbitrium cauſſæ ſibi popoſcerat, auditus eſt. Nimis inclinatus in Cruciferos videbatur, & Sieninii, de quo ante dictum. patrocinio odium Regis incurrerat. Tandem cum ad Oſiecum, & mox ad Choiniciam fuſi Cruciferi eſſent, magis ſeriò utrinque de pace cogitare cœptum eſt.; Polonis etiam, licet aliquoties jam victoribus, fortuita reputantibus belli, nec continuanda arma ratis, cum decorè poni poſſent. Et interim alius à Pontifice legatus advenerat minùs, quàm alter fuerat, obnoxius partibus. Hoc annitente bellum magnis odiis, eventu vario, tot annis geſtum, Torunii in has leges compoſitum eſt: Rex Pomeraniam, Culmenſem & Michalovienſem terram, Mariæburgum porrò, Stumam, Elbingam cum ſex pagis, qui ad arcem Hollandiæ pertinebāt, teneret. reliqua Cruciferis relinquerentur, eorumque Magiſter ſub fide & Clien-

entelâ Regis pro principe &Senatore Regni haberetur.

V. Sub id tempus cum de ſolvendis militi ſtipendiis ageretur, & Poloniæ minoris cives ſine cæteris, qui aberant, ſciſcere quicquam nollent, conſtitutum, ut è ſingulis Palatinatibus legati ad comitia mitterentur, qui cum Rege de Reipublicæ negotiis civium ſuorum nomine deliberarent. Quod tum primùm fieri cœptum poſterioribus temporibus ita inolevit, ut citra legatos ejuſmodi (Nuncios terreſtres vulgò vocant) nulla comitia legitima habeantur. Similem fere hi poteſtatem habent cum Tribunis plebis, illis olim Romanæ libertatis acerrimis cuſtodibus: qui poſtea, cum Roma, exutâ æqualitate, unius juſſa Principis aſpectaret, exolevêre.

VI. Sed idem, qui pacem Pruſſicam conciliaverat, legatus Pontificis, Caſimirum mox in Bohemorum Regem Georgium, tanquam Huſſiticæ ſectæ obnoxium, & ob id Pontifici inviſum, ſtimulabat. Habebat & inter Bohemos ſuos Georgius multos ſibi infenſos: qui tum misêre ad Caſimirum Oratores, regnum ipſi

ipsi vel alterutri ex filiis offerentes. Cunctante Casimiro, Matthias Ungarorum Rex, gener Georgii, regnum ejus ultrò appetit, susceptusque est à non paucis pridem ipsi addictis. Quæ res Georgium permovit, ut missis legatis Vladislaum Casimiri filium successorem sibi destinaret, promissa etiam illi in uxorem filiâ Ludmilâ. Diu à Polonis seu dubitatione, seu neglectu suspensum responsum est; seròque vix demum missi legati, qui, ut vivus Georgius filio Regio cederet regnum, postularent. Sed hic interim cunctatione, mox & responso Polonorũ offensus, vel potius necessitate ita jubente, in Matthiam factus erat propensior, quod ab isto & propior vis immineret, & beneficium accepisset, restituto in libertatem filio suo Victorino; promissum denique haberet retinendi regni, dum viveret, certo interim successionis mansuro Matthiâ.

Paulò post secuta Georgii mors agitatam ab ipso tot annis necdùm finitam de successore curam solis Bohemis reliquit. Qui primùm quidem in partes abiêre, plerisque filium Casimiri Vladislaum, Matthi-

Matthiam aliis, non paucis Cæſarem; quibuſdam denique extincti filium, præferentibus. Sed prævaluit illa pars quæ Vladislaum elegerat. Qui & properè accitus, non ſine valido comitatu in Bohemiam venit, ac jurejurando præſtito ſimul acceptoque, regni poſſeſſionem adiit, non impediente Matthiâ, qui, coortis in Ungariâ ſeditionibus, proprio de regno periclitabatur. Nam præcipui Ungarorum pridem illi occultè infeſti, & à Bohemis contemptum apertius jam ſpernentes, miſſis legatis alterum Caſimiri filium patri cognominem, ad regnum vocabant. Minùs jam quàm nuper cunctatus Rex mittit filium, ſed improſpero eventu. Vix enim venerat in Ungariam Caſimirus, cum admoto properè à Matthiâ, cui impar eſſet, exercitu, ad ſubita fugæ conſilia coactus eſt: ſecuturuſque æmulum tum ſtatim ad Poloniæ oras videbatur Matthias, niſi iratum pater Caſimirus, miſſis qui ſe interponerent, legatis mitigaſſet. Nihilominùs ille poſtea injuriæ memor, captato tempore, ſubjectam Carpathiis montibus Poloniam (ſubmontanam vocant) deprædando, vindictæ

vindictæ litavit. Nec hîc quidem ſtetit indignatio. Saganenſium Ducem in Polonos concitat, ut Frauſtadium finitimũ Sileſiæ oppidum, invaderet, latèque circumjecta popularetur. Denique etiam in apertum bellum erupit, miſſo in Vladislaum Bohemiæ Regem exercitu, qui Poloniam ſimul infeſtaret. Ivêre in illum Pater & filius, ille Polonos, hic Bohemos ſuos defenſurus, extractumque quidem longo ſat tempore bellum eſt, majore tamen fragore, quàm partium damno detonuit. Tandem poſtquam utrinque populationibus & prælio uno, Ungaro quam Polonis feliciore, exſatiata odia eſſent, in pacem his legibus deſcenſum: ut Matthias Regis Bohemiæ titulum uſurparet; Bohemiæ autem ipſius adminiſtratio penes Vladislaum Caſimiri filium, Sileſia & Luſatia penes Matthiam, dum viveret, maneret.

VII. Eâdem pactione ſopiti ſunt motûs, qui nuper in Pruſſiâ, machinatore eodem Matthiâ, coorti erant. Concitaverat enim is occultè Cruciferorum Magiſtrum ad excutiendum Polonorum fœdus. Qui venire aliquoties ad regni comi-

comitia aſpernatus, tandem arma etiam ſumere in Caſimirum cœptaverat, jungente ſe illi Nicolao Tungeno, qui Varmienſi olim epiſcopatu dejectus, eundem invito ſibi rege vindicatum ibat. Sed hi miſſo à Rege exercitu coërciti, mox vim majorem experturi fuerant, niſi Matthias illos pactionibus ſuis comprehendi voluiſſet.

Sub idem tempus Muldavi à Rege, ipſo imperii initio, in fidem ſuſcepti, & ex eo tempore ſtrenuè ſe ſubinde adversùm Turcarum vires tutati, jusjurandum iterant, Stephano tum illis imperante. Ictum quoque tum fœdus cum Bajazete Turcarum Imperatore, operâ imprimis Nicolai Firlei, qui poſtea Caſtellanus Cracovienſis factus, ſupremum ſimul exercituum regimen ſummâ laude geſſit. Tartaros verò perpetuis incurſionibus Poloniæ infeſtos, & tum quoque recenti populatione graſſatos, filius Regis Joh. Albertus magnâ ſtrage ultus, egregiam ſibi fortitudinis ac prudentiæ famam circumdedit. Quæ paulò poſt Ungaros per Matthiæ mortem Rege orbos movit, ut eum in Regem poſcerent.

VIII.

VIII. Sed ex eâdem gente, alii fratrem Alberti Bohemorum Regem malebant. Quæ res bello inter propinquos ac fratres materiam præbuit; Malo adeò potente in animis hominum Ambitione, ut sanctissimarum quantumvis amicitiarum, ipsaque naturæ parentis vincula nullo negotio abrumpat. Ingressꝰ ergo cũ exercitu Ungariã Joh. Albertus, fratrem ibidem repperit, incubantem jam Budæ, quæ Regni caput, cæterasque urbes ad se pellectantem, artibus præcipuè Beatricis Reginæ, quam spes novi matrimonii illi conciliaverat. Nec segnior Joh. Albertus altera parte Sobinoviam Eperiassumque occupat: at Cassoviâ, quam eodem impetu opprimere speraverat, excluditur, Et interim Vladislai se exercitus admoverat. Antequam tamen res ad manus veniret, sæpè de pace laboratum est, velut trepidantibus adhuc nonnihil principum animis inter belli scelus & fraternæ pietatis affectum. Joh. Albertus Patrem consulit in Lithuaniâ tum agentem compescendorum Severiendum caussâ, qui nescio quæ janitoris Regii fastidia concoquere impotes, re sane exiguâ moti, ad

Moſcum defecerant. Patre ad cœpta urgenda hortante, animus Alberto redit; ſed is viribus deſerebatur, dilapſis adCaſſoviam jam magnam partem, tædio obſidii, militibus. Contra Vladislao ingens erat exercitus. Nihilominus educit Albertus in aciem ſuos, qui fortiter in hoſtem invecti, ſed prægravante multitudine repreſſi victique, ſatis oſtendêre vim ſibi magis quàm virtutem deeſſe. Ipſe Albertus tres equos in ardore prælii amiſit, gladioque, quem pugnando fregerat, carens, penè in duorum manus Bohemorum venerat, niſi eques quidam Crupſiu alium periclitanti ſubminiſtrâſſet: Quo ille deinde hoſtem utrumque aſſequutus iræ ſuæ immolavit. Poſt prælium ferunt Vladislaum de ſalute magis fratris, quàm de victoria lætatum, incertum à ſimulato affectu, an, ut fieri ſolet in animo non degeneri, miſericordia extinxerat odium, & quem timere deſierat, cœpit amare. Conceſſit illi quidem Sileſiæ oppida quædam, & ſi improlis moreretur, ſucceſſorem ſibi eundem in Regno Ungarico deſtinavit, Non multò poſt Caſimirus, pactis cum Moſco induciis, & Mu-

châ, agresti homine, qui ex Valachis Russisque latronibus contracto decem millium exercitu, multùm turbarum per Russiam dederat, represso captoque, moritur, postquam XLV. annis regnasset. Ante mortem ejus tres in aëre Soles conspecti, & duobus pene mensibus Cometes arsit: velut approbante ita magnitudinem Casimiri cœlo, quod vulgarium principum mortes sine motu præterit, magnorum in fatis laborat.

CAP. IV.

JOHANNES ALBERTUS.

AB ANNO cIↃCCCCXCIII. AD ANN. cIↃIↃII.

Competitores regni. Venetorum Legatio. Cum Turcis pax. Callimachi mors. In Muldavos bellum non necessarium. Eorum stratagema. Et mox cum Turcis ac Tartaris irruptio. Turcis infelix ob frigus inusitatum. Pax deinde per Poloniam. Mors prematura Regis.

CAsimirus moriens filios quatuor reliquerat, quæ res ancipitem Polonis curam attulit, quem ex iis regno præficerent.

rent. Augebatque difficultatem Johannes Masoviæ Dux, cujus ambitioni subditi sui arma ad regnum, & ex Polonis quidam suffragia commodabant. Evîcit tamen Johannes Albertus, fratribus cæteris sponte ei cedentibus, Reginâq; matre armatum mittente suffragium, ad quod Masoviorum audacia facile resedit. Cum diadema Johannes Albertus suscepisset, illico advenêre Venetorum, simulque Turcarum legati, gratulandi specie, reverà aliis de caussis. Illi scilicet, ut Regem in Turcas stimularent, hi ut idem bellum deprecarentur. Impediti enim tum Ungaricis expeditionibus tenebantur. Ac horum legatum quasi deliberabundus Rex toto anno detinuit, quô elapso demum in triennii inducias consensit. Interim Tartari, quibuscum nunquam vel justum bellum Polonis, vel fida pax est, Voliniam incurrunt, quam deprædati, stragem quoque aulici comitatûs, quem obviam Rex miserat, circa Visnovecium sat magnam edidêre.

Anno sequenti mortuus est Janussius, Plocensium Dux. Inde tractum Plocensem Johannes Albertus jure feudi, quod vocant,

vocant, ad ſe devolutum regno adjunxit. Reliquam Maſoviam frater ejus Conradus retinuit, poſtquam certis legibus fidem Reip. dediſſet.

Obiit quoque tum ſapientiæ ſtudiis clarus vir Callimachus, qui gente Tuſcꝰ, cum odium Pauli II. Pontificis incurriſſet, in Poloniam fugerat, ubi benignè exceptus à Caſimiro, & juventæ Regiorum liberûm præfectus fuit. Poſt mortem Caſimiri Albertum filium ſequutus, & gratiâ apud hunc validus, invidiam apud cæteros non effugit, umbram ſcilicet, ſeu fumum potius, ardentiores Regum amicitias, velut ignes perpetuò comitantem.

II. Cæterum cupidus gloriæ Joh. Albertus proferendique imperii, bello non neceſſario Poloniam implicuit. Valachiam petebat Stephano Palatino tum parentem, perpetuòque hactenus inter Turcarum & Polonas opes infidã. Quæ ut incauta opprimeretur, expeditio in Turcas obtentui ſumpta eſt. Quanquam alii velint ſeriò tum conflatum in Turcas fulmen, caſu in Valachis deflagraſſe. Cauſſamque irarum fuiſſe, quod Stephanus tranſeunti Regis militi pabulum ne-

gaſſet. Quicquid ſit, illud conſtat, legatos à Stephano miſſos ſciſcitatū, quem peteret Rex, violatos captoſque. Mox & poſt legationem Sociſavia obſidione ſepta eſt. Sed eam incolæ animosè tutabantur, & Stephanus ad bellum apertum impar (habebat enim Rex LXXX millia hominum) per inſidias carpebat obſeſſores. Pudor tandem tædiumque inceſſit hærenti ad unum oppidum tanto exercitui; turbabatque inſuper annona deficiens. Religioſiores etiam omina terrebant, quæ in egreſſu obſervaſſe videbantur. Conſuetudine hâc plerumq; vulgi, quæ in pace forti vel naturæ tribuiſſent, rebus creperis rapiendi in omen futuri eventûs. Cum ergo ipſe Stephanus dubium an fraudem meditans, quæ poſt ſequuta eſt, pacem peteret, facilè Rex, qui tum inſuper morbo attinebatur, permotus eſt, ut roganti inducias annueret, per quas ſecuriùs de pace ageretur. Parabant reditum Poloni, ſed alio, quam quô venerant, itinere. Id ubi acceperat Stephanus, monet Regem, ut uſurpatam ante viam potius relegeret; occulta ſaltuum & ardua montium prætexens, infeſta

ſta latronibus, à quib9 ſecuritatem transeuntibus non poſſit polliceri. Obtemperat Rex, nihil altius ſuſpicatus, quàm cavere Stephanum, ne militum nupero tranſitu intacta, proindeque ditior Provinciæ pars prædæ exponeretur. Sed aliud machinabatur Stephanus. Sylva erat ad Bucoviam vicum denſa fagis, aviis incerta. Hanc ingreſſus Rex copias in IV. agmina partitur. Primi incolumes trajiciunt. Secundanos, penes quos impedimenta Regia, mediam ſylvam ingreſſos, aſſultant ex inſidiis agreſtes Valachi, ſuccififque arboribus viam impediunt, ne regredi primi, vel progredi extremi poſſent. Hoſque iterum tota vi equitum peditumque Stephanus invadit. Turbati ad rem improviſam Poloni per oppoſitos undique obices ad caſtra, quæ modò deſeruerant, eluctantur. Sed hîc quoque urgente Stephano laborare cœperant, periiſſentque, niſi ſuccurrens Aulicus Regis equitatus ſono tubarum, & armorum fulgore in ſe hoſtem vertiſſet. Reſtaurata ita pugna eſt, fugatique Valachi Regiis victoriam conceſsêre. Cautius poſtea incedebant Po-

loni. Nihilominus denuo Ioc. Masovii (quos Conradus ex fœdere in auxilium miserat Regi) circumventi & internecione deleti sunt.

III. Defunctus his malis quasi rem benè egisset, in malum otium ac luxuriam discingebatur Joh. Albertus: cum repente illum Poloniamque omnem novus ab eodem Muldavo terror perculit. Nec jam solus hic veniebat, sed Turcis Tartarisque comitatus. Latè omnia ad Canciugam usque & Vislocum amnem populatus, Premisliam, Jaroslaviam & plura alia oppida diripuit incenditque. Sed leve hoc. Supra C. millia omnis generîs hominum abduxit, adeo ut Thracia, Scythia, atque Asia penè tota Russicis mancipiis impleretur.

Revertente ad suos Moldavo, Turcæ prædâ nondum contenti, soli se denuò in Russiæ agros effudêre. Verum eos, torpescentibus ad resistendum hominibus, aut fugâ dilapsis, ira Numinis insigniter ulta est. Repente enim prædatoribus gelu tam intensum, nivesque tam largas immisit, ut ad XL. hominum millia (ut est illa gens frigoris impatiens) obriguisse periii-

periisseque ferantur. Reperti, qu in exenteratis equorum ventribus calorem tuendæ vitæ quæsiverant. Multi etiam, qui inclementiam aëris effugerant, à Moldavis ipsis, habitum Polonorum mentitis, trucidati sunt. Ita ex LXX. millium numero vix X. evasisse; & ex his plerique dum abirent, confessi traduntur, Polonos à DEO defendi.

IV. Hæc ubi procella desævierat, sudum tandem aliquod pacis velut ad respirandum, Poloniæ illuxit. Primum cum fratribus, Vladislao Ungariæ Rege & Alexandro Lithuaniæ Duce, quorum ille Moldavos juvisse hactenus, alter non avocasse, cum posset, visus erat, in gratiam Rex rediit, pacto in fortunæ deinceps utriusque consortium fœdere. Minimum verò natu fratrem Sigismundum Vladislaus Ungarus Glogoviensi & Opaviensi ditionibus donavit, cæteræque insuper Silesiæ & mox Lusatiæ præfectum imposuit. Hinc cum externis Principibus inimicitiæ compositæ. Nam & Stephano culpam deprecanti, illatarumque injuriarum paciscenti oblivionem pax data est: & cum Bajazethe, quicquid etiam recla-

maret legatus Pontificis, fœdus initum. Postremò nec cum Tartaris Zavolgensibus societatem belli contra Mahumetkierkium Præcopiensium Ducem Rex recusavit. Sed cum illis auxilium promisisset, consultò moratus est, ut mutuis cædibus barbaros permitteret, amicitiæ fallaces, & mox, simul occasio in Poloniam ostensa fuerit, ad hostilia redituros. Post hæc in Prussiam Rex contendit, Magistrũ Cruciferorum (is erat Fridericus Saxoniæ Dux) juramentum præstare abnuentem suasu vel armis ad officium redacturus. Sed Torunium cum pervenisset, cœpissetque jam per legatos cum Magistro agere, repentino tactus morbo obiit, magni animi Princeps, sed ferè semper infelix: destituente in eo primùm vitam fortunâ, tandem & amiciorem fortunam vitâ.

CAP.

CAP V.

ALEXANDER.

AB ANNO cIↃIↃI.
AD ANN. cIↃIↃVI.

Dissensiones de successore. Alexander Rex creatus in Lithuaniam abit, cum Moscho bellum & mox pax. Tartarorum irruptio. Moldavi Pocutiam invadunt, non retinent. Glinscius author turbarum in Lithuania. Tartarorum strages.

REeumpublicarum Principes sibi per suffragia creantium solenne est, multos destinare, donec unus eligatur. Præcipuè in Poloniâ regnat hæc libertas, grandis felicitatis ejus pars, nisi quod quandoque in discordias luxuriat. Post Joh. Albertum, aliqua quidem ordinum de successore dissensio fuit, sed ut rationibus, non odiis aut ambitu dissidentium. Tres erant filii Casimiri, inter quos anceps quodammodo trepidabat Electio. Primus natu Vladislaus, Ungarorum jam Bohemorumque Rex, placebat nonnullis, velut ornamento ac patrocinio labo-

ranti Reipublicæ futurus. Contra alii dedignabantur externi fieri regni acceſſio, præferebantque Sigiſmundum Glogovienſium & Opavienſium Ducem. Plurimi tamen Alexandro M. Lithuaniæ Duci magis favebant, cum ipſius cauſſa, tum Lithuanorum, quos novo vinculo Poloniæ illigari, publicæ rei intereſſet. Commodùm ſupervenêre à Lithuanis legati non Regem quidem, ſed fœderis antiqui renovationem offerentes. Illico ſublata dubitatio eſt, & Alexander Rex proclamatus paulò poſt Cracoviæ inſigne regium à Friderico fratre, Præſule Gneſnenſi & ſimul Cardinali accepit. Conjugi Helenæ diadema negatum eſt, quod Græcanicis addicta ſacris Romanæ Eccleſiæ inſtituta nollet amplecti.

Vix aliquot menſibus Cracoviæ fuerat Alexander, cum in Lithuaniam avocatur, cui vis à Moſcho imminebat. Jamque Smolenſcum oppugnare is cœperat; ſed, obnisâ ad primos impetus urbe, cum inſuper Alexander cum exercitu adventare diceretur, territus, inducias cum Rege genero (Moſchi enim filia erat Regina) in ſex annos pepigit. Enimverò dum

hæret

hæret in Lithuania Alexander, Tartari Tauricani Poloniam invadunt, tramiſsâqve Viſtulâ ad Pacinoviam, Cracovienſis provinciæ oppidum, uſque prædas agunt: ſerò nec niſi cum tempus effugerat, in illos movente Friderico Cardinali, cui Reipublicæ curam Rex, dum abeſſet, mandaverat. Nec multo poſt moritur Fridericus iſte, vir aſpectu ac munere venerabilis, vitâ diſſolutior.

II. Stephanus dein Moldaviæ Palatinus Poloniam laceſſivit, occupatâ terrâ, quæ inter Tyram amnem & Sarmaticos montes procurrens, Pocucia vulgo appellatur. Sed hanc non diu tenuit, fatigantibꝰ illum & Polonis, & domi morbo, quo non multo poſt etiam interiit, vir belli artibus inter ſeculi ſui primos. Ejus poſtea filius Bogdanus patri ſuccedens Alexandri ſororem in conjugium petiit; dilatuſque ptimùm, mox ſpretus, ut contemptum ſui vindicaret, Pocuciam armis repetiit, occupavitque. Verum, ut proclivius ſemper eſt rapere aliena, quàm retinere, ita ille properè expulſus provinciâ, ægrè ab ipſius Moldaviæ limitibus vim Polonorum propulſavit. *Illo*

bello

bello periêre inter alios duo Struſſii fratres, cum longius à cætero exercitu provecti in globum hoſtium incidiſſent. Alter inter pugnandum occubuit, alter captus ac capite multatus eſt. His verò poſtero mox die magnâ Muldavorũ ſtrage atque in primis præfecti Chocinenſis, parentavêre Poloni, Poſtea de fœdere tractari cœptum, conveneratque in certas conditiones: Sed hæ, ne tum pro ratis haberentur, aliud quid interceſſit.

III. Ea tempeſtate dederat penè in Lithuania turbarum aliquid Michaël Glinſcius, ex Ducibus Ruſſis ortus, vir manu ſtrenuus, ſpectatuſque hinc apud principem, ſed criminator idem in Proceres, quibus ſuperbiam ſuam ſenſerat exoſam. Forte præfecturam quandam Lithuano equiti ademptam, Glinſcii cognato Rex dederat, Lithuanorum proceribus imperans, ut in poſſeſſionem donatæ præfecturæ hominem mitterent. Cum differrent, illi rem ad adventum Regium, Glinſcii facundâ calliditate accenſus Rex ita exarſit, ut Breſtam evocatos tollere agitaverit, cum non veniſſent, quoſdam ſummis muneribus functos gradu honoris

moverit.

moverit. Non ſine indignatione aut minaci ſilentio hæc Lithuanis tolerata, ac forſan exuiſſent patientiam quidam, niſi externum repente periculũ increpuiſſet. Nam Tartari Tauricani reportatâ noviter à Zavolgenſibus victoriâ feroces, cum creberrimis incurſionibus Poloniam vaſtaſſent; noviſſimè Lithuaniam quoque ingreſſi ſunt. Vilnæ tum Rex valetudini operam dabat. Cæteris ſeu metus ſeu privatæ diſſenſiones curam publicæ rei exemerant. Ita aliquandiu impunè barbarus graſſari potuit. Tandem extremâ neceſſitate ad defenſionis conſilia Lithuani exſurrexêre: narratque Miechovius Regem quanquam ægrum, delatũ in caſtra, ut ſuis ad extremum uſque adeſſet. Sed ubi periculum à Tartaris, ſimul & valetudo in dies graveſceret, Vilnam reductum. Interim Glinſcius Regio exercitui præfectus, hoſtem incautum prædæque cupidine vagum adortus, partim cecîdit, partim in paludes egit, queîs plurimi abſorpti. Attulit verò tum ad victoriam non parum momenti Sendivojus Ciarncovius, Palatini Poſnanienſis filius, qui cum trecentis equitibus Vilnâ accurrens, cum è pro-

è proximo colle pugnantes cum Tartaris Polonos vidiſſet, late diductâ turmâ & ſtrepitu tubarum magni ſpecie exercitûs præbitâ hoſtem terruit, ſuos erexit. His actis tacite ſe in ſtativa recipiunt victores, dum reliqui hoſtium, cladis ſuorum inſcii, cum prædâ reverterentur. Mox ut qvique venerant, cæduntur. Periiſſe tum feruntur ad viginti millia hominum. Captivorum certe Chriſtianorum ingens vis liberata eſt. Victoriæ nuncium qui Regi ferebant, proximum fato reppererunt. Nihilominùs ſublatis in cœlum manibus ac nutu (nam linguæ uſum vis morbi ademerat) lætitiam teſtatus eſt, nec multò poſt expiravit, anno ætatis quinto ſupra quadrageſimū, imperii vix quinto. Mors ejus tam præcox & cæteroquin non ſpernendi Principis multis tempeſtiva exiſtimata eſt, ob prodigalitatem, quâ exhauſturus, ſi provixiſſet, Rempublicam fuiſſe videbatur.

CAP.

CAP. VI.

SIGISMUNDUS I.

AB ANNO cIↄIↄVI AD ANN. cIↄIↄXLVIII.

Sigiſmundi cura togatæ. Glinſcii in Lithvania ſeditio & bellum cum Moſchis. cum Valachis. Legationes ad Sigiſmundum. Moſchicum bellum ſecundum. Regis ad Maximilianum Cæſarem iter. Secundæ nuptiæ cum Bona Zfortia. Bellum Pruſſicum. Comitia Torunienſia. Dantiſcanæ plebis ſeditio ob religionem. Alberti Brandenburgici cum Rege de Pruſſia tranſactio. Solimanni in Ungaria victoriæ. De Muldavis Tarnovii victoria inſignis. Moſchicum bellum tertium. In Muldavos indicta expeditio publica. Seditio Nobilitatis. Status Muldaviæ mutatus, itemque Ungariæ. Concilium Tridentinum. Mors Sigiſmundi. Virtutes animi & corporis robur.

EX Caſimiri filiis duo adhuc ſupererant, Vladiſlaus ac Sigiſmundus, quorum ille Ungariæ & Bohemiæ imperabat; hic Glogovienſium & Opavienſium, nuperque etiam Lithuaniæ Dux creatus, ſpes volun-

voluntatesque Polonorum pridem in se erexerat. Quo facilius, Alexandro mortuo, ad regnum emersit, Vladislao, quem multi æmulum fratri minori fore metuerant, non impediente, sed insuper etiam commendante proceribus candidatum. Rex nominatus Sigismundus, vulneribus illico Reipublicæ sanandis manum salutarem applicuit. Ac primùm quia profusione Alexandri ærarium elanguerat, Regiæque facultates privatis quibusdam cesserant pignori, iis recuperandis curam intendit, juvante Regem Johanne Bonero, prudente viro & quod ad rem plurimùm valebat, prædivite. Inde consentiente in tributi pensionem ordine equestri pecuniæ coactæ; scriptusque inde miles extremis Poloniæ finibus pro Republicâ perpetim excubiturus.

Sed dum in his est Sigismundus, Lithvania turbare cœpit, excitatâ à Glinscio, quem ante sæpius nominavimus, seditione, & armis insuper à Basilio Moschorum Duce ingruentibus tumens. Glinscius enim coalitâ Alexandri perpetuô favore & rebus non infeliciter gestis audaciâ, supra civilia assurgens, Lithuaniæ princi-

patum agitabat. Ambitionem verò occulere studens, Zabrezinium Lithuaniæ Mareschallum, aliosque consilia ejus curiosiùs speculantes prodentesq; hostiliter incessebat. Tandem cum suspectum se Regi sensisset, metu ad desperationem versus, Moschum clam missis legatis ad partiendam secum Lithuaniam invitat. Qui jam nuper terram illam ultro lacessere cœperat, sed tendentibus contra Polonis congredi non ausus repulsusq;, oblatam jam à Glinscio conditionem lubens accepit. Glinscius ubi in procinctu esse Moscum intellexit, palam obsequium Regis exuit, Zabrezinium verò incautum intra penates ipsius obtruncat. Rex cognitis machinationibus illico Nicolaum Firlejum Palatinum Lublinensem, summum tum belli Ducem cum exercitu in Lithuaniam præmittit, ipseque etiam sequitur, majestatem Regiam defectotibus oppositurus. Venienti Lithuani se jungunt, multique etiam ex iis, quos vel error vel prævalida necessitas in partes hostis abduxerat. Territi mox ad præsentiam Regis Moschici Duces, loca, quæ impetu inopiâve defensorum occupaverant,

rant, deseruêre, prælium inprimis cautissimâ prudentiâ evitantes. Vix semel in trajectu fluminis cujusdam restiterant, magnâ suâ clade, futurâ tamen majori, nisi nox intercessisset. Posthac apertiore etiam consternatione exercitum per avia paludum nemorumque reducunt. Rex cedentes totâ exercitûs mole sequi haud consultum ratus, Stanislaum Kiscā ad Resinam Moschorum arcem mittit. Qui latè omnia populatus, sed universæ hostis potentiæ impar, pares subinde aliquas attrivit, quodam etiam die, si accitus in auxilium Firlejus tempestivè venisset, de summâ decertaturus. Sed is serius se per ignotas in sylvis vias expedierat. Interim tamen cum globo quodam hostium feliciter congressus Kisca, reliquum exercitum terrore fudit, cùm qui primo ex conflictu effugerant, seu errore (ut est credulus pavor,) seu ne paucis cessisse viderentur, numerum Polonorum in majus auxissent. Qui fortunæ lusus postea alio certamine ipsum quoque victorem fermè decepit. Sed paulò post, cum parùm proficeretur armis, flexis utrinque ad mitiora animis, primùm inducias

ducias Rex petenti Moſcho, mox pacem perpetuam annuit.

II. Cæterum data ſic Moſchis reſpirandi poteſtas fuit, non item Polonis. Hos enim Bogdonus Valachꝰ valido cum exercitu Ruſſiam ingreſſus, ad novũ bellum vocabat, quod tamen brevi procellâ deſæviit. Quippe priuſquam Rex veniret, primum fregerant impetum Valachi, fruſtra, nec impune Camieneciam Leopolinque, munitiſſimas Ruſſiæ urbes adorti. Sic Regem in procinctu jam ſtantem haud præſtolati, cum latè omnia ferro flammiſque miſcuiſſent, ad ſua rediêre. Sequi illos juſſus Nicolaus Camienecius, Cracovienſis Palatinus, terrã hoſtilem pari ſævitiâ involavit diripuitq; Sed expletâ vindictâ cum reditum pararet, ad Tyram flumen ſubitò à Valachis, qui hactenus intra ſaltuum latebras occulti expectaverant occaſiones, invaditur. Tumultuariâ primùm pugnâ nutavit victoria, donec majore numero ordinatiùſque congreſſus Polonorum equitatus, cohortes hoſtiles perrupit. Cæſi ibi plurimi, capti non pauciores, quos omnes Camienecîus gladio percuti juſſit,

ſit, manibus parentans Polonorum, in quos nuper barbarus, præter belli jus pari ſupplicio ſævierat. Rex lætus victoriâ ſuorum, cum victis pacem iniit; unam pactus conditionem, ut ſacram ſupellectilem de templis raptam, & quicquid captivornm prædæq; memorabilioris ſupereſſet, reſtituerent. Mitiſſimum tum experti victorem, pœnas mox, quas majores meruerant, Tartaris dedêre, qui iteratis aliquoties incurſionibus ad incita planè infidam gentem redegêrunt.

III. Poſt hæc Sigiſmundus variis externorum Regum ac Principum legationibus cultus eſt. Inprimis à Pontifice Romano Achilles Graſſius, Epiſcopus Modecenſis, adfuit, ut Regem ad jungenda cum Ungaro contra Turcas arma incitaret. Nec adverſatus conſilium Rex moram tantùm poſtulavit. Paulo poſt ſecuta eſt celebris de Tartaris ad Lopuſnam victoria, Conſtantino Oſtrogio Lithuanicarum, Nicolao Camieniecio Polonicarum copiarum ducibus. De viginti & quinque millibus barbarorum longè minima pars tum evaſiſſe dicitur.

IV. Vi-

IV. Victoriam hanc Moschicum bellum excepit. Moschus enim etiam post pacem inquies infensusque Polonis, cum ingentem tormentorum vim per Germaniam conflàsset, Smolenscum tandem adortus, desertumque semel tædio moræ, mox majore vi aggressus, cum nihil proficeret, machinatore Glinscio, præfectum arci Tribunum pretio ad deditionem emercatus fuerat. Post deditum Smolenscum Glinscius resipiscens, & opera Vladislai Ungariæ Regis Sigismundo reconciliatus, facinus ereptæ urbis in Regiæ pretium gratiæ vertit, nec hanc tantùm urbem, sed compiures alias traditurum se Polonis promittit. Caruit tamen successu consilium, quòd secretorum internuncius Trepka nobilis juvenis in manûs hostis venit. Qui subjectus tormentis magnum & memorabile constantiæ specimen dedit. Nullis enim quantumvis exquisitissimis cruciatibus ad proditionem secretorum subigi potuit.

Interim ingressus Lithuaniam Rex ad Borissovum pervenerat. Ibi cum delectis subsistens exercitum ad Orsam, ubi hostis, præmittit, summa rerum Ostro-

gio

gio & Suircovio demandata. Cognito, Moſchos prælio paratos, Poloni priores in hoſtem irruunt, mox prout incubuerat ille, urgentes cedenteſque. Animabat hos Oſtrogii exemplum, non minùs militem quàm Ducem ſe gerentis. Juvabatque etiam locus modicè in tumulum aſſurgens, in quo diſpoſita tormenta multùm noxæ hoſtium noviſſimis dabant. Qui hinc conſternati fugamq; capeſſentes, proximos unà traxêre. Primi adhuc ſtrenuè rem agebant, donec & his, cognita ſociorum fortuna & aſſultantes improvisò ex vicino nemore Poloni octingenti, fregêrunt animum. Inſtant palantibus Regii. Multos ad paludem delatos, cum tranſire niterentur, inſtabilis ad gradum uligo hauſit. Interiiſſe hoc prælio triginta millia Moſchorum feruntur. Capti ex illuſtribus duo. Satraparum decem & ſeptem. de plebe nobilium duo millia, totidem gregariorum. Ex Regio exercitu non plures quadringentis deſiderati, plures ſaucii fuerunt. Cærùm (quod de Annibale olim dictum) vincere tum ſcivêre Poloni, non æquè uti victoriâ. Smolenſcum, urbem ſine

mora

mora adoriri debuerant, capi haud dubiè facilem, cunctis recenti terrore perculsis. Dum circa alia se occupant victores, novo milite, novis machinis permunita est. Interim bruma subiit, oportuitque adeò reduci militem in hyberna. Petenti ergò iterum hosti in quinquennium pax concessa est.

V. Moschis ad hoc bellum præter cæteros stimulo adjumentoque Maximilianus Cæsar haud dubiè fuerat; pridem Iagellonicæ genti infensus ob Ungariam, quam bini ex eâ familia Vladislai Austriacis præripuisse videbantur. Accesserat recens offensa in Sigismundum, ob ductam in matrimonium Barbaram, sororem Johannis Comitis Scepusii, qui Sigismundi adeò affinitate ad nuptias Annæ, Vladislao Ungaro genitæ, & porrò ad Ungariæ Regnum adspirare credebatur. Conciliare igitur sibi Maximilianum cupiens Sigismundus, cum aliquandiu dubitâsset, per legatosne id, an præsens ipse tentaret, posterius tandem elegit: minus vigente tum inter principes insidiarum, & qui non minùs hodie visendi se mutuò cupidinem plerisque exi-

mit, vano comparationis metu. Iter ergò ingressus, Posonium Ungariæ urbem venit, ubi à fratre Vladislao liberisque ejus prolixâ comitate exceptus, obvium mox habuit Cæsaris legatum, Cardinalem Gurcensem. Quîcum de negotiis, quorum caussa Rex venerat, agi cœptum. Interim Cæsar ipse Augustâ Viennam venerat, quem sine morâ Reges honorâ legatione venerantur. Ille dimissis humaniter legatis suos mox mittit, qui Reges Viennam invitarent. Sed primùm in Ungariæ Austriæque confinio lectus locus est, quo Cæsar Viennâ, Reges Posonio venientes coivêre. Inde Viennam itum. ubi quatuordecim circiter diebus, per seria suetasque aulis voluptates exactis, initum est æternum inter Reges fœdus, & ut arctius id esset, neptim suam Mariam Ludovico, Ungariæ hæredi, Cæsar locabat, ipse vicissim sibi vel nepotum suorũ alteri, Annam Ludovici sororem destinans. His actis, inter mutua propensissimæ voluntatis testimonia atque etiam lachrymas discessêre.

VI. Reducem Regem adversa quædam excepêrunt. Nam & Barbara Regina,

ob pudicitiam Esthera vulgo dicta, obiit paulo post, & Opociam Moschorum arcem infeliciter tentaverunt Poloni. Utrumque tamen dolorem ducta dein Bona Zfortia, Johannis Galeatii Ducis Mediolanensis filia, & mox prosperior Polonorum ad Polociam pugna utcunque solata fuerat, cum Tartari ad Vistulam usque latè omnia populati, tandem & ad Socalam Regios temerè atque invito Duce Ostrogio congressos, memorabili strage fudêrunt. Mille ducenti tum cecidêre ex Polonis. Ex Tartaris quater mille, ut caro empta victoria dici posset, nisi barbari sanguinis copia major nobilitate alterius æquaretur.

VII. Subsequutum est Prussicum bellum mole atrox, tempore non adeò diuturnum, nec infelix exitu. Qui Cruciferis tum præerat, Albertus Marchio Brandeburgicus, Sigismundi Sorore genitus, jurare in verba Regis abnuens, hostilia meditabatur. Eum contra missus Nicolaus Firlejus, Palatinus Sendomiriensis subito impetu oppida aliquot arcesque rapit, Hollandiam aliquandiu obsessam expugnat. Territus Albertus primùm cum

Firlejo colloquium expetit, ab eo ad Regem Thoruniam deductus, omnia Regis causſâ velle teſtatus eſt. Coiiſſetque tum fœdus, niſi nuncius adventantium auxilio Hafnia quatuor millium militum, & jam ad portum Regiomontanum appulſorum, novos Marchioni animos addiſſet. Inde relapſi ad arma Poloni Brunsbergam; Cruciferiani Heilsbergam obſident. Non multò poſt intellecto, novum è Germania ad Albertum ire exercitum, publicâ expeditione indictâ, univerſum ordinem equeſtrem Rex ad arma evocat. Germani, antequam Alberto ſe jungerent, Mezireciam, finitimum Sileſiæ Marchiæque oppidum expugnant, inde, Poloniæ ingredi interiora prohibiti, in Pruſſiam contendunt. Schonbergius iis præerat, cui memorabili aliquo facinore clareſcere cupido, audacia inceſſit Dantiſcum obſidendi. Sed urbem ad defenſionem ſui paratam expertus, cum inſuper Firlejus occupatâ Stargardiâ & Derſaviâ appropinquaret, fugienti ſimilis in Pomeraniam receſſit. Inſecutus eum Zaremba, præſidii apud Dantiſcum præfectus, & mox Firleji equitatus magnâ

gnâ clade noviſſimos affecêre. Ipſe Firlejus cum reliquo exercitu Chòiniciam interim oppugnat expugnatque. Alibi Sencignovius aſſiduis populationibus terram Cruciferorum affligtans, incenſis quam plurimis pagis, Paſſenheimum occupat. Cruciferiani autem Elbingam interim inſidiis tentant, parumque abfuit, quin obtinerent. Suggreſſi clam, portam jam unam perfregerant, dum clathros objectos moliuntur, à civibus ſaxa, calcem ac cineres deſuper ingerentibus, amiſſo præfecto, & militibus non paucis repelluntur. Fruſtratus ita ad Elbingam nec alibi felicior Albertus ad pacem flexit: miſſoque Lignicenſi Duce, & mox fratre Georgio Brandeburgico, cum convenire in amicitiæ perpetuæ fœdus non poſſent partes, arma in quadriennium ſuſpenſa ſunt.

VIII. In iiſdem, quibus induciæ conſtitutæ, comitiis Thorunienſibus, controverſiæ Pruſſorum quædam auditæ diſcuſſæque ſunt. Habebant illi antiquo privilegio proprium tribunal, quo lites ab indigenis ſolis, præſide Rege, decidebantur. Hunc morem Rex violare no-

lens, nequicquam contra ſentientibus Polonis, ſolus Pruſſico ſenatus interfuit. Poſtulantibus verò iiſdem Pruſſis, ut munia dignitateſque ipſorum nonniſi indigenis darentur, querentibuſque conceſſam Raphaëli Leſcinio præfecturam Slochovienſem, ſartum quidem impoſterùm ſervare hoc ipſorum jus promiſit, beneficium tamen Leſcinio datum adimere non ſuſtinuit: Majeſtatis credo tuendæ causſâ, quam lædi Reges exiſtimant, ſi fecisſe, quod non debuerint, factorum mutatione cogantur oſtendere.

Compoſitis ita Pruſſiæ rebus Rex aliquot annis tranquillè egit, nonniſi Tartarorum incurſibus identidem laceſſitus, & Ludovici Ungarorum Regis, cui Patruus erat, malis ſollicitus. Hunc quippe adoleſcentem magnus ille Europæ terror Solimannus armis jam tum adoriri cœperat. Ac in auxilium quidem illi Johannes Tarnovius, vir belli præclarus, cum ſex millium exercitu miſſus eſt: Sed ne ſic quidem impediri Tyrannus potuit, quin Belgradum arcemque Sabacenſem occuparet.

IX. Ver-

IX. Vergebant ad finem induciæ cum Cruciferis initæ, cum plebs Dantiſcana Martini Lutheri gliſcentibus tum paſſim dogmatis aſſenſa in ſeditionem exarſit. Magiſtratibus obluctari auſis ſurrogantur ex civibus alii, occupata templa, ritûs Eccleſiaſtici novati. Mox & ſcriptis literis oratus Rex, libertatem ut ſacrorum, quæ ut meliora amplexi eſſent, manentibus cæterà in obſequio confirmaret. Nec refragari quidem precibus tum viſus eſt Rex: cæterum ejus anno ſequenti ingreſſus in urbem, ſumptumque ſevera lege de autoribus ſeditionis ſupplicium ſatis docuit tempori datam priorem indulgentiam, veritumque Regem, ne immiti reſponſo dimiſſos, metuens pœnæ conſcientiâ ad Cruciferos adigeret, brevi jam induciis elapſis arma reſumpturos.

Verùm inducias quoq; iſtas non, quod timebatur, bellum, ſed pax æterna ſingulari numinis favore excepit. Quippe delectis utrinque arbitriis, Carolo Imperatore, & Ludovico Ungariæ Bohemiæque Rege, & mox, cum hi vel ſegniùs, vel ſaltem, ut longè poſiti, tardiùs agere viderentur, ſequeſtris Georgio Brande-

gico Marchione, & Friderico Lignicenſium Duce, poſt ſat longas diſceptationes, his tandem conditionibus inter Regem & Marchionem transactum eſt; ut Rex quidem Orientalē Pruſſiam Marchioni perpetuô & hæreditario jure concedat: Marchio contra vaſalli obſequium Regi juret, eidemq; centum cum haſtatis equitibus, intra Pruſſiam, ſuô, extra hanc, Regiô ſtipendiô militet. Ita exciſa eſt tandem illa materies bellorum, quibus à primô fere Cruciferorum in Pruſſiam adventu, Polonia variô eventu conflictata, ac ſæpe immaniter concuſſa fuit.

Paulò poſt ſuſceptum in feudi leges Marchionem aliô quoque inſigni auctario Polonia ditata eſt. Quippe mortui intra breve intervallum bini fratres Maſoviæ Duces, Januſſius & Stanislaus Maſoviam regnoPolonico, à quo per quadringentos ferè annos diremptum, propriis Ducibus paruerat, adjunxêre.

X. Sub hoc tempus commiſſum eſt famoſum illud Ungarorum ad Mohacum cum Solimanno prælium, cujus infelix eventus & Ludovicum Regem cum flore Ungaricæ nobilitatis abſumpſit, & Ungariæ

gariæ

gariæ partem nobilissimam imperio Turcico subdidit; Ferdinando denique Austriaco, qui ob ductam Ludovici sororem sceptrum sibi Ungaricum vindicabat, origo fuit belli cum Johanne Scepusio idem sceptrum ambiente, denique cum Solimanno ipso pro honore, uti præferebat, illius Scepusii, veriùs pro gloriâ suâ proferendisque finibus pugnante, ac plerumque heu! victore. Buda sanè tum occupata, Viennaque ipsa obsessa ac ægrè de manibus Tyranni erepta fuit. Liberatæ urbis laus, secundum Deum, binis præcipuè principibus Palatinis tribuitur: quorum alter Philippus fortiter sustinuit; alter Fridericus, admoto extùs exercitu, abstraxit terruitque obsessores. In Poloniâ interim Rex filium Sigismundum Augustum, Lithuaniæ primùm principatui, mox regno inaugurat, posthumam curam velut præcipiens fato, ut capessendis imperii curis maturè successorem assuefaceret.

XI. Porro intentam his Poloniam præclarâ de Muldavis ad Obertinum virtute imprimis Tarnovii reportata victoria exhilaravit. Fuerat Muldavo viginti

duûm millium exercitus, Tarnovio millium vix quatuor. Ad manûs cum manè ventum est, non aliô unquam insigniori argumento patuit, ut corpora, ita exercitûs, non eos semper vincere, qui majores. In prælio verò ipso ut miraculo fuerat Polonorum virtus, ita in eventu ejus fortuna lusit. Tot enim omninò illinc cecidisse reperti sunt, quot hinc pugnaverant. Sed præter cæsos capti fuêre quadringenti, porróque machinæ quadraginta octo ademptæ, Regiq; missæ Cracoviam. In cujus urbis æde præcipuâ extat hodieque pugnæ hujus penicillo expressa imago. Rex verò alio etjam honore colendam Tarnovii fortitudinem duxit. Etenim indictâ contributione publicâ binos de singulis jugeris grossos pendi victori jussit. Felix dicere Sigismundianum dicere possis seculum, quod tam inusitata virtutis & exempla tulit, & præmia.

XII. Præliô hoc infractæ nonnihil vires, nondum animus erat Muldavi. Sub inde adhuc hostilia minabatur, donec ipse ei Turcarum Dominus quietem imperavit. Cui mandato cum Ungariæ etian

Regi

Regis Johannis autoritas accessisset, induciæ cum Muldavo initæ sunt. A Tartaris quoque quietem Poloniæ dedêre cùm ipsorum inter se dissidia, tùm Solimanni jussa, qui amicitiam Sigismundi mirè prensabat, bellis Ungaricis intentus. Lithuaniam Moschus turbavit denuò, sævissimâ illam hyeme ingressus & longè lateque depopulatus. Illi tumultuaria primùm manus opponitur, mox justo exercitu juncti Lithuanis Poloni à vastatione alienorum ad sua defendenda hostem avertêrunt, expugnatis etiam in Severiensi provinciâ arcibus, Holmiâ & Starodubo, captisque ex præsidio non paucis, atque ipso etiam, qui Starodubum defensaverat, Oucynâ. Gesta hæc ductu potissimum Nicolai Radzivilii, Palatini Vilnensis; Belli verò summæ Tarnoviꝰ præerat. Nuncius victoriæ multùm auxit lætitiam nuptiarum, quas tum Sigismundus, filiæ Hedwigi, Joachimi Electoris Brandeburgici sponsæ, adornabat.

XIII. Paulò post Muldavus arma in Polonos repetiit, tantô quidem ardore, ut contra eum Rex vires Regni intimas nobilitatemque omnem ad bellum cien-

dam putaverit. Ea ad Leopolin coacta, penè in seditionem adversùm Regem & Senatores efferbuit, leges nescio quas violatas caussata, & arma induere negãs, nisi illæ affirmarentur. Asperavit commotos Senatoris cujusdam in minorum gentium nobiles, qui ob paupertatem pedites venerant, arrogans cavillum. Jamque videbatur in scelus eruptura multitudo, nisi orta cœlitus tempestas turbidos, & numero fidentes in diversa egisset; subeunte post etiam animis formidine cœlestis iræ, ut fit apud rudiores animos, quibus movendis pacandisve potentissima religio est vel superstitio. Verum composito etiam tum utcunque tumultu, dilapsus tamen Rege non adeò impediente, exercitus, irritaque reddita est expeditio. Relicta tantum ad propulsandũ hostem duo millia sub imperio Andreæ Tencinii & Nicolai Sienavii. Qui discordes inter se, & hinc rerum suarum minùs satagentes, commissâ imprudenter cum hoste longè prævalido pugnà, sexaginta plus minus nobiles viros & octingentos insuper gregarios perdidêre.

Sed

Sed brevi post intervallo mutatus est dominatus in Muldaviâ. Stephanus Petri Palatini frater, ob suspicionem affectati dominii exul, quæsitis criminandi occasionibus, Palatinum Solimanno exosum reddiderat. Ita quidem, ut is vim moliretur in Palatinum, hic vero imparem se sentiens, tentatis infeliciter fugæ consiliis, Sicaviæ arci se includeret. Ita in locum ejus Stephanus frater à Solimanno surrogatus; ipse obsessus captusq; est à Johanne Ungariæ Rege, qui hâc velut mercede Turcæ gratiam, offensis aliquibus infuscatam redimebat.

XIV. Non multò post insecuta hujus ipsius Johannis mors novis turbis Ungariam implicuit: vindicante sibi regnum Ferdinando, sanguinis jure, ut ajebat, atque insuper compactô sibi debitum; asserente contra idem viduæ Reginæ filioque ejus impuberi Solimanno, vel potius, ut eventus docuit, sibi rapiente. Postquam enim infando illô ad Budam prælio Christianos profligâsset, evocato ex urbe, per speciem amoris, Reginæ filiolo, dum comites hujus benignè à Turcis fraudem molientibus excepti, hilariter epulantur;

Interim

Interim milites mittit, qui gubernacula occuparent urbis, quasi defendendæ contra Austriacum, cui Regina impar esset. Patuit mox dolus, cum ingressus ipse urbem, Reginam nequicquam datæ fidei sacramentum obtestantē, abire cum puero in Transylvaniam jussit. Ex hoc tempore servit fœdissimam Turcis servitutem Buda, & reliquus Ungaricarum civitatū flos, grandi vestro, Christiani, dedecore, qui sanguinē, quem his recuperandis gloriosè impendere poteratis, mutuis pudendisque inter vos armis insanè, tot annis, prodigitis!

XV. Agitabat eâ tempestate orbis Christianus instinctu inprimis Caroli Imperatoris Concilium, quod à loco postea Tridentinum appellatum est. Ad id invitatus à Carolo Sigismundus, omnia pacandæ Reipublicæ Christianæ causâ velle respondit, legatumque etiam ad concilium mittere recepit. Ac missus est postea ad Comitia Augustæ habita Stanislaus Lascus Palatinus Sendomiriensis, qui gravi oratione jus Poloniæ Regum in Prussiam ostendens, Cruciferorum in Albertum Poloniæ vasallum conatus liber-
rime

time perstrinxit. Respondit huic Wolfgangus, Ordinis Theutonici Magister; constitutique liti dirimendæ arbitri, à quibus ferè contra Albertum lata sententia est, sed executio ejus Carolo Cæsari remissa, exitum nunquam habuit.

Sigismundo verò anno sequenti fatalis meta venit, principi sane immortalitate dignissimo; quique virtutibus suis à nobili historico poni meruit inter tres * Heroas illos, qui nisi simul imperassent, singuli digni fuerint, qui toti orbi imperarent. Præter sapientiam, moderationem, aliasque animi dotes admirabilis in illo fuit corporis fortitudo. Ferunt ætate florenti soleas ferreas, quales equis suppingi solent, frangere, funesque cannabinos rumpere solitum. Vix pertinet corpus ad virorum laudes, sed in Sigismundo memorari dignum fuit, quod robore ac firmitate sua nobilissimæ animæ tanto diuturnius hospitium præbuit. Vixit enim Sigismundus annos octoginta duos: quorum exacte dimidium in regni administratione consumpsit.

* *Hi sunt Carolus Quintus Cæsar, Franciscus I. Gall. Rex, & hic Sigismundus*

CAP.

CAP. VII.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS.

AB ANNO CIↃIↃXLVIII AD ANN. CIↃ IↃLXXVI.

Animi multorum in Augustum iniquiores ob matrimonium cum Radzivillia. Scholasticorum Cracoviensium tumultus. De legibus antiquis & novis disceptatio in comitiis. Cum Episcopis lites, occasione Orichovii Canonici, qui cælibatum oppugnabat. Regis Gedanum iter, & periculum Regiomonti aditum. Nuptiæ secundæ. Bonæ in Italiam abitus. post mortem ejus lites de hæreditate. In Livoniâ bella intestina, mox externa cum Mosco. Livoniæ cum Poloniâ conjunctio. Inde belli Moschici communio. item Suecici. Iohannis Finlandiæ Ducis captivitas. de Moschis victoria. Lithuaniæ cum Poloniâ conjunctio confirmata. In Dantiscanos ira Regis & ultio. Magni Holsatiæ Ducis in Livonia machinationes & cum Moscho societas. Hujus crudelitas insignita, ejusdemque exempla nonnulla. Mutatus dominatus in Muldavia, quam Bogdano principi ejecto fortiter, tamen frustra restituere

Poloni

Poloni conantur. Duella bina cum Turcis. Herburti periculum. Augusti mors & encomium.

SIgiſmundus Auguſtus patre quidem vivo Rex nominatus, à regni tamen curis, volentibus ita Polonis, hactenus abſtinuerat. Nec, mortuo parente, aliquandiu voluntates procerum multorum tam ſecundas expertus eſt, quàm vel pater vel ipſe ſpe præceperat. Offendit iſtos Auguſti poſt faſtiditam, & paulò poſt mortuam Elizabetham Auſtriacam, ſolutior vita. Magis etiam initum poſtea cum Radzivilliâ Stanislai Gaſtoldi Palatini Trocenſis vidua matrimonium. Nec intra ſilentium aut occultas voces ſtetêre offenſæ. Publicè in Comitiis traductum eſt factum Regium; aliis tolerandum jam cenſentibus, poſtquam conſummatum eſſet, aliis antiquandum ambitioſâ libertate ac facundiâ contendentibus. Qui à nonnullis ut loquentes pro legum tutelâ, quæ conjugia Regia conſenſu Reip. circumſcribunt, pronis auribus auditi: aliis privatâ magis ſtimulatione, quàm decoris publici cura loqui viſi ſunt. Interre-

terregnum nempe inducere voluiſſe credebantur, oſtentandæ ita diutius autoritati, & ut tanto enixius liberaliuſque à Rege prenſarentur. Horum anteſignanus Petrus Kmitha Palatinus Cracovienſis fuit: uti contra, Regem tuebatur Johannes Tarnovius, princeps poſt Antiſtites Senator, cui pridem Kmitha alias ob cauſſas infenſus, tantò jam obſtinatior erat, ut diverſus eſſet ab æmulo. His contentionibus tranſacta comitia citra tractationem rerum magis ſeriarum diffluxêre. Rex verò dimiſſis ad Senatum atque equitum præcipuos literis, de contumaciâ quorundam queſtus, ſuum erga Rempubl. affectum prolixè declaravit. Quæ res ſanè profuit illi non parùm ad pignerandos multorum animos; paratiore, ut fit plerumque, privatim apud ſingulos gratiâ, quam apud univerſos, quibus ipſa multitudo ut metum offenſæ, ita ſpem fructumque beneficii minuit.

II. Æſtum comitiorum excepit juventutis, quæ Cracoviæ ſtudiis operabatur, tumultus, qui viſus initio multis compreſſu facilior, quam qui in proverbio eſt, pulvis ſcholaſticus, atrocem tamen
ſubitò

ſubitò vaſtitatem Academiæ attulit. Lena quædam fœminam corpore merentem familiaribus Andreæ Karnkovii, qui tum fortè Cracoviæ agebat, ducens, in ſtudioſos inciderat, atque ab iiſdem habita erat contumelioſius. Illa injurias queſta apud Aulicos, ad quos tendebat, facilè eos in vindictam impulit, effecitque ut facto in ſtudioſos inermes impetu, alios miſeris modis exciperent, alios trucidarent. Illi poſtridie arcem agminatim ingreſſi, inconditis clamoribus Regias aures pulſant, vindictam poſtulantes, &c, ut mos tumultuantibus, Reis vel ſubdere vel jungere innoxios, ipſum arguentes Karnkovium. Rex increpitos de nimio ardore quieſcere juſſit, ſaltem dum deſtinarentur judices, rem prout geſta eſſet, cogniturі. Illi furore vecordes nec Antiſtitis Cracovienſis, ad quem poſtea ablegati erant, ſententiâ acquieſcentes, abire Academiâ minantur. Quod &, cum ſuſque deque haberi ſe viderent, fecêre. Exivit mœnibus triſte ac miſerabile agmen, ſacra illa verba, *Ite in orbem univerſum, &c.* ingeminans, velut præſaga eorum, quæ poſt contigerunt. Pars etenim ad

parentes

parentes domum, cæteri in Germaniam, Prussiam ac Bohemiam dilapsi, hausta istic Lutheranorum dogmatum semina per Poloniam postea sparsêre.

III. Sequentis anni Comitia pari ferè eventu, quo priora, finita sunt. In iis Antistes Gnesnensis Regias literas, quas ad proceres missas diximus, perstrinxit. Post actum de legibus, quarum alii antiquas, alii eas, quæ Johanne Alberto & Alexandro Regibus rogatæ essent, exerceri volebant, prout scilicet quisque has vel illas in rem suam fore viderat. Posteriores accendebat quoque invidia in Johannem Tarnovium & Maciejovium, quorum hic, contra leges sub proximis Regibus latas, Cancellarius simul & Antistes Cracoviensis: ille Castellanus Cracoviensis præfectusque juxta Sendomiriæ esse arguebatur. Regi pro his & antiquis legibus stare viso, ne caussam obtineret, per Johannem Tencinium Palatinum Sendomiriensem intercessum est. Qui sellâ ob senium illatus in curiam, acri oratione leges ad usum præsentem flectendas suadebat. Movitque ætas & autoritas viri, ut ampliandum saltem Senatus judicaret.

Inde cum Episcopis actum, quorum potentiam ut iniquè pridem ordo equestris aspiciebat; ita apertis sententiis tum invadere cœpit: præbitâ perOrichovium ansâ, qui Canonicus Premisliensis cum esset, ab Episcopo oppugnati cælibatûs causâ, munere & ditione motus fuerat. Is igitur & affinitatibus potens, & gratiosus apud alios tacitè eadem molientes, publicâ aurâ privatæ caussæ tum velificabatur. Nihil tamen in eâ re his comitiis ob discordiam procerū concludi potuit. Ille audentior factus matrimonii sacerdotum modò assertor, mox exemplum fuit, ductâ in uxorem Chelmsciâ. Nec Antistites remittebant odia, sed strictis subinde in hunc Orichovium gravioribus sententiis, mox in Olesnicios quoque, Stadnicios, Ostrorogios, Lassovicios, aliosque hæreseos damnatos, insurgebant. His Rex tertiis comitiis Petricoviæ habitis accesserat; sed &Regio decreto ab ordine nobilium tam pertinaciter reclamatum est, nullus ut Episcoporum exercere potestatem suam sustineret.

Posthæc Gedanum Rex abiit, componendis ibi reb9, quæ in tumultum eodem reli-

ligionis stabello exarsuræ videbantur. Et ingresso etiam urbem Rege, diu plebs tinebat timebaturque, & parùm sæpè à seditione abfuerat, nisi Regis moderatio ac benignitas diffidentium metûs sustulisset. His ita humanitate mitigatis, Regiomontum Rex proficiscitur, vitæq; hîc prope periculum adiit. Dum enim testandæ sub ingressum lætitiæ tormenta explodetentur, errore magistri tormentarii pila emissa ferè tetigerat Regem, ut quæ fortuitâ solùm equi declinatione prætervolans, ponè sequenti Visniovecio caput abstulit. Frementes Polonos in AlbertumBrandeburgicum, qui hospitem excepturus aderat, Rex cohibuit, Foxii mathematici, qui eo die periturum Regem prædixerat, augurium, mirabili artis & falsi confinio, se salvo expletum, hilari voce exclamans. Magistrum quoq; qui erraverat, indignationi Alberti, sollicitius irascentis, quò se magis absolveret, eripuit.

IV. Viduus Rex erat, mortuâ non ita pridem Radzivillâ, postquam diadema Regium, accurante marito, proceribus conniventibus, suscepisset. Novum ergo

go conjugium ſuaſu Senatorum ambienti, Catharina Cracoviam adducitur, Auſtriaca ſtirpe, olim Franciſco Mantuæ Duci nupta. Cum hâc in Lithuaniâ, quâm unice adamabat, aliquot annos inturbidos habuit, niſi ſi quas interdum nebulas interſpargebant religionum turbæ, quas pridem gliſcentes veniens à Pontifice Legatus, extinguere non potuit, ſectis variis ab ipsâ gentilitia libertate vires ſumentibꝰ, quibꝰ nec Aula fortiter ſatis contraibat. Nonnihil etiam Regẽ turbabat mater Bona Zfortia, quæ poſtquam XL annis vixiſſet in Poloniâ, tandem obtentu valetudinis curandæ in Italiam ad ſuos (erat enim Duce Mediolanenſi genita) proficiſcendi animum cepit. Non decorum ſibi Rex putabat matris diſceſſum, avecturæ inſuper alienam in terram debitos Filio theſauros. Illa adverſum Regem ſentiens, tanto acrius inſtitit, acuente inſitum pridem abeundi deſiderium, filio cedendi verecundiâ. Mox dolum addens contumaciæ, donis ſuffragia procerum quorundam, quibus obnoxium principem noverat, emercatur. Interpoſuit quoque pro matre preces Iſabella Unga-
riæ

riæ Regina Augusti soror. Ita dimissa vix annum in patrio solo exegerat, cum extincta est, dubium an quæsitâ morte. Plurimi Laurentii Papagodæ dolum suspectabant, grassatum credentes & veneno in principem, cum reditûs cupidam cerneret, & testamento ficto in Ducatum Barensem, quem Augusto debitum Philippus Hispaniæ Rex ut complementum regni Neapolitani sibi vindicavit, elusis satis superbe legatis, quos Augustus subinde repetundarum causâ mittebat.

V. Livoniam Lithuaniæ Prussiæque confinem provinciam agitabant ea tempestate super Moschorum prævalida arma, domi nata inter Archiepiscopum Rigensem & Magistrum ordinis Theutonici dissidia. Quibus initium assumptus ab Archiepiscopo Brandeburgico Principe Coadjutor, ut vocant, Christophorus Dux Mechelburgicus, præbuit. Eoque crevêre, ut Archiepiscopum quidem adversarii in vincula datum indignè haberent. Ea res Augustum movit, ut illi, quippe consanguineo suo, auxilium ferre moliretur. Contracto mox ingente exercitu Livoniam ingressurus erat, nisi no-

vi belli

vi belli fama exciti Imperator, Rex Daniæ aliique Principes misissent properè legatos, qui lite compositâ, orienti materiam incendio præciderunt. Restitutus ita dignitati suæ Archiepiscopus, eidemque successor designatus Mechelburgicus.

Acquieverant utcunq; domesticæ turbæ, cum Moschus majore, quam unquam antehac, impetu insurgit. Intra breve tempus Narvam, Neuhausium, Derpatũ, tandemque Felinum occupat, ipso insuper Magistro Livoniæ Furstenbergio capto. Livones suæ sibi defensioni jam impares ad externa auxilia respiciunt. Non unum tamen omnium perfugium fuit: Revalienses Erico Suecorum Regi se dedunt; Archiepiscopus Rigensis cum Magistro Livoniæ, & subjectâ nobilitate ad Augustum Regem se recipiunt. Qui tamen nisi se suaq; omnia Poloniæ ac Lithvaniæ regimini subjicientibus & fidem juratis patrociniũ polliceri noluit. Cunctati equidem illi, sed urgente necessitatis telo, satius tandem judicant imputare subjectionis leges Polonis, quam à Moscho irato accipere. Dato discutiendis utrinque conditionibus tempore aliquo,

tandem Magiſter ordinis Gothofredus Ketlerus, ſolenniter magiſterio ſe ordinis abdicat, arcemque Rigenſem, in quâ hæc agebantur, atque ipſam etiam urbem Nicolao Radzivillio Palatino Vilnenſi, qui Regis nomine aderat, tradit. Ipſe viciſſim à Radzivillio Curlandiæ & Semigalliæ Dux, poſtridie verò Prorex gubernatorque Livoniæ proclamatur.

VI. Novæ ita Provinciæ acceſſione aucta Polonia, bellis quoque novis implicita eſt. Nam & in Moſchum magnæ Livoniæ parti incubantem, & tum Tartaro ademptis Aſtracano Caſanoque regnis, inſolentiorem, arma ſumenda erat; nec cum Erico Sueciæ Rege, cui Revalia ſe dediderat, diu pax culta eſt. At contra illum quidem primò ad Nevelam non infeliciter pugnatum eſt, Ducum inprimis virtute, inter quos Stanislaus Zamoſcius & Johannes Zborovius eminuêre.

Sed paulò poſt circumagente ſe fortunâ obſeſſa ab hoſte Polocia ampla urbs, & tandem crebris tormentorum, quæ plurima & raræ molis adduxerat, arietationibus expugnata eſt: magnô Regis dolore, quem auxit nuncius occupatæ à Re-

valienſi

valienſi præfecto Parnaviæ, oppidi ob faciles appulsûs commerciis peropportuni. Conſpiraverat quoque cum Suecis Chriſtophorus Mechelburgicus, Archiepiſcopi Rigenſis adjutor, quo mortuo locum ejus invitis etiam Polonis occupare tendebat. Sed à Duce Curlandiæ & Erneſto Vejero in arce Dolenſi captus, miſſusque in Poloniam quinquennii integri vinculis defectionis ſuæ & ſimul patratæ cædis (nam Vanſovicium quendam ad menſam pugione transfixerat) pœnas luit. Idem fatum in Suecia JohannesFinlandiæ Dux ſubiit, quem Auguſto ob ductam ſororem affinitate innexum, hucque adeò inclinatiorem animo creditum, Ericus frater Suecorum Rex carceri incluſit.

Triſtia hæc reportata paulò poſt illuſtris in Lithuaniâ de Moſchis victoria penſavit. Duplici illos agmine in Lithvaniam effuſos eadem utroſque fortuna deprehendit. Namque alteros quidem Nicolaus Radzivillius & Georgius Chodkievicius Duces exercituum aggreſſi ita cecidêre, ut ſupra viginti millia ferantur occubuiſſe. Ducem eorum Suiſcium præ-

lio elapſum agreſtis quidam obtruncavit. Cæteros Stanislaus Pacius, Dapifer Lithvaniæ memorabili itidem ſtrage profligavit, tormentis inſuper eorum potitus. Interjecto aliquo intervallo Parnovia, quam paulò ante occupatam à Suecis diximus, recuperata eſt, proditione maximè Germanorum, quorum aliquot turmas Suecus exautoraverat. Pars illorum maxima excedit urbe, tanquam ad Curlandum itura, alii neſcio quæ negotia prætexentes manent. Convenerat autem inter ipſos, ut hi illos noctu portis apertis in urbem admitterent. Quod & factum. Ingreſſi enim tanquam valedicturi domum Senatoris, penes quem claves urbis, epuliſque inſtructis commeſſantes hoſpitem ipſum vino deponunt. Ita clavibus potiti, nocte ſerâ commilitones pridie egreſſos intromittunt: Fit impetus in Suecos, Germanis qui Sueco uſque merebant, ſi quieſcerent, promittitur impunitas. Occupatâ urbe arx adhuc reſtabat. Sed & hanc Sueci poſt toleratum ſeſquimenſis obſidium dedidêre.

VII. Sub hæc tempora rediit in Poloniam Adamus Konarſcius aureorum ali-

quot

quot millia Neapoli ab Hiſpaniæ Rege ferens Auguſto. Id fœnus erat pecuniarum, quas Bona nuper mutuò dederat Hiſpano. Sed Regem non ita allata exhilaravit pecunia, quantum prærepta Ducatûs Barenſis hæreditas offenderat. Sanè quovis modo ob id Auſtriacis ægrè facere laborans, Catharinæ uxori repudium denunciare machinabatur, obtentui ſumptâ mulieris ſterilitate. Quanquam nec ex cæteris uxoribus prolem Auguſtus unquam ſuſceperat.

Quâ orbitate credo motus ſeriò agitare cœpit, ut provincias Lithuaniæ, per Caſimirum Regeſque proximos averſas, regno redderet uniretque, dudum id urgentibus Polonis. Hactenus tamen Proceres Lithuaniæ obſtiterant conſilio, atq; inprimis Nicolaus Radzivillius. Sed is recens obierat, vir maximis in Lithuaniâ muneribus perfunctus, aliis forſan eo nomine inviſus, quod primus Vilnæ, hominibus Calvini nomine exoſis aulam indulſit, in quâ ſacris ſuis operarentur; Bibliorumque in vernaculum translationem procuravit. Eo mortuo priſcum illud

Lithuaniæ cum Poloniæ regno fœdus renovatum ſancitumque eſt.

Paulò poſt & Albertus Pruſſiæ Dux, mortuo patre, obſequium fidemque Regi ac Regno juravit. Cui viciſſim Rex privilegia vetera ſtabilivit, additâ inſuper Auguſtanæ, quam vocant, confeſſionis libertate, appellandique ad tribunal Regium neceſſitate remiſſâ. Diverſa ab hoc Gedanenſium fortuna fuit, qui magiſtratui ſuo diſcordes, eumque peculatûs reum agentes movêre Regem, ut mitteret judices cauſsâ inter partes arbitraturos. Illos metuens magiſtratus ægrè nec niſi certas conditiones ſtipulatus, in urbem admittit. Quod indignè ferens Rex, pœnæ loco, nova onera reluctari jam non audentibus imponit, portorii, quo ſolus ante Senatus fruebatur, partem ærario Regio addicens, porróque injungens, cauſſæ ut ipſorum, quæ hactenus Pruſſiæ limites non egrediebantur, in foro Polonorum diſceptarentur. Uſque adeò magno plerumque conſtant civitatibus diſcordiæ!

VIII. Livonia lacerabatur adhuc inter variorum dominorum manûs. Arcem

cem Revalienſem Sueci proditione equitum quorundam auctore Nicolao Curſelio amiſſam, mox eodem penè menſe proditione recepêrunt. Eandem paulò poſt Magnus Holſatiæ Dux & Oſſiliæ (quæ inſula Livoniæ oppoſita jacet) pridem Dominus, nuperque à Moſcho Rex Livoniæ renunciatus, aggreditur. Sed Revalienſes, nec ſuadâ, quâ ut Germanum principem Germani Suecis Poloniſve præferrent, monebat, nec exercitu, quo à Moſcho inſtructus, urbem circumvenerat, moti, conſtantiâ ſuâ obſeſſores Moſchos ad faſtidium cœpti obſidii egêre. Qui conceptam apud Revaliam bilem in Finlandiam Suecorum provinciam evomunt. Ubi tam improbè crudeliterque multa patrârunt, ut odium ſui Germanis injicerent, quantumvis ſub ſignis ipſorum merentibus. Inter hos Roſa equitum præfectus, Derpatum invadere decreverat, ut à Moſchis liberaret. Viciſſet miſera urbs, ſi vinci tum potuiſſet. Sed re ab illo minus cautè adminiſtratâ; nec ab oppidanis, quippe ignaris conſilii, adjutâ, nihil aliud effectum eſt, quam ut in miſeros cives Tyranni Moſchici Johan-

nis Basilidis tanto atrocius sæviret immanitas. Nec satiare se hic tam paucis scilicet victimis potuit. Redux domum, in captivos, quos quadringentos ex Livoniâ abduxerat, quicquid audere Tyrannis potest, exercuit. Parum fuit, totos greges non virorum tantum, sed & puellarum puerorumqve simul enecare. Ingenium advocari oportuit ad excogitanda suppliciorũ genera, qvæ aliquid morte gravius haberent. Plenum furcis crucibusq; forum fuit, passim etiam ahena aqvis bullientibus, in quas vivi homines conjiciebantur, fumabant. Sed inprimis memorabilis est, quam in puellis qvibusdã germanis liberalissimæ formæ exseruit, impietas: Redimere has aliqui numerato argento nitebantur. Ipsæq; pro incolumitate sua omnia tentabant: cum obstinatum viderent Tyrannum, libertate velut ultimùm usuræ, immanitatem ei acerbè exprobrant, vindictam etiam cœli imprecantes. Ille virulentior factus, primum alios captivos coram ipsis aqvis suffocari, vel dissecari gladiis jubet. Ipsas dein alligatas asseribus carnifices misserimè excipiunt, ungues etiam manibꝰ effodien-

fodientes. Extractis ita, quo diutius morti velut suæ superessent, supplicii cruciatibus, cum atrocissimis questibus cœlum implerent, tandem exsectis linguis suffiguntur verubus, flammisq; suppositis in cineres rediguntur. Non referam hîc, quâ crudelitate Cancellarium suum mutilandum discerpendumque curaverit, non alia, quibus ante me totos libros implevere autores. Mihi compendium scribenti satis est unum exposuisse facinus, ad monstrandam immanitatem hominis, qui Christianum nomen præferens, Phalaridas omnes anteivit.

IX. Eodem tempore apud Valachos simili ferme impotentia dominatum Iuonia exercebat. Qui Stephani Valachorum Principis è concubinâ filius, nuper Johannis Firleji aulæ tum Regiæ præfecti (Mareschalcum vulgò vocant) famulatus fuerat. Post ad Turcarum Imperatorem delatus, Valachis Bogdanum principem ob Polonorum inprimis familiaritatem spernentibus, dignus imperio visus est. Nec minuit illi amorem crudelitas apud subditos, gentem & ipsam immanem, & sic quasi suos mores in ali-

o non averſantem. Certè etiam poſt plurima ſævitiæ exempla Iuoniam omni ope defendêrunt adverſus Bogdanum, nullâ ipſis cognitum injuriâ. Cæterum hunc conantem amiſſam dignitatem repetere, adjutum proceres quidam Poloni ivêre. Inter quos eminebant Nicolaus Mielecius, Sienavius, Herburtus, Johannes Jordanus, Stanislaus Lanskoronius. Sed hi terram hoſtilem ingreſſi, potentiam hoſtis, Turcarum viribus ſuccincti majorem ſensêre, quam ut ſubigi poſſet manu privatâ. Velitationibus tamen nec non duellis quibuſdam ſatis palam fecêrunt, invictos Turcis Polonos eſſe, cum pares paribus congrediuntur. Primam aleam Stanislaus Viſtempus ſubiit, parvus corpore, magnus animo, utroque ita firmatus, ut proſilientem provocantemque Turcam uno venabuli ictu transverberaret. Paucis poſt diebus alius è Turcis evolat, ad certamen ciens Stanislaum Ciolcum, armis habituque fulgidum, adeoque præ cæteris oculos hoſtis ferientem. Qui promptus animo, & clareſcere properus, illico à Palatino Podoliæ Mielecio copiam petit congredi-

endi

endi. Hoc pertinaciter abnuente, alicui ſaltem ex ſuis id ut permittatur, orat. Id cum impetraſſet, depoſcit ſibi certamē Paulus Chanzovius, præſentemq; Turcam haſta adoritur, irrito tamen, quem alte paraverat ictu. Poſt diſtricto enſe fronti adverſarii vulnus figit, extrahentemq; hærens ferrum brachiis implicat. Elapſus tamen neſcio quomodo Turca, vulnere, quod lethale acceperat, movet ſocios, ut ad vindictam proruerent. Jamque interim ad Polonum etiam duo alii accurrerant. Quibus mox magno hoſtium numero circumfuſis Herbertus & Volſcius ſubveniunt; ſecutique eos alii inſuper juſti pene prælii ſpecimen dedere. Nam & hoſtis omni vi contra ibat. Sed ardore impetuque inſtantium Polonorum, ad ipſa uſq; ſtativa Valachica compulſus eſt.

Nec verò poſtea quoque deſiit revertentes Chocimum Polonos laceſſere; quamvis magno ſubinde detrimento ſuo. Fuit, cum à Johannis Jordani haſtatis, velitibuſque Herburti, ita acceptus eſt, ut pilei s cæteriſque impedimentorum objectis, præpedire celeritatem inſequentium

um Polonorum conaretur. Sed hi firmato adversus prædam animo ita strenue fugientibus institerunt, ut longius etiam, quam par foret, provecti, cum in alios sexcentos Turcas incidissent, magna virtute iterum pugnaverint. Herburtus tum præsens vitæ periculũ incurrit. Procul enim à suis inter Turcas ignaros vagans, cum hostem se, inflicto uni ex illis vulnere prodidisset, à duobus Turcis ex utroque latere invaditur: Unius sarissa prope equo illum ejecerat, nisi altera parte irruens simili telo hostis defluentem restituisset. Ita miro fati velut ludibrio, stimulati impetu equi ad suos pervasit.

Reversis per tot discrimina Polonis, gratias quidem Bogdanus habuit, sorti tamen suæ, cui erigendæ tanta virtus non suffecisset, diffisus, in Moscoviam contendit, ubi & exilii molestias matura morte finivit. Poloniam verò tum pestis populabatur, quâ & effectum est, ut nec comitia Varsaviæ indicta haberi potuerint, & Rex ipse ab infecta urbe ire Knischinum coactus sit. Ubi assecuta eum mors, non

non illo quidem contagioso, sed lento pridemque concepto morbo confecit. Principem moderatum, alicubi remissum, bonarum artium, inprimis secretiorum, amantissimum, nec bellis degenerem, quæ tamen plura autoritate amovit, quàm armis patravit.

FLORI POLONICI

LIBER IV.

HENRICUS VALESIUS.

Anno Mundi servati
M Iɔ LXXIV.

Breviarium.

Mascula Jagellonidum stirps extincta. Unde multorum arrecta studia. Candidati erant Austriacus, Dux Andegavensis, Rex Sueciæ, Dux Moscorum. Aliqui etjam Indigenæ. Sed hi statim rejecti. Pro Ernesto Austriaco oratio Episcopi Plocensis. Pro Henrico Valesio Karnkovii oratio propiùs accepta. Moscica factio spreta, Nec qui pro Joanne Sueciæ Rege nitebantur, auditi. Confœderatio novum dissidentium munimentum. Dissidia in Electione tandem sopita, & in Henricum Andegavensem consensus. Designati in Galliam Legati. Qui de conditionibus transegêre. Henricus in Poloniam venit.

Coro-

Coronatur Cracoviæ. Samuel Zborovius Andream Vapovium non procul à palatio Regis lethaliter ſauciat. Carolus IX. Rex Gall. moritur anno 1574. in April. Henricus, in Galliam properans clam Cracoviâ diſcedit. Aliqui proceres inſequuntur. Sed Regem à cœpto itinere revocare nequeunt. Mittuntur Legati in Galliam Regem repoſcentes. Cum fruſtra diu expectatus eſſet Rex, interregnum proclamatur, & electi duo. Stephanus Bathoreus ante veniens ſceptrum adipiſcitur.

INTERREGNUM.

CUm Sigiſmundo Auguſto regnatricis in Poloniâ Lithuaniâque Domûs maſculum genus extinctum eſt. Nullam enim is prolem, Sorores verò duas, Catharinam & Annam reliquerat. Illa Joanni Finlandiæ Duci, poſt & Sueciæ Regi nupta, Sigiſmundi III. Regis Poloniæ & Sueciæ mater fuit. Altera diu cœlebs, poſtea provectâ ætate, Stephano Regi juncta, ſine ſobole deceſſit. Poſt Auguſtum igitur Polonia, quæ duobus amplius ſeculis ex ſtirpe Jagelloniâ Principes ſumere conſueverat, hæreditas eſſe deſiit.

Et eò vehementiore tum curâ ordinum Poloniæ animi, juxtaque exterorum Principum ſtudia exarsêre. Multi enim eorũ aut ambierunt ipſi Regnum, aut ambientes commendatione & ope juverunt. Inter candidatos profeſſi ſunt nomina ſua Erneſtus Auſtriacus Cæſaris Filius, Joannes Sueciæ Rex, Magnus Dux Moſcoviæ, Henricus Andinus Caroli IX. Galliarum Regis frater. Et ſinguli iſti repererunt hîc, aut conciliarunt ſibi fautores. Sed nec defuêre, qui Indigenam exteris præferendum judicarent. Et plurimi ex præcipuæ notæ Senatoribus, ſtimumulatione diverſâ nominati ſunt, quidam ut digni hoc honore, alii, ut augeſcente talium numero, eò magis hæſitaret electio, & tantò faciliùs in externum inclinaretur. Nempe decorum quidem Poloniæ videbatur, produxiſſe tot ſceptri patrii capaces viros: ſed gloriæ præhabita eſt cura libertatis. Quæ ut æquali Civium jure maximè effloreſcit: ita inter familias regnatrices facilè exoleſceret: egreſſuris civilitatis modum non modò illis, qui ad Regium faſtigium perveniſſent, ſed & omnibus, qui affinitate eos attingerent.

gerent. Quam ob rem etsi Respubl. Piastos quidem aliquos (sic enim hîc indigenas ejusmodi candidatos appellare moris est) educasse visa est, jamdudum tamẽ nullum præficere sibi sustinuit: minus sibi ab externo principe, quam domestico ambitu periculum esse arbitrata. Et nunc objectum de ejusmodi Piasto molimen ludibrio primùm cessit, cum inter alios magnos Viros, in quibus Kostka Castellanus Gedanensis plura cæteris suffragia tulisse visus est, juxta nominaretur homo quidam nominis & virtutis obscuræ. Sed eòdem quoque Joannis Zamoscii Præfecti tum Belzensis sagacitas profuit, cum publicè rogavit, ut Indigenæ illi vel candidati esse desinerent, vel campo Electioni dicato decederent: quò liberiùs proferre posset, quid in quoque vel laudet, vel desideret Respubl. Susceptum id magno applausu, sed simul id quoque effectum, ut mox ultrò quisque Elector regnaturi, quam Regni candidatꝰ esse mallet; quia in tanto competitorum numero spes sceptri adipiscendi incerta erat, offensa ab illo, qui præpotuisset, velut in æmulum certissima. Eò proniore tandem

viâ

viâ ad externos transiit eligentium cura. Ac primùm pro Ernesto Austriaco Petrus Myscovius Plocensis Episcopus, adstantibus earundem partium antesignanis Fabiano Cema Palatino Mariæburgensi & Stanislao Slupecio Lublinensi Castellano, in hunc modum peroravit: *Ernesti Archi-Ducis decora memoraturo modus verborum citius, quàm copia rerum defuerit. Nam primùm Domo, è quâ natus est, nulla in Orbe illustrior atque augustior est. Quippe quæ & Germaniam & multa florentissima Regna ditione suâ complexa, nec minus virtutum, quàm Imperii sedes est. Sed & magnitudinem ejus etsi invidiæ obnoxiā, utilissimam tamen sentit Christianus orbis, cujus illa adversus Turcicam potentiam præsidium est ac munimentum. Eo ipso uti Poloniæ communione bellorum jamdudum juncta, ita affinitate sanguinis Principibus Jagelloniis proxima. Ita ut Ernestus Archi-Dux non ex peregrinâ Polonis, sed gentilitiâ quodammodo stirpe prognatus videri possit. Avia quippe ejus Vladislao Jagellonide Ungariæ & Bohemiæ Rege, Casimiri III. filio, Sigismundi I. fratre genita est. Et tanti hujus familiæ affini-*

tas à

tas à Senatu Polono habita fuit, ut is defuncto proximè Regi Sigiſmundo Auguſto ex Domo Cæſaris Conjugem ducendam ſuaſerit. Quam cum ille ob ſterilitatem poſtea repudiaverit, dedit potens illa Domus grande moderationis ſpecimen, cum aut pro injuriâ non habuit repudium, aut Polonorum amicitiæ id remiſit. Eo præterea commendabilis hæc familia eſt, quod Principes ingenitâ quâdam nobilitate bonos producit, & quos genuit, magnâ & curâ & quaſi ſanctitate educat. Ex tali ſtirpe & diſciplinâ offertur jam Nobis auguſtus ſanguis, filius Cæſareus. Quem uti & fratrem ejus Rudolphum Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Cæſaris patruelis & gener, liberali ſeveritate, procul à maternis & voluptatum blanditiis, habitum, ad omne virtutum genus exercuit. Et feliciter ceſſit educatio utriuſque: cum prior ævo Rudolphus non ita dudum ad Ungaricum Regnum evehi, alter hic Polonici candidatus eſſe meruerit. Optimæ & tot Heroum ſanguine digniſſimæ indolis eſt. Linguas Principibus utiles callet: nec Sclavonicæ noſtræ ignarus, cum Bohemicæ aſſueverit. Ætate porrò ejuſmodi eſt, quâ & diſcere quæ deſunt, & ad mores noſtros flecti facillimè poſſit. Adeoque inter nos adoleſcendo, eò arctiùs nobiſcum coaleſcet.

ſcet. Jam commoda, quæ illo electo ad Rempubl. noſtram redundabunt, quis non videt? Nam totius profectò Auſtriacæ Domûs, quæ tam latè regnat, amicitia magno nobis & decori & præſidio eſſe poteſt. Quippe quæ novo hoc vinculo nobis innexa, & Ungaros & Bohemos, & Alemannos omnes, & Belgas, adde & Italos & Hiſpanos Reipubl. noſtræ validisſimè illigabit: Ejuſque beneficio ad tot ditisſimarum gentium ſocietatem, commerciumque, maximo noſtro compendio, admittemur. Et in aliquibus vectigalium immunitatem promittit nobis Cæſar. In Ungariâ præcipuè, ubi Vini in Poloniam importati pretium, vectigalia hactenus uſitata multùm intendêre. Porrò autem nos tanto amicitiæ Auſtriacæ acceſſu formidabiles erimus hoſtibus noſtris. Moſchus qui de Livoniâ tot jam annis cum Regno noſtro dimicat, provinciam illam potius omittere volet, quam veterem cum Cæſare necesſitudinem exuere. Si quid etiam ſuper Pruſſiâ difficultatum cum imperio ſupereſt, id, ſub tali Rege, exoleſcet. Turcæ quantoperè hæc ingrata ſit conjunctio, ſatis ipſe ſignificat, quando tanto molimine impedire eam, adeoque animos noſtros in Galliam ſibi amicam deflectere conatur. At hoc ipſum eò magis ſtimulare nos debet, ut nolimus,

mus, quod cupit hostis: & utilia nobis futura credamus, quæ ille pestifera sibi fore sentit. Utinam verò tandem illucescat illa dies, quâ arctissimis fœderib9, contra commune Christiani nominis hostē gentes conspirent, quarū ille discordiis hactenus tam vastam potentiæ molem extruxit. Neque verò est, cur ipsam etiam Domus Cæsareæ magnitudinem metuamus. Tot illa æmulis, tot hostibus velut circumsidetur, ut nisi pietate, justitiâ & clementiâ, firmet res suas, multis maximis periculis sit obnoxia. Sed, stetit hactenus Deo & virtute nixa. Longam ibi seriem optimorum principum numeramus, Tyrannum non vidimus, nec legimus. Sumpta aliquando de rebellibus supplicia, in Bohemiâ inprimis, sed justissima; & intra paucos constiterunt. Tributa ibidem non magis Princeps, quam necessitas imperat, bellis Turcicis perpetuò ferè haurientibus ærarium. Neque tamen quicquam immodicum exigi, vel ex Lescinio Radeoviensi Præfecto intelligimus, qui bona Cæsareis terris vicina, aliqua & obnoxia habet. Ne in Religione quidem qui à nobis dissident, habent quod metuant Innumeri enim sub Cæsare diversorum sacrorum homines vivunt non tutò modò, sed in luce etiam honorum. Cujus rei vel Collegam meum Episco-

pum

pum Cracoviensem & Lucam Podoscium Canonicum Cracoviensem habeo testes. Tanta libertas cum ibi sit, ubi major potestas est dominantis, cur nobis chimæras servitutis fingimus, qui non Cæsari, sed filio ejus nos subjiciemus & ita subjiciemus, ut & ipse prius legibus se nostris subjiciat? Hæc Episcopus Plocensis, penè consona iis, quæ antehac Legatus Cæsareus Gulielmus Rosenbergus collegâ Venceslao Persteinio comitatus, dixerat, cum in consessum Ordinum sub initia conventꝯ istius fuerat admissus. Et ejusdem argumenti tum fuerat oratio Legatorum, quos Electores Imperii miserant. Expensa fuerunt, quæ isti omnes pro filio Cæsaris attulêre. Sed plerisque ætas principis displicebat, nondum matura regimini gentis, quæ quo liberior, eò difficilior gubernatu foret. Huc requiri plenum robur judicii, & versatam in negotiis experientiam, corpus ad laborem firmum, animum inter tot liberè intercedentium voces moderatum & multæ patientiæ. Educto verò in Domo regnatrice juveni patrium potius regendi morem placiturum; nec defutura exterorum secreta consilia, volentium

potius,

potius, ut libertas principi, quam princeps se libertati attemperet: Externam porrò regnantis potentiam alibi fortassis ferri, quia respui non possit. Polonis intolerabilem esse, quorum Rex quantum satis, possit, sed nihil sine Polonis posse debeat. Nonnulli & usitata inter accolas populos odia objiciebant, acerbiora hæc fore asserentes, ubi æmularum gentium una præesse, altera subesse videretur: adeoque, unde vincula amoris sperentur, alimenta potius irarum metuenda. Inter hæc privatim publiceque diversis studiis jactata, crescebant eò magis animi pro Duce Andino pugnantiū. Quibus jam dudum Joannes Monlucius Episcopus Valentinus præluserat, Vir agilis ingenii, & jam ante hunc conventū dexteritate, gratiâque morum, & facundiæ, aliisque potentibus agendi modis illapsus in animos plurimorum. Sed apertissimè omnium causam Gallicam amplexi fuerant Stanislaus Karnkovius Episcopus Vladislaviensis, Petrus Sborovius Palatinus Sendomiriæ, & Joannes Kostka Castellanus Gedanensis: Orsus prior Episcopus ita disseruit. *Cæteri candi-*

candidati Poloniæ Regnum propter ſe ipſos, Andinus propter Polonos expetit. Nobis qui hanc quaſi viduam quam optimè elocare contendimus, non id ſpectandum eſt, quis ei loci vicinitate aut ambitu proximus inſtet, ſed quis opis indigam optimè defendere posſit. Ego vivente etiamnum Auguſto Rege, futura Civili libertate proſpiciens de multis mecum rebus, quæ è re publicâ forent, diſputavi. Primùm quidem cum nullum huic Regno periculum majus, quàm à Turcico Imperio immineat, diſpiciendum quam maximè exiſtimavi, uter ab illo periculo vindicare nos facilius poſſit, an qui Turcæ amicus nos ejuſdem amicitiæ fœdere complexurus, an qui hoſtis illius perpetuus, nos iiſdem ſecum bellis intricaturus ſit. Priorem mihi placuiſſe fateor, neque dubito, aliis rerum gnaris & patriæ amantibus pariter præ altero placiturum. Deinde, cum Rex Daniæ belli Livonici occaſione littoribus Prusſicis infeſtus, Gedanenſium noſtrorum merces abſtulerit, cogitandum credidi, quis rectius adverſus potentem maris Regem juvare nos posſit, illene qui terris maria ditione ſuâ junxerit; an qui in meditullio terrarum poſitus nec portum nec claſſem in mari habeat, neque adeò inſtruere posſit. Quid denuò mecum eâ in re definierim, vel

me

me tacente quisque prudens intelligit, & haud dubiè mecum sentit. Præterea reputandum credidi, Rempubl. nostrã nullo unquam tempore de sanandis morbis suis agere commodius posse, quàm cum sibi relicta, liberè & mala sua eloquitur, & remedia circumspicit. Certum enim est, optimas legum nostrarum, nos Interregnis debere. Nec libertati melius prospici posse, quàm dum sine Rege sumus. Neq; enim unquam huic viduæ proci desunt: à quorum certantibus inter se studiis nihil non quod in rem sit nostram, impetrari possit. Eligimus Dominum, sed quem libertati nostræ minimè gravem fore credimus. Ecquem autem aptiorem nobis judicamus? an vicinum dignitate familiæ, atque opibus prævalidum, unde adeò periculum sit, ne nos cæterorum Regnorum seu prosperis, seu adversis obruat. An non potiùs longiùs petitum, & bonam copiam ad beneficia Reipubl. præstanda habiturum, nullam ad injurias. Quippe cui quasi peregrino nulla potentiæ adminicula nisi à nobis, nostrumque adeò obsequium eò gratius futurum sit, quia amor necessarius? Talis est Andinus Princeps, Christianissimi Regis. Caroli IX. frater: amplitudine generis nulli impar, ætate & virtutibus par voto nostro & multis magnisque autoramentis amo-

rem nostrum prensans. Quod si de fide promissorum dubitare audemus, est in potestate nostrâ nexus quam validissimos dispicere, quibus eam nobis firmemus. Utique quæ fide Regiâ illinc spondentur, ejusmodi sunt, ut Rempubl. nostram non modò servare, sed & florentissimam reddere possint. Et promittuntur ab eo, qui malam fidem ætate inidonea nunquam excusare poterit: promittuntur denique sponsore fratre Rege, cui religio erit non præstare ea, quæ tanto Regi non sunt præstitu difficilia. Nec beneficia hæc viscata, aut à gente æmulâ nobis gravia erunt. Potius vero à natione, quæ vividâ & lætâ indole, comi & prompto sermone ad nostram proximè accedit: expers lentoris, quem nec res, nec mores nostri ferunt. Et vel inde tacitâ quâdam inclinatione plurium inter nos animos in studia Gallica ire video. Mihiq; non jam dubium penè est, hunc fato destinari Poloniæ Regem, qui nobis singulari quodam naturæ fortunæq; consensu monstratur. Episc orationem disertam & suavem, simili suffragio, sed majore, & in Austriacos acriore spiritu firmavit Zborovius Sendomiriæ Palatinus, Vir sanguinis opumque splendore & clientelis præpotens. Postremò & Castellanus Gedanensis scito admo-

admodum ſermone ea quæ Gallo objectabantur, confutavit. Facta ſub initium hujus Conventus aliqua mentio fuerat Ducis Moſcorum; oſtenſumque à nonnullis, eo electo ingens, & Turcis ipſis formidabile Imperii Sarmatici corpus effici poſſe. Eo modo Lithuaniam Poloniæ Regno, & ſocietati Eccleſiæ Romanæ innexam. Sed pleriſq; aliis infinitæ poteſtati aſſuetus Dominator, libertati Polonæ; gentiſque barbaræ communio, politiori Reipubl. haud convenire viſus eſt. Neque magnum ab inconditâ illâ & ad ſervitium natâ multitudine ſubſidium Poloniæ, potius verò inter tam diverſos genios ac mores perpetuum certamen expectandum. Unde adeò nec diu, neque magno aliquo ſtudio de Duce illo actum eſt. Longè acrior pro Joanne Suecorum Rege contentio fuit. Sed qui pro eo nitebantur, non ſine multo obſtrepentium tumulru, ut pro diverſæ Religionis principe peroraturi, audientiam impetravêre. Horum præcipui erant Joannes Firlejus Palatinus Cracovienſis idemque Regni Mareſchallus, Nicolaus Mielecius Podoliæ, Anſelmus Goſtomſcius Ravenſis Pa-

latinus. Præivit Firlejus, virtutesq; Joannis meditatis elogiis edisseruit. *Iustitiæ inprimis ac pietatis studium, animum constantem & rebus bonis malisque ad prudentiam exercitum, sed simul quoque favorem Dei singularem utrobique expertum. Quippe qui ab iniquo fratre quinquennali carcere detentus, mira deinde vice fortunæ, fratri victo eadem vincula injecerit. Victorias item ejus de Danis & Moschis reportatas. Proximæ item cum defuncto Rege affinitatis jura, cujus cum sororem Catharinam duxerit Joannes, habendum & in ipso & in liberis ejus honorem sanguini Jagellonis, cujus in hanc Rempubl. tanta merita extent. Non indecorem Polonis futurum Sigismundi I. generum; qui & ætate, & virtutibus maturis, linguæ item commercio, & intimi inprimis affectûs nexu cæteros omnes Regni candidatos anteeat.*

Eadem ingeminabant Podoliæ Ravæque Palatini, sed hi omnes mirè votis suis adversos plerosque Polonorum sensêre. Et Samogitiæ inprimis Præfectus Joannes Chodkievicius multa dixit, quibus animi à Sueciæ Rege longius sunt aversi; præcipuo etiam propugnatore ejus Firlejo ideò plurimis, præsertim sacri ordinis, minus grato, quod magnis animis dissi-

denti-

dentium causam toto hoc conventu egerat: autorque habebatur consiliorum, quæ cœtu segrege, in pago Grochoviano, habebantur à quinque Palatinis, & Castellanis non paucis, inter quos & Comites Gorcani erant, & plurimi ex ordine equestrium. Horum maximè connisu effectum quoque postea est, ut dissidentium libertati novâ lege, quæ Confœderationis nomine hodieque celebris est, caveretur, etsi multum obnitentibus Antistitum plerisq;; qui cum impedire non possent, quin diversa per Poloniam dogmata spargerentur, iis securitatem lege publica dari indignabantur. Neque nomen subscripsêre, nisi additâ à plerisque cautelà, ne ea res antiquitus receptis Ecclesiæ sacris fraudi esset. Cæterùm habitæ de candidatis orationes distraxêre quidem usque judicia ordinum, sed in Austriacum favor nec adeò magnus initiò fuit, & qui fuit, citò refrixit, non aliâ magis ex causâ, quàm quod Domus illa magnitudine suâ libertati Polonæ formidabilis videretur. Duæ ergò maximæ factiones supererant, quarum altera Gallo addicta à Ciarnkovio & Sboroviis, altera

à Firlejo, Mielecio, & Gorcanis fratribus fovebatur. Neutra pertrahere ad se alteram, neutra etiam sciscere quicquam sola poterat. Et eò denique dissensio efferbuit, ut cum utraque diu satis seorsim consilia sua agitasset, tandem & ad arma se accingeret. Et sic diu mutuis minis vis utcunque, non item metus arcebatur. Tandem ex castris majoribus, ubi in Andinum consensum jam erat, Joannes Sieracovius Lenciciæ Palatinus, Hieronymus Ossolinius Sendomiriensis, & Joannes Kostka Gedanensis Castellani, in pagum Grochovianum mittuntur, ut segreges illos inde ad communẽ consiliorum campum concordiamque invitarent. Hi suam suffragandi libertatem strepitu & signis strophio datis obturbatam questi, persuadente Ossolinio, miserunt denique & ipsi duos Castellanos Miedziericensem Andream Comitem Gorcanum, tum Biecensem Stanislaum Szafranecium, Nicolaum item Firlejum Casimiriensem Præfectũ, Nicolaum Sennicium SuccamerariumChelmensem, qui significarent, se potiori suffragiorum numero non adversaturos. Cæterùm in leges

ges prins conveniendum, quibus futuri Regis poteſtas ex communi Civium conſenſu circumſcriberetur. Intellectum facilè eſt, legem, quâ religionis libertati cautum volebant diſſidentes, deſiderari. Illa itaque tandem approbata: ſeorſim tamen exhibita atque obſignata eſt.

Et mox verba concepta jurisjurandi, quod primùm Legati futuri Regis, & deinde Rex ipſe præſtiturus eſſet: ſcriptæq; juxta conditiones, Regi inpoſterum ſervandæ.

Quæ deinde advocatis in campum Legatis Gallicis exhibitæ ſunt. Nonnullæ earũ aſperiuſculæ videbantur Viris aſtrictiori Regum imperio innutritis. Sed quod ambiebatur, obtineri non poterat niſi pleno ad omnia conſenſu. Itaque conceptis verbis non tantum Henrici Ducis Andini, ſed &Caroli IX Galliarum Regis nomine juravêre, utrumque Principem univerſas has conditiones à Senatu & Ordine Equeſtri propoſitas acceptaturum, jurejurando confirmaturum, & re ipſa præſtiturum eſſe. Poſt juramentum deducti Varſaviam Legati, ibique XVIII Maji in templo poſt peracta ſacra,

voce Firleji, tanquam primi in Regno Mareschalli, Henricus Rex Poloniæ renunciatus est.

II. Finitis solennibus designati sunt ex utroque ordine Viri primarii, qui in Galliam irent, Regem inde in Poloniam deducturi. Princeps legationis Adamus Conarscius Episcopus Posnaniensis fuit: cui adjuncti Albertus Lascius Palatinus Siradiensis, Joannes Baptista Tencinius Voinicensis, Joannes Tomicius Gnesnensis, Joannes Herburtus Sanocensis, Andreas Comes Gorcanus Miedziericensis, Stanislaus Kriscius Racianensis Castellani; Nicolaus Christophorus Dux Radzivillus Lithuaniæ Mareschallus. Ex Nobilium ordine Joannes Zborovius Odolanoviensis, Nicolaus Firlejus Casimiriensis, Joannes Zamoscius Belzensis, Alexander Dux Prunscius Palatinides Kioviensis, Nicolaus Tomicius, alii. Sed ex his aliqui iter per Germaniam difficilè & malè securum caussati, alii & reapse experti, præproperè ad suos rediêre. Reliqui in Galliâ magnificè accepti, destinatum Henrico Regnum Poloniæ obtulerunt. Simulque mox de condi-

tioni-

tionibus utrinque actum: quarum hæ potissimum fuêre: *Henrico possessionum, quas in Galliâ haberet reditus in Poloniam inferendos; Nomina Sigismundi Augusti ære Gallico dissolvenda; Juvenes centum in Aulâ Gallicâ; alios insuper quinquaginta aliis locis alendos; classem instruendam in mari Balthico, fœdere & ope Gallorum bellum Moschicum conficiendum.* Aliquid etiam de matrimonio cum Anna Sigismundi Augusti Sorore injectum, quod non respuit quidem Andinus; attamen ad suam in Poloniâ præsentiam proferendum id negotium duxit. Cætera servaturum se jurejurando promisit. In nonnullisCarolus frater, Galliarum Rex, fidem suam juratus pariter interposuit. His ritè splendidèque peractis præmissus in Poloniam Joannes Zborovius, qui Regis adventum Ordinibus indicaret, ut tantò rectiùs appararentur, quæ ad Inaugurationis solennia viderentur necessaria.

III. Rex ipse IV. Calend. Octobr. egressus Lutetiâ, comitante magnoProcerum Gallicorum numero, per Lotharingiam, & Germaniæ ditiones, certante, quàcunque transirer, Urbium Princi-

pumque hoſpitalitate; Poloniæ Majoris fines 8 Calend. Febr. *attigit. Ubi à Stanislao Karnkovio Epiſcopo Vladislavienſi & Pomeraniæ, ſplendidâ oratione exceptus eſt. Poſnaniam ingreſſuro occurrit Albertus Sandivogius Czarncovius Majoris Poloniæ Præfectus; Andreas Comes Gorcanus; Medzericenſis Caſtellanus, Stanislaus Przymius, Stephanus Grudzinius, Joannes Oſtrorogus multiq; alii ex proceribus. In Urbe Regem Viri quidam ex ordine Equeſtri primarii adiêre. Quorum agmen ducens Abrahamus Zbonſcius ſermone multũ generoſo & diſerto, eorum, quæ Regnum adituro ſcitu utilia eſſent, admonuit, multa etiam in defunctiRegis ſolutiorem vitam & admiſſa in regimine errata liberrimè locutus. Auditus patienter à Rege, atque ut orationem ſcriptam exhiberet, per Nicolaum Firlejum PræfectumCaſimirienſem, nomine Regio monitus eſt. Quod & fecit Zbonſcius. *Ex majore dein Poloniâ Cracoviam deductus, ibidemq; die, Matthiæ Apoſtolo ſacrâ, celebri & auguſtâ ſolenni-

* 1574.

* *Anno Christi* 1574. 21 *Februar.*

ſolennitate inauguratus eſt. Feſtivitatem tamen publicam inauſpicatus fœdavitcaſus. Andream quippe Vapovium, Caſtellanum Premislienſem, qui Joannem Tenczynium Caſtellanum Voinicenſem ſupremum cubiculi Regii Præfectum in arcem comitabatur, in ipſo Arcis Cracovienſis ingreſſu, Samuel Sborovius, primariæ Vir gentis, ſed præfervidi Spiritus, Tenczynio autem infenſiſſimus, & hunc omninò petens, clavâ roſtratâ percuſſit. Quod facinusnon procul à Palatio Principis, & in ipſis Inaugurationis Regiæ &Comitiorum auſpiciis perpetratum, aulam omnem & Nobilitatem, inter duarum Principum familiarum factiones, mirè tum diviſam, non mediocriter conturbavit: aliis cædem extenuantibus, ut errore factam, aliis contrà in immenſum exaggerantibus. Sed Sborovius ubi graviùs, quàm crediſſet, percuſſum Vapovium de vitâ periclitari cognoviſſet, tempeſtivâ fugâ ſe ſubduxit: & paulò poſt Regio decreto perpetuò patriâ exeſſe juſſus eſt, ſic tamen ut infamiæ labe careret exilium. Quæ cautio à Fabro Pibracio, Regio Oratore, in promulga-

tione decreti addita, non parum invidiæ Regi, apud Sborovii æmulos, conflavit. Quam magis etiam postea asperavit Fratri ejus Petro Sborovio data Palatini Cracoviensis dignitas; postquam vacuã hanc fecerat mors Joannis Firleji, qui seu amore religionis Genevensis, quã Henric9 in obsessâ Rupellâ persecutus videbatur, seu aliis ex causis electioni ejus diu intercesserat, & postquam in eam denique consensit, inauspicatum ejus eventum fore auguratus est.

IV. Senis istius præsagium paulò post subito Henrici Regis è Poloniâ abitu approbatum est. Quarto enim post inaugurationem mense, cum nunciũ de morte Caroli Galliarum Regis accepisset Henricus, citra cunctationem in patriam redire statuit. Et quia verebatur, ne à Polonis attineretur, ipsis insciis adornandum sibi iter putavit. Decimâ igitur octavâ Junii, noctu, quò faciliùs omnes falleret, citatis equis viam ingressus Byczynam primum, vicinæ Silesiæ Oppidum, pervenit. Posterâ luce Regii discessû fama, atque inde dolor omnium & indignatio, tota Urbe bacchatur. Præcipuè

cipuè vocibus cunctorum Karnkovius Episcopus Vladislaviensis, Joannes Tenczynius Cubiculi Regii Magister, Petrus Sborovius, Palatinus nuper Cracoviensis creatus vapulavit, ut Regi præ cæteris obnoxii dilectique, ac proinde scire consilia Regia potuisse, & impedire debuisse crediti. Pars quoque invidiæ in Joannem Demetrium Solikovinm, Regi à Secretis, Karnkovii clientem, redundabat. Regem sequi cogitat Karnkovius, sed cùm illum intra decimum lapidem non assequeretur, Cracoviam redit. Eundem verò assequuntur Joannes Tenczynius & Zebrzidovius; orantque, ut existimationi suæ & Regni, mutato tam inhonori discessûs cœpto, consulat. Fore deinceps in Galliam eundi, si aliter res non ferat, modum honestiorem. Rex immotus ad hæc, & Galliæ Regnum sibi periturum, nisi ambiguas istic res adventu propero composuerit, obtendens; his constitutis, rediturum se in Poloniam promittit, & cum dicto simul detractum digito annulum Tenczynio tradit, alia ad Senatum referenda, literis in lecto suo relictis, ait, contineri, & plura additurũ

Dan-

Dansæum, Aulæ suæ familiarem, quem excusando discessui suo in Regno reliquerit. Ita frustra dissuadentibus Polonis, in Galliam suam tendit Henricus, idque, quà rectissimum iter erat, per Imperatoris ditiones.

V. In Poloniâ interim Ordines, Conventu habito, Hieronymum Rozdrazevium Secretarium Majorem, & Joannem Thomam Droihovium in Galliam destinant Legatos, cùm literis, discessum Regium acerbiùs perstringentibus. Eòdem, sponte, conscio tamen Karnkovio & Tenczynio, contendit Solikovius, assiduus deinceps Regi de promisso in Poloniam reditu monitor. Sed illi Principi objectæ in Galliâ difficultates plurimæ, curam repetendæ Poloniæ eximebant. Tandem tamen cùm seriò undique nuncii & literæ monerent, Poloniæ Ordines longiorem absentiam diu non laturos, legatos & ipse suos Bellegardium & Pibracium in Poloniam mittit. Sed illum per Italiam iter molientem conquirendæ pro Rege pecuniæ cura díu nimis attinuit, donec nuncium denique acciperet, alium jam Regem dispicere Polonos, adeóque

irritum

irritum iter ſuum fore. Pibracius verò in via ſpoliatus, cùm nihilominus in Poloniam perrexiſſet, nullum hîc pariter itineris pretium reperit, quàm hoc ingratum, ut factam publicè Henrici Regis exautorationem ipſe in Poloniâ præſens ſpectaret. Etenim poſtquam Poloni, præſertim, quotquot Henrico addictiores erant, ſe aliquandiu ſpe properi reditus Regii ſuſtentaviſſent; hâc dein vaneſcente, de alio Capite eligendo deliberandum ſibi putavêre. Et primus quidem conventus Stenſiciæ habitus per ſuffragia diſſona ſine effectu diffluxit, aliis adhuc nitentibus pro Rege, aliis Piaſtum aliquem ſeu domeſticum Principem, aliis Cæſarem Maximilianum malentibus.

Sed non multò poſt Regni primas Uchanſcius Henrico jam iniquior, denuò Ordines Varſaviam convocat, ubi publicato interregno, novæ Electioni IV. dies Novembr. deſignatur. Congregati iſtic cum Ordine Equeſtri Proceres in diverſa iterum abeunt. Pars, exteros uſque Principes aſpernans, ex indigenis legi volebat Regem, eamque in rem præ aliis duo placuere, Joannes Koſtka Palatinus Sendomiri-

domiriensis, & Andreas Tenczynius Belzensis Palatinus. Alii, in quibus Regni Primas, Crasinius Episcopus Cracoviensis, Stanislaus Czarnkovius, Melecius item Palatinus Podoliæ erant, Maximilianum Cæsarem præoptantes, hunc ipsum Nobilitati, quæ alio loco separatim consilia agitabat sua, missis internunciis, commendare velle visi sunt. Cæterùm, nec reditu internunciorum, nec consensu Ordinis Equestris expectato, Regem paulò post Maximilianum nominavêre. Quâ re offensi Nobiles, tanto proniùs Maximiliani adversatoribus accessere. Itaq; Annam Augusti Sororem, Principem Poloniæ inaugurant, eique Stephanum Bathoreum maritum, sibi Regem destinant. Divisis ita in contraria studia animis, mittuntur ab Archi-Episcopo, & qui cum eo faciebant, ad Cæsarem Legati; mittuntur alii à parte adversâ ad Stephanum. Solutoque inter dissidia conventu, qui Stephanum elegerant, Andrejoviæ iterum; qui Cæsarem, Lovicii confluunt. Sed horum autoritatem alteri frequentiâ vicêre, & multum iis momenti addidit Karnkovii Episcopi Vladislaviensis, acris

ingenio

ingenio & potentis facundiâ clientelisq; Viri, præsentia. Itaque dum Cæsar dubitat, & suorum in Poloniâ clientum animos nimiâ cunctatione suspendit, Stephanus festinato per Valachiam Russiamque itinere caput rerum Cracoviam petens, æmulorum suorum conatûs antevertendo evertit: favente ei, ut non nimis potenti, libertate Polonâ, & ut cælibi, stirpe, quæ supererat, Augusteâ: maximè omnium fortunâ ipsâ, quæ, cum magna offert, grato & alacri animo acceptari amat, cunctantes, quasi spreta, pari tandem dedignatione transit.

STEPHANUS BATOREUS.

AB ANNO CHRISTI M IↃ LXXIV.
AD ANNUM MIↃ LXXXVI.

Breviarium.

Stephanus spem Regni ab exule Sborovio accipit. A Karnkovio inauguratur Cracoviæ anno 1576. Suspiciones de Religione diluit. Lithvanos sibi conciliat per Chodkevicium Sboroviorum affinem. Cæsa-

tem

rem placare conantur Regnicolæ, misso Crotovio Palatinide, & Solikovio. Quibus multæ difficultates objiciuntur: Cæsaris morte illæ extingvuntur. Comitia Thorunii habita sine effectu diffluunt. Rex in Gedanenses movet. Res componitur. Paratur bellum in Moscos. Judiciis forensibus novum Tribunal à Rege, accurante Samoscio, instituitur. Zamoscio datur munus Cancellarii. Non sine invidiâ multorum, potissimùm Sboroviorum. Livoniam interim Moscus occupaverat, & crudeliter habebat. Stephanus movet in Moscum. Podkovva Muldavus ob seditiones punitur. Polotia deditur Regi. Arx item Sokolensis à Melecio Duce militiæ Polonæ occupatur, invidentibus ei gloriam Ungaris. Totus denique Palatinatus Polotensis recuperatus. Posthac Comitia habita, suspiciones & offensæ quorundam discussæ. Inprimis lis de peregrinis. Rex frustra alii bellum demandare rogatur. Fiunt delect9. Vielisa & Usvvia ta oppida Moscorum capiuntur. Deinde major Urbs Wielkoluca. Alibi etiam Nevela & Iezeriscia, & postea Zavolocia. Moscus Legatos mittit de pace acturos. Castellanus Trocensis Radsivilius Dux in

inte-

interiora Moscoviæ mittitur. Riga princeps Livoniæ Urbs dedit se Regi. Rex Livoniam reliquam extorquere nititur Mosco. Novis exercitûs supplementis tributa sciscuntur. Itur Plescoviam. Sed hæc validè defenditur à Mosco. Narvam Rex Sueciæ intercipit, Moscus reddit Regi Livoniam, sua recuperat. Pax confirmatur in Comitiis. Ad Livoniæ res componendas mittuntur â Rege viri idonei. Inter alios Solikovius, qui postea fit Archiepiscopus Leopoliensis. In Poloniâ multæ sinistræ in Aulam Voces. Inprimis propter Successoris electionem, quam Rex visus est quærere. Zamoscius Regem purgans nec ipse effugit offensas. Rex Judiciis vacat securus suspicionum populi. Comitia frustrata. Zamoscius Batoream ducit. Eò magis suspectatur. Sborovii inprimis in eum ubique obliqui. Eorum unus Samuel à Zamoscio capitis pœnâ plectitur. Duo ejus fratres citantur ad Comitia. Tertius Joannes, Castellanus Gnesnensis frustra se interponit. Christophorus Sborouius Regno abit. Rex Cosacos in ordinem redigit. In Liuoniâ tumultuatur Riga, ortâ ex Calendario occasione. Dux Curlandiæ componit discordiam. Rex Turcicum bellum

instinctu

instinctu Principum Christianorum moliens subitò moritur.

IN Transſylvaniâ, paulò anteSigiſmundi Auguſti exceſſum, Joannem Sigiſmundum, Sorore Auguſti genitum, ſeu fato ſeu veneno properata mors abſtulerat. Poſt hunc ad Principatum illum, Stephanus Batoreus, nullo ſanguinis jure, ſed virtutis famâ, & favore militum, quos tum frater ejus Chriſtophorus regebat, evaſit. Ubi cùm Samuelem Sborovium ob cædem Vapovii Patriâ ſuâ exulem benignè habuiſſet, ab eo in ſpem Regni Polonici erectus eſt. Et poſtquam faventem hic Annam Auguſti Sororem, majoremque partem Procerum & Nobilitatis reperiſſet, oſtenſum à deliberante fortunâ ſceptrum, animo intrepido & admirabili celeritate, Maximiliano Auſtriaco, potentiſſimo æmulo, præripuit. Cracoviam 18 April. *ingreſſus, Regni inſignia de manibus Karnkovii Vladislavienſis Epiſcopi ſuſcepit. Nam Uchanſcius Regni Primas, cui alioquin Regis inauguratio competebat, Cæſareanarum partium usque

* 1576.

que pertinax, Cracoviam venire abnuerat. Ejuſdem Karnkovii ſtudio dubia de Religione Stephani opinio extincta eſt. Nam quod cum hominibus, à Romanâ Eccleſiâ diſcordib9 hactenus vixiſſet, taliumque potiſſimum operâ ad Regnum provectus foret, dubitare quidam de Principis Religione cœperant. Sed ſubmiſſus à Karnkovio Demetrius Solikovius mentem illius penitus exploravit, additusque mox eidem ſacrorum arbiter, dubitantium ſcrupulos diſcuſſit. Non minùs tamen diſſidentibus quoque poſtea ſatisfactum, quando libertati eorum juramento Rex cavit.

II. Is jam porrò de ſceptri, non ſine multorum diſſenſu impetrati, ſecuritate ſolicitus, diſcordes Regni Cives in ſuas partes pertrahere nitebatur. Inter quos primi omnium Lithuani ad obſequium Regis venêre, prævio cæteris Joanne Chodkievicio Samogitiæ Præfecto, ſimulque Lithuaniæ Mareſchallo, qui cum Petri Sborovii Palatini Cracovienſis affinis eſſet, hujus curâ in ipsâ Electione novo Regi fuerat conciliatus. Et promiſſa illis jurium privilegiorumque integritas

tum

tum contra Moschum, jam tunc bellum minantem, auxilium, animos cæterorum Provincialium tanto proniores ei reddidit. Arduum magis cum Cæsare negotium fuit. Qui lentè quidem, non minùs tamen seriò res suas agere, oblatumque multorum consensu Regnum Poloniæ manu vindicaturus credebatur. Multorumque judicio utilis rei Christianæ fore videbatur Poloniæ cum aliis vicinis Regnis sub unum idemque caput consociatio. Sed Poloni suum jam Regem habentes, instantia Cæsaris arma, antequam aliis modis arcerent, legatione avertenda sibi duxêre. Delecti eam in rem Joannes Crotosius Palatinides Inovladislaviensis, & Joannes Demetrius Solikovius, Secretarii Regii. His & iter & muneris suscepti administratio multis difficultatibus ac periculis constitit. Per infestam sibi Silesiam, primò Pragam, inde Ratisbonam, ubi Comitia Cæsar agitabat, profecti, reperiebant ubique, qui liquidum Cæsaris jus in Poloniam esse crederent, asseverarentque. Ratisbonæ Solikovius oratione publicâ ostendit, Consensionem plurium in Regno, promptum
que

que Stephani adventum Cæſari cunctanti dempſiſſe, quicquid ei juris ex paucorum à cæteris diſſenſu fuiſſe viſum ſit: ſimulque diluit, quæ Polonis ab adverſâ parte objicerentur: inprimis de Tranſylvaniâ, quæ Turcarum Imperatori obnoxia, Stephanum quoque aliquo nexu, Chriſtianorum hoſti illigare videatur. Diu nullum reſponſum à Cæſare acceperunt Legati, ac multum interim ipſis negotii Albertus Laſcius & Chriſtophorus Sborovius, continui tum in Aulâ Cæſaris, gratioſique faceſſivêre. Adeò ut in duellum quoque alterum Legatorum Crotoſium provocaverit Sborovius. Tandem verò à Cæſare comprehenſum ſcripto reſponſum adepti, dum ad ſuos redire moliuntur, non procul à Ratisbonâ attinentur, Linciumque deducti, traduntur cuſtodiæ. Cauſa obtendebatur, quod Kurtzbachius, miſſus à Cæſare ad Gedanenſes Orator, ab Erneſto Vejero, in itinere, multis vulneribus affectus, jam morti, quàm vitæ propior diceretur. Eam juris publici violationem meruiſſe offenſam. Cæterum dum hæc aguntur, Cæſaris morbus & brevi ſecuta mors impetendæ armis Poloniæ

loniæ consilia in filium deponit: qui naturâ benignus, & imperii tuendi, quàm proferendi, cupidior, pacem cum Polonis, quàm bellum maluit, & Kurtzbachium vivum in Poloniâ detineri intelligẽs, datâ mutuæ securitatis sponsione, captivos Regis Secretarios dimittit.

III. Illi Regem Thorunii Comitiis agendis occupatum reperiunt. * In quibus cùm relictas dissidiorum radices tollere Rex cuperet, non omnino parem voto sensit eventum. Hungarorum in Aula præpollentium mores, Polonis ingrati; tum præsidii ex illa gente conflati rapacitas, tardior denique conditionum quarundam executio, animorum erga Regem benevolentiam nonnihil jam refrigeraverat. Solenne præterea liberæ nationis genio est, in Comitiis ostendere, non multum esse, quod Reges sine studiis Nobilitatis possint. Inde adeò languidius tractata negotia, & cum destinatum Comitiis sex hebdomadum tempus per altercationum inania defluxisset, re infecta discessum est. Graviter id & in diminutionem sui Rex accipiens, dolo-
rem

* 1576.

rem suum publica Oratione testatum fecit per Joannem Zamoscium, Virum facundum; quemque Rex ob mirificas animi dotes intimis Consiliis immixtum, Vice-Cancellarii jam munere, non sine multâ aliorum, præsertim Sboroviorum, invidiâ, honoraverat.

IV. In iisdem Comitiis agi cœpit negotium, quod Regi cum Gedanensibus intercedebat. At id tamen, quia mitioribus nunc modis componi non potuit, armis postea transactum est. Partes illi Cæsaris, juxta cum Prussis reliquis, amplexi, tardiùs cæteris, fortunæ Stephani cesserant. Juramentum ab iis frustrà aliquandiu postularat Rex, tandem autem factione Cæsaris, unà cum ipso, extinctâ, præstare id receperant: sed eâ tamen lege, ut prius jurium suorum integritati, atque inprimis Augustanæ Confessionis libertati solenniter caveretur. Tum onera quædam, atque inprimis dimidii Portorii exactionem, Augusto ad finem vitæ ejus concessam, remitti sibi petebant. In nonnullis sine morâ illis satisfacere Rex promisit: alia graviora ad Comitia Regni differri voluit. Quod forum cùm

abnueret tum Civitas, quæ ſe non Procerum Regni, ſed Regis poteſtati ſubjectam diceret, ſevera in cives omnes & incolas pronunciata ſententia eſt, ut pro rebellibus haberentur. Gedanenſes ſcripto innocentiam ſuam Orbi oſtendere aggreſſi, nihilo ſegniùs etiam arma armis repellere ſtatuêre. Conſcribunt copias, iiſq; Joannem Colonium vulgò à Köllen præficiunt, virum militiâ & inprimis Magdeburgo nuper ſtrenuè defenſo, ſatis ſpectatum. Rex cum antecurſore exercitu Joannem Sborovium in Pruſſiam præmittit. Quem ad Derſaviam caſtra metatum, longiùs à finibus ſuis repulſuri Gedanenſes, obviam procedunt, inconſulto ſanè impetu & hinc infelice. Ad lacum enim Lubiſſoviensé, qui non procul Derſaviâ abeſt, non ſine tumidâ victoriæ ſpe progreſſi, imparem animis fortunam ſensêre. Celeritate quippe exercitûs Polonici, cujus exiguo numero generoſi Ducis virtus multum addidit, oppreſſi, plurimis in impare pugnâ amiſſis captiſque, ægrè, nec niſi ſparſim, ad mœnia Urbis evasêre. Interim majore cum exercitu ſuggreſſus Rex, montem Epiſcopa-

piſcopalem (ita enim montiumUrbi impendentium altiſſimus vocatur, quia major ejus pars Vladislavienſis & Pomereliæ Epiſcopi dominio ſubeſt) occupat; unde pronus in Urbem deſpectus, & eò certior globorum ex machinis jactꝰ erat. Parte aliâ propugnaculum, Viſtulæ oſtio adſitum, ab Erneſto Veihero, equitum Germanicorum Præfecto oppugnabatur. Sed hîc proſperior præſidiariorũ in propulſandis obſeſſoribus ſucceſſus fuit. Nam & pugnando non pauci Regiorum cecidêre, & per navis onerariæ Gedano ſubmiſſæ incurſum, pons perruptus eſt, cujus ruina plurimum noxæ obſidentibus dedit. Interim Elector Saxoniæ & Brandeburgicus, nec non Haſſiæ Landgravius Legatos mittunt, animum Regis adverſum Civitatem mitigaturos. Atq; hunc non inpromptum reperêre, præſertim cum propoſitas ante bellum conditiones Urbs recipere jam vellet, & imminens Lithuaniæ Moſchus, Livoniæ, & porrò Smolenſcenſis Severienſiſque Provinciæ ſpoliis ſuperbus, vires Polonicas aliò vocaret. Itaque Rex irrogatâ obſeſſis non modicâ mulctâ, nonnullorum onerum

vero, quæ tolli petierant, moderatione ad Comitia remissâ, obsidio & proscriptione solutam Civitatem antiquo jure & libertate frui jussit. Onera porrò alia, inprimis quæ ad portorium pertinebant, postea non Regni tantum, sed Comitiorum etiam autoritate sublata sunt.

V. Bellum Moschoviticum ardui moliminis, nec nisi rebus omnibꝰ rectè comparatis, aggrediendum Regi videbatur. * Itaque Comitiis indictis, Ordines Regni convocat. A quibus & jussum bellum, & mox belli sumptibus tolerandis nuncupata tributa non modica, adeò, ut & Cracoviensis, Sendomiriensis & Siradiensis Palatinus consentire in ea nollet, ægrè demum à Rege ad commune ferendum onus, missis singulatim nunciis, postea adducti. His iisdem Comitiis Nobilitati Polonæ novum & insigne libertatis auctarium ac decus, instituto novo Justitiæ Tribunali, accessit. Hactenus à singulorum Palatinatuum subselliis, in quibus caussæ Nobiliũ agitabantur, non nisi ad Regem patuerat provocatio. Unde creber ad Aulam decursus, & morandi necessi-

*1578.

necessitas multas molestias, sumptus, & tædia facessebat litigantibus. Ut plurimum enim cognitiones causarum lentè procedebant, Rege aliis identidem occupationibus distracto. Mutationem itaque in his jam dudum postulaverat Nobilitas, sed Augustū desiderio suo adversum experta, succedentibus postea interregnis, novam judiciorum formam, Regni Candidatis, inter conditiones & pacta injunxit. Tantò facilius jam Rex consensit, ut ex singulis Palatinatibus delecti Judices, hybernis mensibus, Petricoviæ, Majoris Poloniæ & adjacentium ditionum causas; cæteras Lublini, æstivo tempore, cognoscerent, judicarentque sine provocatione. Nihilominus aliqua summi momenti judicia Comitiorum autoritati, quæcunq; autem ad bona Regia & fiscum pertinerent, Regis cognitioni reservata sunt. In causis Sacris placuit, ut senis Judicibus Tribunalitiis Politicis totidem Ecclesiastici adjungerentur: Si Sententiarum Paritas rem indefinitam reliquisset, ea, datâ ampliatione, ad Regem & Comitia rejiceretur. Omnia hæc potissimum Joannis Zamoscii consilio & ductu

constituta. Quem his ipsis Comitiis magnum CancellariumRex creavit, Volscio, qui post Valentinum Dembinscium, eo munere, aliquot annis, functus fuerat, ad Episcopatum Plocensem evecto. Ussit iterum non modicè Sborovios ista tam luculenta Regii in Zamoscium favoris significatio. Hi enim suæ potissimum operæ sceptrum à Rege deberi existimantes, indignè ferebant, sibi alios præhaberi. Sed nimirum hi non pensi habebant, grata primum Regibus, sed mox gravia esse beneficia ab inferioribus profecta, præsertim si pervicaciter imputantur.

VI. Dum belli pacisque negotiis domi attineretur Stephanus, Moschus universam penè Livoniam occupaverat: nonnullis se istic Oppidis Magno Holsatiæ Duci, Moschi genero, sponte, & nimirum spe majoris sub Principe Germano libertatis, dedentibus. Sed & hi propè omnes postea, à Moscho, nihil amplius generum morante (barbaries enim ista merè commodo suo metitur amicitias) vi ad obsequium redacti. Nihilque adeò præter Rigam, Revaliam & paucissima Castella, ab hoste intactum istic mansit.

Et ubique ferè is, Vendæ potissimum & Ascheroti, horrendam in imbellem etiam sexum exercuerat crudelitatem. Vendæ fœmina reperta est, quæ hostem pudori priùs, quàm vitæ aut fortunis imminere sentiens, pugione se transfodit. Altera, injecto in pulverem tormentarium igne, ædes cum fœminis, Virginibus, pueris, ut hostis libidini eriperentur, in aërem displosit. Sed Virginum una igne isto vecta potius, quàm læsa est: quippe non procul ab arce postea viva & incolumis reperta. Aliqua tamen Oppida Joannis Chodkevicii militares Præfecti, qui insolentiori ante regimine tædium sui Livonis, adeoque Magni Holsati desiderium conciverant, antequam Rex Livoniam ingrederetur, per insidias recuperavere. Et eodem tempore Moschos apud Vendam aggressus Andreas Sapieha, Korfio, Platero, Buringio comitatus, egregiam de hoste retulit victoriam. Sub ista venêre ad Regem à Duce Moscoviæ Legati. Sed quia is missos ante Polonos, inter quos Stanislaus Kriscius Palatinus Masoviæ fuit, contumeliosè exceperat, non habitus quoque Legatis ipsius usitatus ho-

nor est. Neque enim Rex assurgens, ut fieri aliàs consueverat antea, sed per Interpretem Valovicium Vice-Cancellarium Lithuaniæ de valetudine Ducis Moschorum Legatos interrogavit. Quod illi probrosum Principi suo ducentes, tam obstinatum sibi silentium mox indixêre, ut nullus eorum verbum amplius proloqueretur. Rex tali eorum offensâ haud minùs offensus, aliorum dein Principum Legatos audit, inprimis Saxonici & Brandeburgici Ducis, quorum uterque ad bellum Moscho inferendum strenuè hortabatur. Postea rebus ubique rectè ordinandis, ut in longinqui belli apparatu necesse erat, intentus, Cracoviâ Varsaviam Rex movit. Grodnam cùm venisset, habito Senatorum Conventu, non tantùm omnium propensas voluntates, sed & in copiis ad bellum submittendis magnam promptitudinem expertus est. De summo belli regimine cum deliberatio incidisset, id Nicolao Mielecio Podoliæ Palatino committere visum est. Quanquam is, valetudine obtentâ, onus istud deprecabatur; quod haud dubiè solito difficilius fore Vir prudens senserat, quia

in plures imperium armorum Rex divise- rat. Lithuanis enim Nicolaum Radzivillum, Ungaris Bekessium (ut nunc alios mittamus) præfectum esse videns, ob multitudinem regentium, sine regimine & disciplinâ exercitum fore conjectabat. Sub id tempus Joannes Podkowa ad Regem adductus est, quem Joannes Zbarascius Palatinus Braclaviensis, à Nicolao Sieniavio adjutus, ceperat. Muldavus is erat, tanto robore corporis ut ferreas equorum soleas manibus confringeret. Unde & nomen ei sederat. Cæterùm parem corpori animum gerens, collectâ ex Nisoviis Cosacis manu, Alexandro fratre ministrante, Petrum Moldaviæ Palatinum exturbârat Principatu suo. In cujus postea locum quidam Jancula, homo ex Saxonibus Transylvanis oriundus, corruptis auro Bassis Turcicis, successit. Podkova autem, quod concitâ multitudi ne, circa Regni cum Turcis confinia, pacem publicam lacessere ausus esset, præsente Internuncio Turcico, qui ab Amurathe Imperatote missus punitam hominis audaciam aliis ostentui esse cupiebat,

multis frustra pro eo deprecantibus, capite plexus est.

VII. Apud Moschos suarum sibi injuriarum, quas Poloniæ & Lithuaniæ intulissent, dudum conscios, armorum Regiorum apparatus strepitusque citò percrebuit. Attamen ut eo magis justum piumque bellum esset, legitimè id illis per Basilium Lopatinscium Rex indicit, caussamque denunciat, quod, ostensâ Polonis specie pacis, Livoniam interim cepérint devastarintque, Regiosque porro Legatos alios deluserint verbis inanibus, alios ignominiosè insuper habuerint. Ipse Rex cum exercitu, exeunte Junio, Vilnâ movet, lustratasque apud Suirum copias versus Polociam, Urbem Dunæ fluvio, quâ is Polottam amnem recipit, adsitam ducit: præmisso illuc duce Nicolao Radzivillio, Palatino Vilnensi, quem eodem filius Christophorus, cum expeditis Lithuanorum agminibus, comitabatur. Qui locum tenebant præsidiarii, cùm castra Regia in propinquo, & mox aggeres vineasque admoveri vidissent, non diu vim majorem morati, relictis propugnaculis, mox & Oppido ipso, in Arcem se recipi-

recipiunt. Cujus oppugnatio tantò difficilior reddita Regiis eſt, quod locus ingenio ſitûs & arte benè munitus, magno jam inſuper propugnatorum numero defendebatur. Præterea ſolum per ſe madidum, tum verò aſſiduitate pluviarum ad gradum prorſus inſtabile, mirè impediebat operas oppugnantium. Moſchus denique Pleſcoviâ copias, Duce Szeremeto, ſubmiſerat. Quæ Polociam tamen tendere non auſæ, apud Sokolum ſubſtitêre, Interim excurſibus earum impeditæ pabulationes annonam incenderunt in caſtris Regiis. Unde inopia ut omnes, ſic potiſſimum Germanos, quos Rozrazevius Comes, & Erneſtus Veiherus adduxerant, affligere cœpit. Quippe hi inter frequentes urbes agere ac bellare asſueti, minus ſibi de alimentis proſpexerant; & eum locum in caſtris tenebant, ad quem commeatus nonniſi poſtremò perferebatur. Faciebat jam fames & juxta tempeſtatum atrocitas metum, ne deſerere obſidium Rex cogeretur: cum 29 Auguſti poſt aliquot fœdos imbribus dies ſerenus illuxit. Quo uſurus Rex ſupra conſueta tela, tædis ardentibus armatos

ſubire propugnacula & mœnia jubet. His ſuccenſis, alii vi irrumpere certant. Sed flammæ vis tam Regiis quam obſeſſis infeſta, propiorem ſuggreſſum prohibuit. Poſtero tamen die etſi remiſſius agere viderentur oppugnatores, deditionem tamen obtulêre obſeſſi, & mox receptui canere Rex juſſit; dimiſsâque quò vellent, cum ſingulis veſtimentis præſidiariorum turbâ, arx occupata eſt; Palatinus loci, nec non Epiſcopus, qui in Sophiæ ædem refugerant, ægre inde revulſi, atque ad Regem adducti ſunt. Annonæ in urbe reperta locuples copia famelicos abundè refecit; præda cætera non ſatisfecit expectationi militum, frendentium inſuper, quod Rex deditos ſine noxâ dimitteret. Crudeliter illi in Polonos, ſi quos dederat ſors, graſſati, vicem meruiſſe videbantur. Sed Rex datam fidem ſervari voluit, nec è re ſuâ eſſe putabat, cæteros hoſtes præciſâ ſpe veniæ, ad extrema compellere, quæ deſperatis virtutem, vincentibus laborem periculumque augent.

VIII, Polotiâ captâ, & Doroſtaiſcii curæ commiſsâ, ad Arcem Sokolenſem Mielecius cum parte exercitûs contendit. Ex

quâ Szeremetus florem Moſchici militis ſecum habens, non parum noxæ dederat Polonis. Nunc propius admotas Mielecii cohortes non diu ſuſtinuit. Germani inprimis, quod Polotiæ occupatæ gloriam aliis ceſſiſſe dolerent, nullum hic detrectarunt periculum, omni vi inter medios ignes obſeſſis incumbentes, donec in poteſtatem arx veniret. Quam Mielecius quidem ſervare integram volebat; ſed flamma in mole lignea ſubitò vi tantâ invaluit, ut nulli extinguentium diligentiæ cederet. Szeremetus, & qui cum eo erant Palatini, ad Regem deducti ſunt. Alios ſpectatiores captivos peditibus donavit Mielecius, in agnitæ virtutis monumentum. Reliqui in Lithuaniam dimiſſi. Mielecius etſi victoriam fortunæ Regis tribueret, invidiam tamen non effugit, Ungaris permoleſtè ferentibus, quod ipſis abſentibꝰ rem adeò præclaram Poloni Germanique geſſiſſent. Bekieſſius inprimis dudum in Mielecium obliquus, nunc & rogatu Lithuanorum pro Indigenâ Regni receptus, eò audentius favore Regio adverſus Viri auctoritatem abutebatur, Zamoſcio etſi affine Mielecii,

ne

ne Regem offenderet, connivente. Cæterùm Sokolienſium fortunâ territa alia in vicino oppida, Jaroslavia, Suſſa & Turowla ſponte Regi ſeſe dedidêre: totuſq; adeò Polocienſis Palatinatus latiſſimè ſanè patens, ex Moſchorum poteſtate, ſub quâ totos ſeptendecim annos fuerat, recuperatus eſt.

IX. Non deſerenda videbatur fortuna, quæ talibus initiis adeò propitiam ſe Regi Regnoque oſtendebat. Attamen ne diuturnâ abſentiâ cæteris Regni neceſſitatibus Rex deeſſet, aut bellum ſine conſenſu Ordinum protraheretur, hyememMartiis operibus incommodam, togæ rebus, præſertim Comitiis habendis dare placuit. In quibus primò quidem aliquæ quorundam adverſus Regem voluntates, multis ſiniſtris ſermonibus in apertum erupêre. Quippe quod in beneficiis honoribuſve poſthabiti, alienam felicitatem ſuam vocarent injuriam, hanc aliter ulciſci nequibant, quàmRegis dicta & facta, etiam optima maligniùs, coram multitudine, per ſe in Dominantes ſuſpicace interpretando. Sed in tantâ ingeniorum & affectuum diverſitate ſemper

quoque

quoque principum cauſa reperit fautores. Itaque his illiſque in contrarium certantibus, plerumque inter autoritatis Regiæ patrocinium, & immodicam cæterorum in dicendo licentiam, tutior in medio relinquitur libertas gentis. Nunc falſa ſuſpicionum res & tempus ipſum apud ſaniores extinxit. Alia in ſpeciem magis valida Joannes Zamoſcius Regni Cancellarius diſertiſſimâ Oratione refellit, ſimulque, ut in belli continuationem conſentirent Ordines, perſuaſit. Actum quoque de milite externo, tum de honoribus, quibus peregrini à Rege extollerentur. Quod à quibuſdam reprehenſum, ab aliis ex uſu Reip. eſſe demonſtrabatur. *Nemini equidem Polono fraudi eſſe, exterorum potius, quàm Civium ſanguinem tuendis vel proferendis Reip finibus impendi. Maximum ubique robur imperiis acceſſiſſe, ubi quorumvis Virtuti campus patuerit. Et in ipſo hoc Regno multas Principes familias ab exteris primordia & Auctores ſuos arceſſere. Porrò à Rege ſi qui foveantur exteri, eos hactenus privatis magis miniſteriis, quàm publicis Regni muneribus adhibitos. Nec ullum peregrinum tantâ gratiâ provectum,*

quin

quin longè infra Indigenarum fastigium subsistat. Si ii, qui novi nunc sint, decorum seriem ad longam olim posteritatem deducere & vetustis stemmatibus inserere possint, id virtutis & juxta felicitatis fore, quam nonnisi mali invidere bonis soleant.

Non defuêre quoque, qui bellum quidem cum Moschis continuandum statuerent, sed regimen ejus præfectis Militiæ, Viris prudentia & rerum gestarum gloria spectatis, committendum. Non enim in casum toties dandum Regni supremũ Caput, & ejus in Regno necessariam esse præsentiam. Verùm Rex & sibi honestius & Reipubl. utilius judicabat, ad castra redire, nec fortunam tam benignè se hactenus præbentem, destituere. Alacrius ProcerumNobiliumque alios exemplum Regis secuturos, & Lithuanorum cum Polonis æmulationes, absente Rege, cujus authoritas omnes præumbrare ac coërcere posset, noxias fore Reipublicæ. Talia diu ultrò citroque vario animorũ motu agitata, antequam in belli sumptûs tributum sciscеretur. Consensum tamen deniq; est, ut idem, quod anno superiore datum esset, denuò penderetur.

X. * Im-

X. * Impetrato in Comitiis tributo, delectus per Poloniam, Zamoſcio inprimis curatore, habiti ſunt. Et quia peditatu majore opus erat, Hungaros iterum à Fratre Chriſtophoro Tranſylvaniæ Duce mitti ſibi Rex jubet. Ex Regiarum quoque in Republ. poſſeſſionum adſcriptitiis viceſimus quiſque ad militiam evocatur, utili utique inſtituto, ne ex ſolis exteris robur militiæ, quod in peditatu eſſe ſolet, conſtaret. Dum pedeſter miles colligitur armaturque, Rex interim primo Vere egreſſus, lentis itineribus in Lithuaniam revertitur. Et cum omnia ad bellum parata haberet, quò primos impetus verteret, deliberat. Livoniam aliqui oſtentabant, ſed ea Caſtellis frequẽs, nimias moras datura videbatur Regi, Moſchis ad pugnas in campo aperto ignavis, munitiones obſtinatè plerumque defendentibus. Itaque Vielkolucam primò aggredi viſum eſt; quòd Urbem commerciis copioſam non deſerturus hoſtis, adeoque in plana camporum progreſſurus ſperabatur.

In

* 1580.

In itinere duo Oppida, ne à tergo relicta pabulationes Regiorum infestas redderent, intercepta sunt, Vielisa & Usviata. Quorum illud in citeriori Dunæ fluvii ripâ situm Zamoscius, præsidiariis aliquot dierum oppugnatione ad deditionem coactis, occupavit. Alterum Mielecio cessit. Capti utrobique præfecti, cæteris, quò vellent, abeundi potestas data est. Ad Vielkolucam denique per vias uliginosas & nemoribus obsitas, Rex cum exercitu, 27 Augusti, pervenit. Quam Civitatem fluvio Lovat, paludumque latè circumstagnantium ambitu, vallo denique munitam, septies mille præsidiariorum, præter oppidanos, insederant. Zamoscio mox datum negotium, ut trajecto flumine, ex ripâ adversâ oppugnaret arcem. Ex altera parte Rex munito sibi aditu, suggressus, arcis mœnia, roboreis trabibus compacta, & vallo suffulta, globorum majorum ictibus quatiebat. Cum parùm his efficeretur, ductis cuniculis via ad propugnaculorum unum structa est: quod pulvere nitrato repletum, ubi ignem conceperat, latè fudit incendium terroremque.

Et

Et eodem tempore ſubjectæ alibi faces ſulphureæ, vento ſufflante, ardere & proxima mox corripere cœpêre. Succensâ ita undique arce anxii præſidiarii, partim igne, partim manu Regiorum, poſtquam ignem fugientes proruperant, periêre. Minima eorum pars ſervata. Qui arci præfuerat Iwan Vojesko, cum à Zamoſcianis, nomen ejus fortè ingeminantibus, ad cædem ſe quæri exiſtimaret, ad Georgium Farensbachium Tribunum Regium, olim ſibi notum, confugit. Sed Hungarus elabi hominem velle ratus, gladio obtruncat. Ex Polonis circiter ducenti hic periêre: interque eos vir ſtrenuiſſimus Petrus Kloczevius, Caſtellanus Zavichoſtenſis.

XI. Arcem Vielkolucanam, ut rebus ſuis neceſſariam, magno opere reſtaurari Rex curat, adhibito in id Dominico Camerino, celebri architecto Italo. Mox miſſo ad Toropeciam Barbelio Ungaro & cùm majore manu opus eſſe cognitum fo ret, Janvſzio Sbaraſcio Palatino Braclavienſi, Farensbachio, Alberto Kiralio, Stanislao Sebocio, cum quater mille Moſchi obviam veniſſent, ex his cæſi quin-

genti,

genti, ducenti capti ſunt, inter quos Joannes Naſczokinus, & Damianus, Czeremeſſinus, ex intimis MoſchorumDucis, fuêre. Hinc ad Nevelam itum eſt, oppidum ingenio loci prævalidum. Quod Nicolaus Doroſtaiſcius Palatinus Polotienſis oppugnare cœpit. Cum acriùs reſiſterent præſidiarii, ſubmiſſus Joannes Bornemiſſa cum peditibus Ungaris & tormentis majoribus. Qui compulſis intra munitiones Moſchis, tam inexpectatâ celeritate ad mœnia venit, ut hoſtes eodem tempore ipſum, & juxta ignem in mœnibus lucentem conſpicerent. Unde concito terrore præſidiarii, præfectis nequicquam renitentibus, vitæ incolumitatem pacti, arcem dedidêre. Paulo poſt & Jezeriſciam Palatinus VilnenſisRadzivillus cepit. Plus laboris circa Zavolociam inſumptum eſt. Quæ aquis undiq; inſtar Inſulæ circumfuſa, nullâ parte acceſſum præbebat obſeſſoribus. Itaque pontem ſtruere oportuit, quem ratibus junctis compactum, ægrè nec ſine multo ſuorum diſcrimine, ad alteram ripam perduxit Zamoſcius. Periitque iſtic inter alios Chriſtophorus Rozrazevius Præfe-

ctus Lencicienſis Vir magnanimus atque à puero bellis Gallicis Germaniciſque innutritus. Et Rex difficultate cœpti conſpectâ, penê ab oppugnatione abſiſti & aliò abduci copias juſſerat. Sed conſtantiâ Zamoſcii & Regiis ſpes melior, & formido tandem hoſtibus injecta eſt. Cum hi inprimis, altero inſuper ponte ſtructo, copias Polonicas jam confertim undique trajecturas animadvertiſſent, Itaq; milites, invitis etiam ductorib9 ſuis, iiſdemque in captivitatem dein traditis, vitam & reditum ad ſuos pacti, locum Zamoiſcio tradidêre.

XII. His Polonorum ſucceſſib9 jamdudum perculſus Moſchorum Dux Legatos identidem ad Regem mittebat, pacem tractare cupiens. Quos cùm Rex ambiguis reſponſis diu detineret, ille, augeſcente metu, Pontificem denique Romanum ſolicitat, ut pacis velit eſſe arbiter. Ea res Pontifici ſpem præbuit Principem Schiſmaticum ad Eccleſiæ Romanæ obſequium pertrahendi. Itaque Antonium Poſſevinũ S. I. in Moſcoviam ablegat, quæ in rem iſtam facerent, diligenter acturum. Quem Moſchi bonæ in Religi-
onem

onem inclinationis ostentamentis, magis magisque impulêre, ut Stephanum Regem ab effundendo ulterius Christianæ Gentis sanguine, assiduis literis dehortaretur. Gloriosum Regi erat, arma sua, hosti formidata, præter famam & admirationem ubique partam, nova etiam Religioni augmenta polliceri. Interim minus adhuc hosti fidens, Nicolaum Radzivillum Castellanum Trocensem in interiorem Moschoviam mittit, qui latè istic terrorem vastitatemque sparsit. Ipse verò ad Comitia habenda Varsaviam tendit. *In quibus inter alios gloriæ bellicæ fructus, hunc habuit, quòd Riga jam dudum famâ Regiorum successuum permota, Poloniæ se denuò adjunxit. Igitur missus authoritate Regis & Comitiorum Joannes Demetrius Solikovius & Venceslaus Agrippa Lithuanus, uterque Regius Secretarius, qui Urbem in fidem Regis, Regni & Lithuaniæ, juramento præstito, accepêre; eâ inter alias conditione, ut Portorii maritimi duas partes Regi Civitas daret, tertiâ sibi in portûs reficiendi sumptum reservatâ. Hinc de tributis, præcipuo

* 1581.

præcipuo Comitiorum iſtorum ſcopo, actum. Nam, pace cum Moſchis adhuc ambiguâ, bello alendo ſumptum diſpici Rex volebat. Itaque in duplex quidem tributum publicè conſenſum eſt. Secreto autem Mareſchalcus Nobilitatis Stanislaus Przyemſcius Regem Ordinis Equeſtris nomine rogavit, ut belli honeſtè finiendi rationes non aſpernaretur. Ita enim exhauſtos Nobilium ſubditos eſſe, ut conferendis ulteriùs pecuniis non ſufficerent. Rex, ſimulatque ad reddendamLivoniamMoſchum adduxerit, quod brevi futurum ſperaret, pacis conſilia lubenter amplexurum ſe pollicetur. Quia autem exactionibus publicis lentiùs pecuniam confici non ignorabat, abElectore Saxoniæ & Brandeburgico nec non Duce Pruſſiæ GeorgioFriderico non modicam argenti ſummam accepit, ſed quæ paulò poſt, ubi tributorũ exactores comportaſſent pecuniam, reddita eſt: egregio tum amoris inRempubl. documento, cujus cauſa Rex nomina facere non recuſavit, tum fidei, quod facta tam citò exſolvit.

XIII.

XIII. Finitis Comitiis, Zamoſcio novorum delectuum cura data eſt, exercitui ſupplendo, quem tot obſidiorum labores & morborum contagia imminuerant. Atque ad famam tanti Regis pronus mox & copioſus undiq; militum erat concurſus. Tantaque Nobilium etiam ad bellum iſtud alacritas fuit, ut plurimi, quod hactenus nunquam facere ſueverant, pedites, Ductore Urovecio, mereri non abnuerent, & ex Pruſſiâ, Sileſiâ, multi ſplendidæ fortunæ Viri Regiæ militiæ dedêrunt nomina. Inter quos Fabianus de Dohna & Melchior Rhederus eminuêre. Exercitu juſtum ad modum aucto Rex, quò arma primùm flecteret, deliberavit. Cum tria loca proponerentur, Pleſcovia, Novogardia, Derpatum, Pleſcoviam cæteris præhabere viſum. Sed ad eam nulla expeditior, quàm per Oſtroviam, Oppidum flumine Vielika undique circumdatum, via patebat. Illud igitur triplici agmine adortus eſt miles Regius. At cum diſſoni eam clamores turbarumque cantûs & tormentorum ictus creberrimè undiquaque ſubitò circumſonarent, territi præſidiarii arcem deſeruêre. Ignovit

Rex

Rex trepidis, & ipſam arcem ſalvam eſſe voluit. Hinc rectà ad Pleſcoviam itum, Urbem magnitudine & munimentis inter præcipuas Moſchoviæ. Tantoque adeò eam acriùs ſibi defendendam hoſtis putavit. Et nulla utique tantùm negotii faceſſivit Regi. Septa fortiſſimis Polonorum, Lithuanorum, Germanorum, Hungarorum turmis ac legionibus, & omnibus quâdam Virtutis æmulatione inter ſe certantibus, non perrumpere quidem aut abigere obſeſſores potuit: ſed excurſibus tamen ſubindè & obſtinatâ patientiâ multum fatigavit. Fuit, cùm admotis undique tormentis diu fruſtra detonatū eſſet, ut audaciore conſilio ſcandere muros, & ſcalis admotis, Urbem ingredi tentaret obſeſſor miles. Sed & hic conatus, quantumvis operoſè inſtructus, improſperè cecidit. Nam magno omnibus periculo conſtitit regreſſus, & ex Polonis pluſquã quadraginta, ex Hungaris multò plures periêre, inque iis Gabriel Bekeſius Frater Caſparis, Regi multum carus deſideratuſque. Neque ductis Cuniculis quicquam effectum eſt, quia alii propter objectam rupem perduci, quò debe-

bant, non potuêre, alii ab hoste citiùs, quàm oportuit observati, ductis obviam aliis, intercepti sunt. Ingruebat præterea in Castris Polonicis pulveris pyrii defectus. Hiems denique appetebat, quæ sub frigido illo cœlo, plus noxæ, quàm hostis ipse, datura videbatur obsidentibus. Tædium inde plerosque cepit, & occultæ primum voces, mox publici fremitus, in Zamoscium belli Ducem exarsêre. Cùm præsertim de novis habendis Comitiis increbesceret fama. Ad quæ iturus putabatur Zamoscius, ut Regni Cancellarius, & nova tributa perorando (ita loquebantur infensi) emuncturus, exercitu interim inter cœli hostiumque injurias in victimam relicto. Sub idem tempus Rex Sueciæ Joannes, duce Ponto de la Garde, Narvam in Livoniæ Moschoviæque confinio situm oppidum idemque commerciis peropportunum occupat: invito quidem Stephano Rege, qui Livoniam universam in belli hujus pretium, Poloniæ, cujus pars dudum fuerit, destinârat. Sed queri tum magis injuriam, quàm ulcisci tempora permittebant. Suecus verò non malè se de Poloniâ meritū

ajebat,

ajebat, quòd in gratiam Stephani, affinis sui, Moſcho hoſtis eſſe ſuſtineret. Et poſtea, cum quæ in Livonia obtinuiſſet, à Rege repeterentur, miſſis in id Alemannio, Chriſtophoro Varſevicio, Laurentio Goslicio, Stanislao denique Kucinſcio, dotem is, & à morte Auguſti, cujus Sororem duxerat, hæreditatem, tum & æs eidem Regi mutuo datum, obtendebat: occupata, ut minabatur, non redditurus, niſi de iſtis priùs ſatisfactum ſibi foret.

XIV. Inter hæc ab Exercitu Pleſcoviam obſidente Rex diſcedit, relicto illic Zamoſcio, ut ſuſtineret Regis vices. Ei conſiliorum laborumque comites præter Radzivillios Duces, erant Stanislaus Tarnovius Radomienſis, Stephanus Grudzinius Naclenſis Caſtellani, Erneſtus Vejerus, Stanislaus Zolkievius Palatinides Belzenſis, Joannes Kretkovius, Martinus Kazanovius, Joannes Leſnovolſcius, Sigiſmundus Roſnius, Jordanus, Farensbachius, Butlerus. Quorum præſentia auxilioque miles in officio retentus, & ad ferendas belli diuturni ærumnas intentiſſimamque frigoris Moſchovitici violentiam animatus eſt. Interim Moſchus pacis

jamdudum cupidus, tum per ſuos Legatos ſæpius miſſos, tum per Poſſevinum de voluntate ſuâ conſtare volebat Regi. Et hic, quid Nobilitati in Comitiis promiſiſſet, memor, tum Pleſcoviam ex pactione potius honeſtâ, quam neceſſitate deſerere cupiens, non jam alienum ſe à pacis conſiliis oſtendit: dummodò Livoniam reddere Regno ſponderet hoſtis. Poſſevino itaque tanquam Pontificis R legato utrinque animos magis magiſque temperante, tandem 15 Januarii Anno 1582. * in decennium arma ſuſpenſa ſunt, hâc præcipuâ conditione, ut Rex Oppidis hactenus occupatis Moſcho, Livoniâ contra universâ Moſchus Regi cederet. Miſſique poſtea in Moſchoviam Legati, Januſzius Zbaraski Palatinus Braclavienſis, Nicolaus Talvoſſius Caſtellanus Samogitiæ, Michaël Haraburda: quibus præſentibus Dux Moſcoviæ pacta jurejurando confirmavit. Quod idem in primis mox Comitiis factum eſt â Rege coram Moſchicis Legatis.

XV. Bello cum Moſchis finito pax ſucceſſit, nullis jam amplius armis ſub hoc

* 1582.

hocRege interpellata, ſed turbata inteſtinis ſubinde diſcordiis, nihil fermè melioribus bello, Primùm autem poſt arma depoſita, Livoniam recens à Moſcho recuperatam Regi viſum eſt componere. * Itaque Rigam profectus, Civium precibus multa dedit, inter alia aream inUrbe, quæ olim Archiepiſcopi Rigenſis fuerat, Eccleſiam item Cathedralem; poteſtatẽ denique munimenta Urbis Arcis mœnibus æquandi. Sed viciſſim etiam Religioni Romanæ templa aliquot aſſignata ſunt, & Patribus Jeſuitis datum domicilium, cum cenſibus quibuſdam ædiũ, quæ olim fuerant Canonicorum. Inſtitutus item Vendæ novus Epiſcopatus. Denique cùm graviſſima quæque compoſita Rex putaret, uſus ea in re Nicolao Firlejo Caſtellano Biecenſe, Solikovio, & Ducis Curlandiæ Conſiliariis: reliqua ordinanda Georgio Radzivillo Olicæ Duci, Epiſcopo Vilnenſi, poſt & Cardinali, ut totius Livoniæ Gubernatori, relinquit. Cui Erneſtus Veiherus militiæ curam habiturus, Solikovius item, Vir rerum ſacrarum humanarumque prudens, adjunguntur. Qui tamen ultra annum

* 1582.

istic non mansêre, nam & ille in Prussiam revocatus, & hic, mortuo Joanne Sienenio, Archiepiscopus Leopoliensis, à Rege absens nominatus, in Russiam abire coactus est.

XVI. Interim Rex Comitiis iterum habendis, Varsaviam profectus fuit. * Quæ præter opinionem admodum turbulenta fuêre. Quippe Rege ad fines Regni bellicis laboribus intento, domi interea plurimorum animi per factiones Regi contrarias vehementer exasperati erant. Hungarorum in Polonia multitudo & auctoritas apud Regem, collataque iis præmia, plerosque adhuc irritabant. Mielecium certè, Podoliæ Palatinum, jamdudum hæc adeò offenderant, ut & militiæ præfecturâ spontè abiret. Quam cum Rex Zamoscio tribuisset, eidemque porrò Magni Cancellarii dignitatem addidisset, ignis igni addi visus est, quò magis urerentur æmuli. Sed jam promendis odiis alia seu data seu accepta occasio est. Inter Consultationum Capita, quæ more solito Nobilitati in Palatinatuum Conventibus discutienda proposue-

* 1582. Octobr.

posueratRex, deRegis in futurum succes-
soris electione deliberari voluerat. Quia
enim duo superiora interregna, per suf-
fragiorum factionumque in Rege eligen-
do discordiam, Regnum magno pericu-
lo objecerant, non jam Regi tantùm, sed
& ipsis etiamOrdinibus ex usu publico es-
se visum erat, certioribus quasi legibus
Electionem circumscribere. Nunc verò,
animis magis magisque adversus aulam
ægrescentibus, quod ante salutare Regno
habitum erat, pro scopulo publicæ liber-
tatis acceptum est. Suspicio enim in-
cessit plerisq;, propositione istâ hoc quæ-
rere Regem, ut unum ex Batoreis, Fratre
ipsius genitis, successorem sibi designa-
ret. Et eo fine Varsaviam, ante Comi-
tia, Regni Primas Karnkovius vocatus,
cumque is non venisset, Lovicii à Rege
& Zamoscio visitatus credebatur. Pur-
gavit postea publicè Regem accurato ser-
mone Zamoscius, simul verò ad Concor-
diam Ordines, perstrictis obiter Petiliis,
Rempubl. turbantibus, hortatus est; &
Livoniæ porrò statu, tum Tartarorum
Cosacorumque minis expositis, in exsol-
vendis militi stipendiis finiit. Multa in

 orati-

oratione displicuêrenunciorum nonnullis. Neque his Suentoslaus Orzelski, Præfectus Radeoviensis, Ordinis Equestris in his Comitiis Director, quòdRegi, pro laboribus susceptis, gratias agens, blandiùs quædam dixisse videretur, satisfecit. Dum variis inter] se disceptationibus nuncii tempus extrahunt, Rex interea judiciis vacat. In quibus severè in quosdam magnorum facinorum reos animadversum est. Inter alios Castellanus quidam, qui Grajovium in frusta concidi jusserat, ad capitis supplicium damnatus: laudabili justitiæ rigore, & ad effrænem inter nobiles cædium licentiam apprimè necessario. Hinc Stanislai Czarnkovii cognita caussa est. Quem Primas Regni ob vendicatam sibi Znini Oppidi Archiepiscopalis possessionem, tum ob alia quædam in jus vocaverat. Sed Czarnkovius populari favore fretus, ejusmodi ad Regiam evocationes publico Comitiorum decreto irritas reddere conabatur. Euntibus in contrarium aliis, ita incaluêre animi, ut subinde res non multum à tumultu abesset. Mutuisque altercationibus, absumptum Comitiorum

tiorum tempus alia à Rege proposita & magis ardua exclusit.

XVII. Dilapsa ex Comitiis malè solutis Nobilitas faces & semina discordiarum secum detulit domum. Zamoscium verò post ingestos tot summos in Republ. honores, novo adhuc vinculo Rex illigavit sibi, datâ ei post Radzivilliam defunctam, Griselide Batoreâ, FratreRegio genitâ. Et nuptiæ magnâ Senatorum frequentiâ sumptuque & pompâ admodum splendidâ Cracoviæ celebratæ sunt, nulla formidine invidiæ, quâm non adeò placare, sed vincere, Vir suâ virtute & Regio favore nixus, laborabat. Atque ea quidem non modicè jam aucta est. Nam quò arctiùs innecteretur Regi Vir tantus, hoc iniquioribus oculis potentiam ejus adspiciebant cæteri. Inter quos cum maximè eminerent atq; odia etiam apertius promerent Sborovii, iram Regiam atque hinc perniciem primi incurrêre. Ex iis post Petrum Palatinum Cracoviensem, non adeò dudum fato extinctum, quatuor adhuc fratres supererant, Viri omnes opulenti & splendidi. Multis præterea affinitatibus pollebant, & à

Nobilitate, ſplendore ac beneficiis ille-ctâ, eò jam impenſius fovebantur, quò graviùs ab Aulâ premi viderentur: non inuſitato hîc inter Regiam & populi autoritatem certamine. Unus iſtorum Chriſtophorus, Maximiliani olim partes ſecutus, cùm ab Aulâ Cæſareâ rediiſſet, ſtipendium annuum, antè alii cuidam numerari ſolitum, per Cancellarium à Rege petierat. Cum non niſi partem ejus Rex obtuliſſet, in contumeliam rapta iſta pactio, tanquam Regem & Sborovium parùm decens, malè ſepultas in homine ſimultates reſuſcitavit. Itaque liberius multa in Regem dicere cœpit. Et acerbæ ejus literæ, quas ad Samuelem Fratrem deſtinaverat, famulo ſeu ſponte profugo, ſeu ſpe præmii corrupto, ad Regem ſunt delatæ. Non mitiùs quoque Samuel, frater ipſius agebat, familiaris olim in Tranſylvaniâ Regi, & eidem Regni accepti propemodum autor; ſed ob cædem Vapovii, ab infamiâ nondum liber; quia Vapoviorum defenſores Tencinii, facinus nonniſi Capite autoris expiatum volebant. Itaque nullo legum præſidio tutùs, modeſtè tamen latitando in Patriâ,

vitam

vitam tueri potuisset. Verùm affinitatibus & clientelis suorum fretus, liberius circumcursare, & ferocibus porrò verbis æmulos atque inprimis Zamoscium lacessere audebat. Neque cognatis à Cracoviensi territorio, cujus Zamoscius Præfectus esset, abstinere monentibus, paruit. Irritatus itaque, & in tam illustri Capite autoritatis suæ specimen dare volens Zamoscius, corripi illum & non multo post capite plecti jussit. Famâ rei tantæ non Sboroviana tantum gens, sed Stadnicii omnes, & Palatinus Posnaniæ, Comes Gorcanus, plurimique in Regno alii vehementer commoti sunt. Rex verò, convocatis Lublinum Senatoribus, post publica quædam absoluta, initæ à Sboroviis adversus dignitatem & salutem Regiam conspirationis consilia coram intimis aperit; nominato etiam, à quo de iis admonitus sit, Regni Primate Karnkovio. Dolorem omnes, uti oportebat, contestati, in acerbiora tamen, quæ Rex meditari videbatur, plerique non consentiebant. Præcipuè Archiepiscopus Leopoliensis, Solikovius, curatâ oratione clementiam Regi suasit, adductis clarissimorum Prin-

cipum exemplis, & demonstratâ conditione Regni, in quo Regibus moderata magis lenitas, quàm rigor nimius conducat. Sed prævaluit severitas Regia, statimque Andreas Regni Mareschalcus & Christophorus Sborovius mandatis publicis per Regni Instigatorem Rzeczicium ad Comitia citati sunt.

XVIII. * Comitiis indictis, commoti passim animi, nonnullis in Palatinatibus, penè in tumultum efferbuêre, & solito frequentior tum Procerum, tum Nobilitatis numerus Varsaviam concurrit. Venêre eodem Sborovii, nihil in exaggerandis Aulæ injuriis, & pro securitate suâ omittentes. Contrà quoque Rex, cum suarum partium Senatoribus, authoritatem supremam, & si opus esset, vim opponere parabat. Itaque armis undique strepebant Comitia. Cum dies cognoscendæ Sboroviorum caussæ venisset, universi Nobilitatis nuncii interesse judicio voluêre. Oggestum, judicia Capitalia ad ipsos non pertinere. Ne tamen de judicii Regii æquitate ambigeretur, omnes denique Rex admitti jussit. Sborovii

* 1582.

rovii eorumque amici favori populi ita fidebant, ut Regiam tamen severitatem non minùs revererentur. Itaque minis preces miscebant. Motusque gravitate causæ, tum misericordiâ uterque Archiepiscopus usque Regem ad clementiam flectere laborabat. Et Rex de rigore remissurus videbatur, si facinus confiteri ac deprecari Sborovii voluissent. Ex his tum simul aderat Joannes, Castellanus Gnesnensis, germanus reorum frater. Qui suis in Rempubl. meritis & gratiâ olim apud Regem validus, veniam fratribus suis publicè exorare orsus est. *Familiæ suæ*, ajebat, *erga antecessores Regis & Rempubl. merita, sed & simul fortunam in aperto esse. Adpaucos illam jam redactam, in his saltem reliquiis non obruendam. Si quid peccatum à Fratribus esset, non malignitati, sed ætatis tribuendum imprudentiæ. Nulli usquam Sborovio sublestiorem in Rempubl. fidem objectam. Nec gentis Polonæ candorem ullis unquam malarum in Principem machinationum criminibus adspersum. Si frater fratri, dolorem ex Aulâ conceptũ privatis aliquando literis promat, non id illicò conspirationis aut perduellii instar puni-*

endum

endum esse. Adesse jam accusatos, misericordiam Regis, & favorẽ quærere, contentionẽ cum Principe deprecari. Satis jam pœnarum familiæ suæ inflictum. Vix dum refrixisse sanguinem fratris sui, nuper in Urbe Principe gladio Carnificis effusum. Cujus delictum sibi quidem non excusandum; verùm cognitionem tamen delicti, & tam severam pœnam non privato, sed Comitiorum potius judicio subjiciendam fuisse videri. Cæterùm quia quod factum esset, corrigi jam nequeat, intra istum saltem sanguinem stare debere severitatem, neque recens familiæ vulnus aliis accumulatis vulneribus rescindendum esse

Movit Senatui & Nobilitati lachrymas prælustris Viri Oratio. Sed Rex & hujus Verbis, & fletu cæterorum suboffensus, judicio causam & reos sisti jussit. Pro quibus deinde Stanislaus Czárnkovius & Jacobus Niemojovius, Viri populari facundiâ validi, publicè peroravêre. Zamoscium verò Stanislaus Czikovius jam ante ad mitiora flectere cœperat. Nec minùs apud Regem Principum Senatorum aliqui preces adhuc interponebant. Rege in sententiâ perstante, nec securitatis fidem, eâ formulâ, quâ Sborovii petebãt, facere

facere volente, Christophorus Sborovius, vitæ suæ metuens, cui à Regiis inevitabile periculum imminere quidam amici monebant, Varsaviâ non sine minis discessit. Absens mox læsæ Majestatis reus, adeoque infamis proclamatus est, amicis jam aut languidius, aut frustra rem ejus agentibus. Ex nunciis tamen Nobilitatis octo, inter quos Sbigneus Ossolinius, postea Palatinus Sendomiriensis, decreto Regio reclamavêre. Cumq; Rex ista minùs moratus, ad alia deliberanda hortaretur ordines, infectis rebus discessum est.

XIX. Solutis ita Comitiis, Rex ortas intra Regnum turbas tempori, cujus in talibus molliendis magna vis est, relinquens, extremis Regni provinciis componendis incubuit. Ac quia à Tartaris primùm, & postea, cum sedes eorum Taurica per domestica dissidia ab Amurathe in provinciam redacta esset, à Turcis ipsis immineret periculum, eò exercitum in omnia excubiturum mittere visum fuit. Illâ occasione Cosacorum quoque militia in Ordinem redacta est, Techtimiroviâ, cum fundis adjacentibus, in sedem illis,

illis, & bellicorum apparatuum receptaculum, aſſignatâ. Nam hactenus illi prædonum, quàm militum turbæ ſimiliores, ſine Duce certo, nullâque lege ac diſciplinâ, arma tumultuariè tractaverant: Tartaris ſubinde infeſti, & hinc odii, bellorumque inter hos & Polonos materiem, quoties occaſio & ſpes prædæ invitabat, præbentes. Livonia verò nuper admodum à MoſchorumDominatione vindicata, multum uſque negotii & ſibi & Regi concivit. Inprimis Riga, Caput provinciæ; in quâ ob novam temporum rationem, prout ea à Gregorio XIII. correcta & jam multis locis recepta erat, vehementer tumultuatum eſt. Cùm enim nonnulli Natalem Domini, ſecundùm vetus Calendarium, Magiſtratu nequicquam prohibente, celebrare optasſent: Ludimoderator, qui ſolennibus cantilenis, cœtui Scholaſtico & plebi, contra voluntatem Senatus præiverat, Burggrabii Regii juſſu, in carcerem conjectus eſt, Cujus dimiſſionem cum collega ejus multique oppidanorum fruſtra urgerent, excitato ab infimâ plebe tumultu, carcer de nocte effringitur, ſimul-

que

que ædes Parochi, nec non Burggrabii & Syndici diripiuntur. Neque hîc malum ſtetit. Coorta mox Duce Martino Giſio, univerſa pene Civium multitudo odium in Religionem Romanam ejusdemq; præcipuos in Urbe propagatores Jeſuitas prompſit, aliaque quæ publicam Civium libertatem luxare hactenus viderentur, movere cœpit. Et multa tum Senatui extorta ſunt à plebe armatâ. Porroque in carcerem ducti, & poſt tormenta adhibita ad ſupplicium rapti ſunt, Joannes Taſtius prætor, & Gothardus Vellingus Urbis Syndicus, qui hactenus negotia Civitatis in Aulâ Regiâ egerant. Rex primis turbarum acceptis nunciis, Grodnam evocavit magiſtratûs plebiſq; Capita; &, Joanne Brinckio, Martino item Giſio, ut ſeditionis auctoribus proſcriptis, aliis, qui alieno magis exemplo, quàm ſuo ingenio peccaverant, ignovit. Sed deinde, ubi Taſtium & Vellingium ita crudeliter acceptos audiviſſet, graviora remedia circumſpicere cœpit. Urbs iratum Regem, & ne ob paucorum licentiam omnium libertas accideretur, metuens, compoſitionem quærit. Arbiter itaque

itaque constituitur GothardusCurlandiæ Dux. Sed cùm re ad Regem relatâ, mitiùs quam flagitii magnitudo requireret, actum videretur, irrita pronunciata est illa reconciliatio. Et jam anxiis animis aliam severiorem à Rege sententiam expectabant Cives. Verum aliquandiu res dilata est, Regem in alia vocantibus tum Regni negotiis, tum orbis Christiani votis. Quippe eum ad novum bellum magno non Poloniæ tantum, sed omnium vicinorum bono gerendum stimulabat Pontifex R. aliique Principes. Et hâc inter alias causâ impulsus, Comitia Rex 13 Decembris Anno 1586. * indixerat. In quibus sumptum belli quærere, & porro fratris sui Filiis, Andreæ, paulò ante Cardinali creato, simulque alteri Balthasaro Indigenatum Poloniæ impetrare cupiebat. Quâ re iisdem ad majora posthac strui videbatur aditus. Sed ista agitantem vita anno ætatis quinquagesimo quarto, Regni decimo, præter omnium expectationrm, destituit; Principem Sapientiâ, Justitiâ, fugâ voluptatum, deliciarumque, laboribus contrà decoris,

* 1586.

decoris, artibusque bellicis præclarum. Formidini is inde hostibus, Principibus amicis admirationi erat. A suis comitate & facili accessu amari meruerat: Sed ob severitatem justitiæ, & immotam animi morumque constantiam, magis suspiciebatur. Nonnullis etiam autoritate suâ jam gravis esse libertati Polonæ, certe, si provixisset, periculosus fore visus est.

Liceat hic adjicere Elogium Stephani, quod in Manuscripto quodā reperi, nusquam, quod sciam, hactenus editum.

ELOGIUM
MAGNI STEPHANI I.

Poloniæ Regis, qui Grodnæ, multis rebus præclare gestis, paceque publicâ relictâ mortuus est Anno Domini 1586 Die 12 Decembris.

In templo plus quàm Sacerdos.
In Rep. plus quàm Rex.
In Sententiâ dicendâ plus quàm Senator.
In judicio plus quàm Juris Consultus.
In Exercitu plus quàm Imperator.
In acie plus quàm miles.

In

In adversis perferendis, injuriisq; condonandis, plus quàm Vir.
In publicâ libertate tuendâ plus quàm Civis.
In amicitiâ tuendâ plus quàm amicus.
In convictu plus quàm familiaris.
In venatione ferisq; domandis plus quàm Leo
In totâ reliquâ vitâ plus quàm Philosophus.

Lubet & alterum subjicere incerti pariter Autoris.

STEPHANUS REX POLONIÆ.

STephano Palatino, sub Joanne Rege, Transsylvaniæ, Matre Anna Thelegdi Anno S. cIↃ IↃXXXIII. Die DD. Cosmæ & Damiani natus. In pueritiâ bonarum literarum studia domestico studio attigit, Adolescentiam, in Aula Ferdinandi Imperatoris, ejusdemque Ungariæ Regis: Maturiorem ætatem, in Bellis Ungariæ civilibus egit. In quibus & candentes globos, novum incendiorum genus, aliis omnibus incendiis præsentius, primus invenit instituitque. A Joanne Principe Transsylvaniæ primo ad Ferdinandum & Maxi-

Maximilianum ſolum Legatus miſſus, in ſecundâ legatione, ob turbatas eo abſente conditiones pacis captus, ultraque biennium in cuſtodiâ habitus, totum id tempus optimarum artium ſtudiis, antiquorumque omnis generis Authorum lectionibus tranſmiſit. Poſt mortem Joannis Principis Tranſylvaniæ, Joannis Regis Filii, Caſpari Bekeſio, quem Joannes Princeps ſucceſſorem ſibi deſtinarat, Popularium ſtudiis prælatus, ad honorem eum evocatus fuit. Bekeſium res novas tentantem, ejecit: Iterumque à Maximiliano Imperatore, ad quem profugerat, profectum, ac præſidiis, ex Arcibus Ungariæ ditionis Cæſareæ deductis Tranſylvaniam invadentem fudit, fugavitque. Non multo deinde tempore interjecto, majorum rerum materiam fortunâ ſtruente, ab Ordinibus Regni Poloniæ in duas partes diviſis, alteris Maximilianum Imperatorem eligentibus, ab alteris ipſe inRegnum vocatus fuit. Quod mox ut delatum erat, ingreſſus, celeritate ex incerto certum ſibi fecit: Maximarum diſcordiarum ſemina primo adventu

ventu oppressit: Remque publicam ex turbatissima tranquillissimam reddidit. Præsidium adversæ partis ex Landskorona arce dejecit: Gedanenses in partibus obstinatius persistentes primùm prælio Dersaviensi, tum aliquot mensium obsidione ad officium reduxit. Comitiis inde Varsaviam indictis judicia à Nobilitate Interregnorum tempore sine certo ordine ac ratione usurpata firmavit: Consilio ac prudentia certisque legibus circumscripsit. Iisdem Comitiis bellum contra Joannem Basilii F. Magnum Moschoviæ Ducem ab ordinibus decretum suscepit: perque triennium ita gessit, ut primo anno Polotia, Sokola, Sussa, Krasna, Usviata, Sitna, Jeseriscia, Kossiano, Nescerda totoque Ducatu Plotiensi; altero Lukis, Nevela, Zavolotia, Agroque Lucano universo hostem exueret: Tertio, Ostrovia primùm capta, Plescoviam per iniquissimum Anni tempus eò usque obsideret, dum ad Pacem petendam cedendamque Livoniam universam, Ducatum Polotiensem, ac Territorium Velisianum, hostem adigeret, quæque ille tri-
ginta

ginta ferè annorum ſpatio maximâ cum ſanguinis & laboris impensâ vix pepererat, ipſe triennali bello recuperaret. Omnium in hunc uſque diem, cum externorum, tum domeſticorum hoſtium, partim armis, partim clementia ac juſtitia victor.

Primæ partis Flori Polonici

FINIS.

FLORI POLONICI

LIBER V.

Qui Sigiſmundi III, annos viginti quinq; complectitur.

ORtæ ſub Stephano diſſenſiones. illo mortuo, ceu obice rupto, violentiùs erupêre. Periiſſe jam Zamoſcio ſummum columen videbatur, eoque enixius in depreſſionem ejus æmulorum conſpiratio incubuit. In primo itaq; conventu, quem à morte Regiâ, Varſaviæ, convocatore Regni Primate Karnkovio; Ordines celebravêre, poſt ſancitam confœderatione uſitatâ, ſed non ſine proteſtationibus, pacem Religionis, machinatoribus Sboroviis, eorumq; fautoribus, inprimis Comite de Gorca, Palatino tùm Poſnanienſi, qui gibbo deformis, at opibus ac populari gratiâ præpotens erat, decretum eſt, ut militis ſcribendi poteſtas, tum finium Ruſſicorum cuſtodia, non

non à Zamoſcio, cui ut Duci exercitus ea cura competere videbatur, ſed à conſenſu Ordinum congregatorum dependeret. Et jam illicò iſtæ imperii militaris partes inter Nicolaum Herburtum & Jaslovecium diviſæ ſunt. Zamoſcius inter hos æmulationum æſtus ſibi conſtans, ſilentium inpræſens & in agendis, quæ è Republ. eſſe judicabat, immotum tenorem opponebat. Deſignato deinde novi Regis electioni die, diſceſſere otdines. At mox magnis paſſim apparatibus univerſa Polonia perſtrepuit: longæ felicitatis opulentia non ſplendori ſolùm, quo generoſa natio gaudet, ſed & animis altiùs attollendis, alendiſq; factionibus uberes copias præbente. Tempore præfinito Proceres præcipui non magnis clientum duntaxat, ſed & militum agminibus comitati acceſsêre. Sola Sboroviorum & Gorcarum factio prope decem millia armatorum adduxit. Minor numerus Zamoſcio erat, non minor tamen roboris fiducia, quia Veteranos omnes & longa decora præferentes habebat. Cum quibus, non procùl à Comitio, ubi legendus Rex erat, caſtris ex diſciplina militari po-

sitis, & vallo fossâq; circumdatis, consedit. Qui extra partes erant, Regni primores, amicâ compositione, Zamoscii & Sboroviorum discordiam, ut maximum consiliorum & quietis publicæ turbamentum, tollere nitebantur, sed inani ferè conatu. Neque quod mutuo partium consensu steterat, ut alternatim, & sine bellicis instrumentis Comitium accederent, diu servatum est. Et paulò post, cùm, quæ in priori conventu, contra Zamoscium decreta erant, plerisque nunc agnitâ viri innocentiâ, displicere viderentur, tumultu facto à Sborovianis, libertatem Nobilium opprimi querentibus, & universalem conjurationem inclamantibus, aliò secessum est. Seorsim quoque Lithuani adhuc stabant, integrã sibi libertatem, cæteris discordantibus, servaturi. Quanquam istic Radzivillii & Chodkievicii, partim sacrorum communium, partim sanguinis vinculis innexi Sboroviis, in partes Zamoscio contrarias videbantur inclinare. Divisâ sic in partes Republicâ, non modicum periculum erat, ne factiones diversos sibi Reges quærerent. Neque enim facilè in eundem

undem Principem consensuri videbantur, qui privatim adeò inter se infensi, non tàm patriæ Rectorem, quàm suæ parti patronum vindicemq; credebantur dispicere. Et quasi in perniciem Poloniæ conspirasset fatum, solito plures Regni jam offerebantur candidati. Nam & Maximilianus Archi-Dux, Rudolphi Imratoris Frater, & Sigismundus, Joannis Sueciæ Regis filius, & Moschorum Dux Theodorus Odonovicius adspirabant ad sceptrum Poloniæ. Bathorei præterea, etsi id petere apertè non auderent, datum tamen minimè recusaturos, manifestum erat. Non parvus quoq; numerus erat expetentium Indigenam. Qui & non deesse Poloniæ viros sceptro dignos, neq; tanta invidiæ, æqualem dedignantis, quàm discordiæ, Regnum toties scindentis, incommoda fore, disserebant. Maximilianum, præter Legatum Cæsaris, Pavlovium, Episcopum Olomucensem, impensè commendabat Annibal de Capua Pontificis nuncius, & easdem partes obnixo studio tuebantur Sboroviani: etsi primâ fronte proponerent Moschum, ut speciosa tam magni Ducatus accessione

ostentatâ, faciliùs Sigismundum excluderent. Sed his præcipuè omnium autoritas Zamoscii summis de Rep. meritis coalita obstabat, cui tantò proniùs Ecclesiasticorum plerique accedebant, quod in parte adversâ, plurimi diversorum sacrorum essent. Et multis Nobilium suspecta tum usq; erat Austriacorum potentia, quæ Germaniæ Imperio, potentiâ Hispanicâ, Ungaricoinsuper Boëmicoq; Sceptro subnixa, periculum minari videbatur Polonorum libertati.

II. Cæterùm pro Sigismundo nitebatur cum magno Zamoscio Anna Regina Poloniæ, Stephano marito nuper viduata. Cujus sorore Catharinâ, Sueciæ Regi nuptâ, natus erat Sigismundus. Reginam & Zamoscium clientum ingens numerus, sed Jagelloniæ inprimis domûs reverentia oblataq; militi adversus competitorum potentiam, pecunia multùm juvabat. Et super hæc, qui à Rege Sveciæ aderant Legati, magnifica ac speciosa pollicebanturOrdinibus Poloniæ. Postquam ergò diu admodum, acriterq; concertatum esset sententiis, consensusq; universorum frustra amplius quæri expectariq;

ctariq; cerneretur, à majore parte Sigismundus, præeunte Archiepiscopo, renunciatus est: designatiq; statim Martinus Lesniowolski Castellanus Podlachiæ & Joannes Bojanowski, qui Principem electum è Suecîâ adducerent in Poloniam. In adversâ Zborovianorum concione torpidius agebatur res, quia conviviorum istic ut-plurimùm festivitate, illiciendis retinendisq; clientibus, tempus extrahebatur. At simul ut intelligunt, cæteros, nullâ ipsorum habitâ ratione, Regem nominare ausos, extemplo non contradicere tantum istis incipiunt, sed & ipsi candidatum suum Maximilianum prævio Jacobo Voronecio Episcopo Kioviensi, promulgant: inq; templo Bernardinorum, sacra faciente Radzivillio Cardinale, solemnem hymnum canunt. Mox & Legati ad Archi-Ducem electum designantur, Episcopus Kioviensis, Joannes Sborovius Castellanus Gnesnensis, & Alexander Prunscius. Erat jam in viciniâ Maximilianus. Quippe Olomucii in Moraviâ agebat, eventum speculans Electionis. Sigismundus verò ultra mare, & iniquo navigationibus autumno,

quærendus erat. Eò intentiùs, qui hunc elegerant, Zamoſcio Cracoviæ adverſus Auſtriacos muniendæ curam, demandāt. Qui ſine morâ per medias adverſariorum ſtationes, quarum excubitores ſomno ex crapulâ graves, exprobrandæ ignaviæ, flagris excipi juſſit, domum primùm, inde Cracoviam properat, ubi jam interea amici ejus, Andreas Tenczynius Palatinus, & Nicolaus ZebrzidoviusArcis præfectus, avertendis Archi-Ducis conatibus diligenter invigilabant. Dum autem Zamoſcius oppido ſuo, quod recens conditum, cognomine ſuo & Academiâ, multisq; aliis ornamentis celebre effecerat, egrederetur, pubesAcademica, forte tum in campo proximo ludicra exercens, Aquilam cepit, vivi ſerpentis implexam ſpiris. Quod in omen Aquilæ Polonæ de ſerpentibus triumphaturæ raptum eſt.

Sigiſmundus à patre, multa adhuc cauſante, tardiuſculè dimiſſus, cum denique exeunte Septembri, * in Portum Gedanenſem appuliſſet, iſtic ab Hieronymo Rozrazevio Vladislavienſi, Alberto Barano-

* 1587.

ranovio Premisliensi Episcopo, eodemq; juxta Regni Vice-Cancellario aliisq; plurimis Senatoribus exceptus est. Eidem ipsis Calend. Octobr., in verba, ab Ordinibus præscripta, juranti, Electionis diploma, in Monasterii Olivensis templo, traditum. Inde Cracoviam properatum. Quam tum jam cum exercitu suggressus Maximilianus, omni vi oppugnare cœperat, non sine labore & periculo insultûs ejus sustinente Zamoscio, qui castris ad Clepardiam positis Urbem tutabatur. Dolo aliquando in suburbii partem, cùi Coriariorum frequentia nomen fecit, subrepserat hostis, corruptis, qui istic habitabant, Germanis. Sed fraude intellectâ, Zamoscius subire passus est militem hostilem, mox locum suo milite & simul igne accenso circumdedit, quo unà cum doli structoribus suburbium universum, atq; in eo Carmelitarum Monasterium deflagravit. Postea prælio experiri visum est Maximiliano, * idq; antequam Sigismundi adventu novum robur & animus major Zamoscianis accederet. Sed primâ mox hastato-

 rum

* 25 Novembr.

rum acie Cataphractis ſubmotis, reliquæ Germanorum copiæ, relictis impedimentis, amiſſisq; ſignis compluribus, ceſsêre campo. Paucis poſt diebus Sigiſmundus inter victrices Polonorum Aquilas & triumphorum ſolennia, Cracoviam jam liberam ab hoſte, ingreſſus eſt. Ubi illum primò Laurentius Goslicius Epiſcopus Cameneceñſis, eruditæ eloquentiæ vir, cum procerum Nobiliumque turbâ, in alterâ verò Urbis parte Zamoſcius Dux copiarum excepit. Conſummatis primæ lætitiæ feſtivitatibus, in ſeria mox, atq; etiam diſſidia deventum eſt. Nam cùm de conditionibus agi cœptum foret, Eſtonia, provincia Livoniæ contermina, multæ altercationis dedit materiem. Illam quippe ex pacto ſibi à Suecis reſtitui volebant Poloni: id contrà à Rege ſuo promiſſum negabant Legati Suecici, quorum Princeps erat Ericus Sparre Pro-Cancellarius. Eoque erupit diſceptatio, ut ipſam Electionem Sigiſmundi prope irritam redderet, irritamq; ſe eam malle diceret Sigiſmundus, quàm tali lege Regnum ſuſcipere. At tandem metu Maximiliani, in proximo adhuc agentis, &

occaſi-

occasionibus intenti, rem hanc integram tantisper relinquere visum est, donec Sigismundus, rerum aliquando in Sueciâ, post Patrem, potitus, de Estoniâ quoque liberiùs posset statuere. Re hâc pro necessitate magis temporis, quàm ex voto Polonorum compositâ, solenniter demum ab Archiepiscopo Karnkovio * inauguratus est Sigismundus. Eiq; postea Sacramentum dixit Senatus universus: nec non die sequenti Magistratus Cracoviensis.

IV. Sed donec in Poloniâ Maximilianus esset, non sceptri accepti Rex, nec dati Polonia secura esse poterat. Illius itaq; propulsandi cura demandatur Zamoscio. * Qui Sborovios æmulos suos, in Archi-Duce persecuturus; tantò alacrius suscipiebat provinciam. Et auxerant ei animum novæ trium millium Equitum suppetiæ, recens à Balthasaro Battoreo affine suo ex Ungariâ adductæ. Sine morâ itaq; movet in hostem. Quem ubi in Silesiam interim recessisse intelligeret, istuc quoq; sequi statuit. Hic verò

* 27 Decembr. Anno 1587.
* 1588.

ſecuriùs jam agebat Archi-Dux, quod & in ſuo ſolo eſſet, & copiis, bellicoq; inſtrumento longè ſuperare videretur Zamoſcium, auſumq́; hunc fines Sileſiæ ingredi, non arcebat, quo potuiſſet, tranſitu, eò illuſtriorem ſcilicet de tam temerariis Polonis victoriam ſibi pollicens. Tandem, 25 Jan. ad Byczynam, olim ob Epiſcopalem ſedem, antequam ea Uratislaviam deferretur, celebre oppidum Sileſiæ, educto utrinq́; exercitu, concurſum eſt. Ubi initio prælii Coſacorum turmæ, quas in Germanos Cataphractos emiſerat Zamoſcius, repulſæ ſunt: & Stanislaus Stadnicius in dextrum Zamoſciani exercitus cornu invectus, ſtrenuè rem agere cœpit. Tandem tamen hic à Stanislao Zolkievio, cum ſuis fortiter obſiſtente, repreſſus fuit. In ſiniſtro quoque cornu non leviter aliquandiu laboratum eſt: donec Stanislaus Penkoslavius Sendomirienſis, & Alexander Koniecpolscius Vieluniæ Præfectus gemino haſtatorum ſuorum incurſu, Germanorum legiones perrupêre. Hinc cùm ad gladios deventum eſſet, iis promptior longè miles Polonicus non parvam ſtragem in exercitu hoſtili

ſtili

ſtili edidit. Unde orta confuſio, ut nulla jam Ducum imperia audirentur. Quod eminus videntes Ungari, quos Maximilianus conduxerat, fugam & ipſi cœperũt circumſpicere. Maximilianus prælii ex propinquo ſpectator & ex tali exercitûs fortunâ, incolumitati ſuæ metuens, cum elabendi alia non pateret via, Byczynam refugit. Quò cum Zamoſcium ſequi videret, miſſo caduceatore, eum violatæ tali acceſſu & provinciæ & amicitiæ Cæſareanæ minaciter admonet. Sed nihil hæc moratus Zamoſcius, & ne tridui quidem inducias petenti permittens, machinis bellicis, quas poſt prælium Archi-Duci eripuerat, admotis, quatere cœpit Oppidi mœnia, atrociſſima quæq; ſe non dedentibus interminatus. Miſſis itaq; Conſiliariis de libertate ſuâ paciſci orditur Archi-Dux, aut ſi ea negaretur, ut Byczynæ ſaltem cuſtodiretur, poſtulat. Verùm nuſquam ſecuriùs tantum hoſtẽ, quàm in Poloniâ ſe habiturum Zamoſcius putabat. Tandem itaq; poſt multas cunctationes, ſpontè exeuntem honorâ oratione veneratus, in tentorium ſuum manu duxit. Capti tum ſimul ſunt Vo-

ronecins Episcopus Kioviensis, Andreas Sborovius Mareschalcus Curiæ, Comes Gorcanus, AlexanderDuxPrunski, & alii non pauci. Captivos Cracoviæ noluit ostentari Zamoscius, verecundiæ Archi-Ducis consulens. Itaq; hunc, flexo alio itinere, Crasnostaviam, Lublino non procul distans Oppidum, deduxit; Polosis, quos simul ceperat, ad sua dimissis. Difficilis quippe tantorum virorum inter tot eorum cognatos & clientes, Zamoscii verò inimicos, custodia fuisset. Et quod ratio flagitabat, malebat gratiæ datum videri. Varia mox liberandi Archi-Ducis consilia inita sunt. Nam & Sboroviani, effracto arcis, in quâ custodiebatur, pariete, noctu illum educere studuêre, & Cæsar per Hyppolitum Aldobrandinum Pontificis Legatum, bonis conditionibus Regis Procerumq; animos sollicitabat. Sed Sborovianorum dolũ magni Viri Marci Sobiescii, qui Regni vexillifer & custodiæ capti Principis præfect9 erat, vigilantia elusit: Aldobrandini solicitationes in futura Regni Comitia dilatæ sunt.

V. In-

V. Ineunte Anno millesimo quinquasimo octogesimo nono, Comitia Varsaviæ habita sunt. * In quibus jam non Pontificis tantum, sed Imperatoris, aliorumq; Principum Legatis connitentibus, dimissio Archi-Ducis, simulq; injuriarum inter Austriacos & Polonos oblivio, necnon antiquorum fœderum redintegratio sancita est: parariâ utrinq; utilitate amicitiam suadente. Sed jam porro Proceribus quoq; & Nobilibus Polonis, Archi-Ducem secutis, veniam Rex dedit, novi sceptri in populo, severitatis impatiente, egregio stabilimento. Uni Andreæ Sborovio Mareschalci adempta dignitas, & Stanislao Przyemscio data est. Maximilianum verò, postquam à Rege Crasnostaviam profecto, comiter visitatus esset, tandem Goslicius Episcopus Camenecenensis & Nicolaus Zebrzidovius Præfectus Cracoviensis in fines Silesiæ deduxêre. Ubi à Melchiore Redero copiarum Cæsareanarum Duce exceptus, in implendis quibusdam conditionibus difficiliorem se præbuit Polonis. Sed Rudolphus Imperator fidem, quam pro captivo

* 1589.

ptivo Fratre juratus interposuerat, amicitiamq; Polonorum intemeratam servavit, nec eam à Fratre, etsi ad servanda promissa tardiore, violari passus est. In iisdem Comitiis allata belli à Tartaris & Turcis imminentis fama fidem non reperit, atq; inde nec in tributa, belli nervum, consensit Ordo Nobilium. Eò gravius mox ab utroq; eo hoste periculum fuit imparatis. Nam non Tartari tantùm Russiæ fines longè lateq; depopulati sunt, sed & Bassa, Rumeliæ Præfectus, Imperatoris sui jussu, Tyræ ripis insidens, grande bellum minabatur Poloniæ. Zamoscius magis nominis sui magnitudine, quàm exercitu, quem minutum habebat, sed simul quoq; paciscendo, hostem detinuit, cumq; Cosacos ab invasione ditionum Turcicarum abstinere, & mox Legatum Polonicum, pacis causâ, apud Imperatorem fore recepisset, rediit ad suos Bassa.

VI. Sigismundus interim Revaliam abierat, à Johanne Patre istuc invitatus ad colloquium. Quod quia secretiùs subinde habebatur, Polonis solicitis plerumq; libertatis suæ custodibus variarū

suspicio-

ſuſpicionum occaſionem peperit. Quas aſperavit poſteaPatris, filium in Sueciam ſecum vehere volentis obſtinatio, ægrè demum maximis Procerum, qui Regem deduxerant, obteſtationibus evicta, ut cederet. Muſſabat illicò fama, id molitum Sueciæ Regem, ut, ubi filium ſecum abduxiſſet, à nutu & arbitrio ipſius jura è Sueciâ peterent Poloni: ac, etiamſi maneret in Poloniâ Sigiſmundus, inſuper tamen occultum cum Auſtriacis agitari fœdus. Quippe Auſtriacam ducturum Regem, hujuſq; viciſſim Sororem Annam Erneſto Archi-Duci nupturam. Deniq; vectigalia Pruſſiæ & Livoniæ, nec non argenti Summam ingentem ſibi pactum Sigiſmundum, eidem Erneſto Regnum velle addicere. Hæc ſuſpicionum ſermonumq; ſiniſtra non extinxit, ſed interpellavit belli Turcici metus. Quippe redux Conſtantinopoli Nicolaus Cizevius, Turcicum Imperatorem pacem cum Polonis nolle, retulerat. Itaq; Comitia iterum indici placuit. * In quibus cùm ingens pecuniæ ſumma in tantum bellum neceſ-

ſaria

* 1590.

ſaria judicata, adeoq; præter uſitatas agrarias, in ſingula capita cenſus conſtitutus eſſet, inſolentiam tributi ægrè alii ferentes, nova moliri cœpêre. Zamoſcii præcipuè æmuli, malè ſopitum odium ſubinde iterum promentes, ab illo Turcici belli rumores ſpargi, & in privatæ potiùs quàm publicæ potentiæ ſtabilimentum, tantas pecunias corradi, paſſim in congreſſibus vociferantur minabundi. Atq; his ipſe etiam Regni Primas Karnkovius acceſſit, nuper Gorcano Comiti reconciliatus, & Zamoſcii autoritati civilem modum egredi viſæ, novos cum aliis obices ponere quærens. Nunc itaq; acuendis popularibus odiis, ex tributis, re in vulgus exoſâ, arripitur occaſio. Et eo illicio plurimos Procerum Nobiliumq; ad Conventum, Rege abſente, pertraxit Primas, quem in oppido Kolo, authoritate Archiepiſcopali habuit. In eo de circumſcribenda Ducis exercituum autoritate multa deliberata. Inter alia viſum inprimis utile, ut is inpoſterum ad Regni fines excubet cum exercitu, Electioni Regum ne adſit, aut ſi vocetur, ut abſq; Comitatu militari veniat, ſummùm triginta

triginta familiaribus comitatus. Legatos quoq; nec mittat ad exteros, nec missos recipiat. Etiam manubiarum facta mentio: quas Zamoſcius ex Byczynenſi victoria ſibi retinuerit, cum Regi & Reip. deberentur. Jactantius hæc inter æmulos Zamoſcii, abſente ipſo, agitata & accepta vim tamen non habuère, virtute Zamoſcii diſcutiente omnes invidiæ nebulas. Jure virum hunc Scipioni Africano contuleris, quem ſimilibus ferè criminationibus olim iniquitas æmulorum invaſit. Sed ille ſilentio & voluntario ſeceſſu ultus eſt adverſarios. Hic cauſam innocentiæ ſuæ minimè deſerens ad confeſſionem injuriæ inimicos coëgit. Nam & ille ipſe conventus, in quo fama viri vapulaverat, pro illegitimo pronunciatus, & quicquid in eo actum, accedente Zamoſcio, evanuit.

VII. Sub finem autem anni indicta ſunt autoritate Regia Varſaviam Comitia, quæ tam Ordinum Polonicorum frequentia, quam exterorum Principum Legatis multùm celebria fuêre. A Rudolpho Imperatore Epiſcopus Vratislavienſis adfuit, qui abdicationem Maximiliani,

tan-

tanquam ſevera nimis lege & Auſtriacis inhonorâ factam, mitigari poſtulavit. Reginæ Anglicæ Legatus, Mercatorum ſuæ gentis ſocietati ſedem, quam Elbingæ figere decreviſſent, autoritate publicâ firmari ac ratam haberi quæſivit. Nec difficiles reperit Ordines, quia & res ipſa non ingrata, & Regina benè merita videbatur de Poloniâ: quippe cujus Orator nuper Conſtantinopoli, in pace cum Turcis ſtabiliendâ, Legatos Polonicos gnaviter juviſſet. Unde ut belli, ita tributorum quæ adeò immodica nuper poſtulata erant, remiſſa neceſſitas animos quoq; Ordinum, onerum impatientiâ in ſequiora antè conſilia compulſos, delinivit. Et reconciliatus Zamoſcio Archi-Epiſcopus, ea, quæ in Conventu Kolenſi nuper acta erant * paſſus facilè eſt ſilentio improbari, poſtquam ea pluribus jam diſplicere intellexiſſet: Contrà verò etiam Chriſtophorus Sborovius, quem Stephanus Rex proſcripſerat, honori reſtitutus eſt, ſed eâ lege, ut viginti adhuc annis Poloniâ abſtineret. Nempe ingenium viri metuebatur, quod id, per ſe acre, & tot improſperis irritatum, nihil mite adhuc

* 1591.

ſpirare

ſpirare videretur. Cæterum in Aulâ magna tùm rerum mutatio ſecuta. Cùm enim Regi ſederet, propiore nexu Auſtriacos ſibi illigare, ſimul (ut illuſtris ſcriptor Piaſecius refert) veſtigatum illicò eſt, quà ab intimioribus Aulæ negotiis amici Zamoſcii removerentur. Horum enim maximâ autoritate arctius conſtringi Regia libertas; & ineunda cum Auſtriacis affinitas, impediri videbatur. Primò itaq; Pro-Cancellarius Baranovius ad Epiſcopatum Plocenſem promotus eſt; ſpecie honoris, ſed reverà ideò, ut longiùs à Conſiliis abeſſet. Neq; enim adire Epiſcopatum hunc, niſi Cancellarii munere depoſito, poterat. Ei ſucceſſor datus Joannes Tarnovius, conſilio inprimis Alberti Ducis Radzivillii, qui Lithuaniæ Mareſchalcus, tum verò in aulâ continuus, & præ aliis gratioſus erat. Hi autem ambo minùs favebant Zamoſcio. Nec multo poſt gratia quoq; Regis Martinus Leſnovolſcius Caſtellanus Podlachiæ, intimus hactenus conſiliorum Regiorum arbiter, excidit: nullâ manifeſtâ Viri culpâ, ſed ſolitâ inſtabilitate potentiæ, alienâ vi nixâ. Viſus eſt Zamoſcio addictior,

ctior, morosisq; adeò Aulæ Magistris annumerabatur ab iis, qui aures Regias soli possidere cupiebant. His obicibus remotis, tantò acriùs matrimonium cum Austriacâ, Caroli Archi-Ducis filiâ, agitari cœpit. Et quia id Zamoscio minus probari crederetur, maturari rem placuit, antequam robur acciperent consilia, quæ à tanto & tot alios tracturo Senatore strui possent. Nam & eo fine Andrzejoviæ capita contulerant quidam cum Zamoscio Senatores, Nobiliumq; non pauci: ubi pleriq; in itinere intercipiendam Regiam sponsam, alii comitiorum autoritate intercedendum matrimonio censuere. Sed Sponsa omnium opinione citiùs adducta, & sine mora Cracoviæ coronata, * nuptiis magna solennitate celebratis, spes ac conatûs adversariorum omnes frustravit.

VIII. Cæterùm ducta citra multorum consensum Anna Conjux, non suâ, sed æmulorum culpâ, infesta Regi Comitia reddidit. Ad ea enim animis plurimùm asperatis plurimi accessêre. Audaciores hos faciebat autoritas Zamoscii, qui præci-

* 1592.

præcipuus matrimonii Regii impugnator, atq; inde publici egregii contra Regem vindex apud multitudinē audiebat. Atq; ille equidem his temporibus è re Polonorum esse credebat, potentiam Austriacam arceri à Polonia: atq; ipsa etiam matrimonia domûs illius suspecta habebat: accedente inprimis metu privato, ne adductæ inde Reginæ potestatem nanciscerentur ulciscendi ea, quæ contra Maximilianum ipse gesserat: ignarus nimirùm, quantam illæ famam innocentiæ & benignitatis sibi in Regno hoc conciliaturæ essent. Sed tum acriter in arcana Regis consilia inquisitum, & quæcunque cum Aula Cæsarea per literas nunciosq; secretos agitata dicebantur, cum curâ excussa sunt, Lesnovolscio inprimis nuper juventæ Regiæ præcipuo custode, nunc post abitum ex Aula, iras, & quidquid adversum Regi sciret, avide promente. Rex omnium sequiorum machinationum inscium se affirmabat, & literas, quæ proferebantur ad Ernestum Austriacum scriptæ, à falsaria manu profectas esse ostendebat. Itaq; multi dies inter concertationes acerbissimas extracti sunt.

cti sunt. Quia partes Principis non pristini tantum ejus amici & fautores, inter quos erant Radzivillius & Rozrazevius Episcopus Vladislaviensis, sed multi quoque alii, qui Maximiliano contra Regem faverant, ut Zamoscio jam contrarii essent, tuebantur. Tandem tamen, annitente Regni Primate, publicæ pacis bono induci se passus Rex est, ut plus, quàm fecisse se crederet, factum fateretur, promitteretq; se nec de successore, Republ. invitâ, cogitaturum, nec in Sueciam iturum, nisi datâ Ordinibus de reditu cautione idoneâ. Sub hoc tempus Januszium Ducem Ostrogium ex Palatino Voliniæ, Castellanum Cracoviensem Rex fecit, Virum generis splendore, & opibus præpollentem, nuperq, Cosacorum, qui ductore Cosinio, infesta Russiæ arma intulerant, victorem. Qua ex victoria non pauca Cosacorum vexilla Cracoviam deportata leniêre nonnihil invidiam, quam collata ei princeps ista Regni dignitas conciverat: cum non unus Procerum eam aut ipse ambiisset, aut saltem minus potenti datam mallet. Adeò iniquam sæpè fortunam ipsa etiam beneficia experi-

peri-

periuntur, ut cum vix unum devinciant, offendant ſubinde plurimos, certè irritēt æmulos, qui alienum honorem ſui diminutionem arbitrantur.

IX. Secuta paulò poſt Joannis Patris in Sueciâ mors novis curis Regem implicuit. Longiori & difficili itinere Regni à Patre relicti adeunda erat hæreditas; nec Regi, niſi conſultis Ordinibus, & rebus benè ordinatis, abeundum è Poloniā videbatur. Itaq; Comitia Menſe Majo, Varſaviæ habita. Julio exeunte, iter Rex ingreſſus, ſecundo Viſtula, Pruſſiæ Urbes, magno Procerum comitatu, tranſiit. Thorunii & Elbingæ templa primaria Romanæ Eccleſiæ ritibus reſtituit. Gedani idem metuebatur. Sed erant qui Zelum Religionis cohibendum Regi eſſe ſuaderent, præſertim in Sueciam ituro, ubi eorundem ſacrorum hominibus idem metus occaſionem turbarum præbere poſſet. Interim in Urbe, quid furentis populi multitudo poſſit, obortus tum caſu tumultus oſtendit. Cùm enim bajulus quidam à Polono pedite, quem ille onus ferens incautiùs fortè tetigerat, ſtrictâ frameâ graviter percuſſus eſſet, ad injuriam

riam socii primò concurrere bajulorum turba, mox & vicinior plebes cœpit. Polonis vicissim Polono quoq; opem ferentibus, commotus universus populus, Polonos omnes, quotquot sese offerrent, armis correptis impetit, & recedentes, in ipsis quoq; ædibus, persequitur. Neque hospitium Regium Majestas ita defendere potuit, quin globi aliquot, per fenestras illati cubiculo, Regem Reginamq; perterruerint. Stabant ad portas magno numero Satellites Procerum Regisque, strepitu armorum conciti, & Heris suis succurrere quærentes. Sed pensili ponte ingredi Urbem prohibebantur, non in remedium alioquin tumultûs, sed irritamentum potius adfuturi. Nam paucos illos, intra Urbem cum populo certare ausos, (cum ex iis non multi cecidissent, plures vulnerati utrinq; essent,) faciliùs mitigavit ac turbæ subtraxit Krasicius, Mareschalci tum absentis vices administrans. Magistratus ægriùs populum compescuit: tametsi, ubi toto biduo in causam tumultûs, portis Civitatis interim clausis, inquireretur, alia reperiri non potuit, quàm bajuli illa cum Polono fortui-

fortuita contentio. Nec is, qui ausu nefario domum Regiam violaverat, quantumvis magnâ industriâ & non modico indici proposito præmio quæreretur, inventus est. Sed Rex negotio hoc ad suum è Suecia reditum dilato, navem medio Septembri ingressus, solvit de littore. Altero ab egressu die oborta ex Aquilone tempestas classem dispulit, Rex ipse in Helam, Gedanensium promontorium rejectus, toto istic octiduo hæsit, donec naves per mare dilapsæ (erant verò 34 grandiores, novem triremes) denuò congregarentur. Ubi coierant, ingressus denuò mare Rex, Reginâ & Annâ Sorore, Tarnovio item Vice-Cancellario Polonico, aliisq; comitatus, secundiore jam vento, Sueciæ littora, multis scopulorum anfractibus confragosa 27 Septembr. attigit. Ubi cum aliquot diebus cæteras naves expectasset, tandem Stockholmiam progressus est.

X. Istic solenni Procerum pompâ ut legitimus Patris sui successor & hæres exceptus est. Sed quia Augustana Confessio ab Avo ejus Gustavo introducta, ibidem ita invaluerat, ut pauci jam di-

versum sentientes superessent, ea res multis difficultatibus Regem circumdedit. Quippe ille in maternâ Religione educatus, ejusdemque porrò & tuendæ & propagandæ acrius studium multis dudum, nec obscuris speciminibus, ostenderat. Inde Suecis plerisq;, præsertim Ecclesiasticis, & vulgo jam dudum formidatus, cùm in Sueciam è Poloniâ rediisset, malè grato Comitatu exasperavit animos. Nam & Malaspinam Nuncium Pontificis, & Theologos alios secum adduxerat. Qui in provehendâ Religione fervidi, primarium Stockholmiæ templum occupare protenus tentavêre. Et primario Augustanæ Confessionis ministro, quod Regium concionatorem de suggestu refellisset, concionandi potestate à Rege interdictum ferunt. Cumq; postea, in Musici Regii funere, Augustanus Concionator alteri diversorum sacrorum presbytero suggestu cedere nollet, vi inde ejectus, vociferando & opem populi implorando, ingentem tumultum concivit, qui etsi tandem non sine labore compositus est, magnos tamen in animis reliquit aculeos; cum inprimis non deessent, qui
talibus

talibus turbis in rem ſuam uterentur. Eò certè intentius Religioni ſuæ cautum voluêre Ordines, prius quàm diademate Regem evincirent. Et iidem, ante Sigiſmundi in Sueciam ingreſſum, habito Upſaliæ conventu, ſolius Auguſtanæ confeſſionis libertatem in Regno ſanxerant, ipſamq; Regis inaugurationem ab ejusdem Confeſſionis Archiepiſcopo Abrahamo Andreæ fieri cupiebant, idque eò obnixiùs, poſtquam Regem id abnuere viderent, qui à Nuncio Pontificis inaugurari captabat. Diu & acri utrinque concertatione trahebatur res, donec Rex, immotos Ordinum animos, et nullam, niſi annueret ſpem Regni adeundi relictam ſibi videns, tandem præter alia dudum uſitata Regni jura, Auguſtanæ inprimis Religionis uſum ac libertatem diplomate confirmaret: addito inſuper, ſe nullis Eccleſiis vel Scholis ei confeſſioni contrariis impedimentum ullo modo afferri permiſſurum: Nec alios, niſi ei Confeſſioni addictos, officiis Eccleſiaſticis, vel publicis, admoturum: cæteris extra munia publica, communi Sueciæ jure, quietè juſſis uti fruiq;. Priſcæ juramenti

formulæ hæc insuper postea addicta, conservaturum se Regni ditiones, ne juris fiant alieni, ex proventibus Regiis victurum, nec novis oneribus gravaturum subditos: deniq; Regnum ex Caroli Ducis tum Sudermanniæ, Patrui sui, & simul Senatus Suecici consilio gubernaturum. Jurejurando præstito vicissimq; accepto, ductum defuncti Regi Joannis funus, & cadaver in templo Upsaliensi sepultū est. Ibidemq; postea novo Regi Reginæq; ab Archiepiscopo Abrahamo Andreæ, ritu antiquo, diadema impositum. Inde habitis Comitiis, de communi consensu Ordinum ratio præscripta est, secundum quam, Rege absente, Regni munia administranda essent à Carolo Patruo & Senatu. Erico Comiti Braheo antiquæ Religionis retinentissimo Senatori arcis Stockhelmianæ, inq; eâ depositorum Regni insignium scriptorumq; arcanorum custodiam Rex demandat, non sine multorum invidiâ ac murmure, qui publica Regni munera non nisi Augustanæ Confessionis hominibus ex pacto deberi pertendebant.

XI. Po-

XI. Poſtea compoſitis ad iter rebus in Poloniã Rex rediit, quam & ipſam tranquillam reperit, niſi quod vicinæ Ungariæ motibus aliquantum ſolicitabatur. Illam enim Turcæ armis undique vexabant, Iaurino aliisq; arcibus atq; oppidis occupatis. Et Turcis auxilium laturi Tartari, Ruſſiam Pocuciamq; feſtinatis itineribus percurrerant. Imperator Rudolphus ut Ottomanicam potentiam, in Ungariâ magis magisq; valeſcentem, tanto validius refringere poſſet, Principum Chriſtianorum, inprimis verò Regni Polonici opem imploravit. Atq; eâ ſuper re aliquoties, in publicis Comitiis, deliberavêre Poloniæ Ordines. Tardiùs procedente negotio, Zamoſcius, in Moldaviâ præter opinionem cum Tartaris committitur. Provinciæ iſti Palatinus Tranſylvaniæ nuper ſuo arbitratu, ſed majoris autoritatis auſpicia, & Chriſtianitatis commodum prætexens, Stephanum Radulum impoſuerat. Zamoſcius antiquum jus ſui Regis vindicaturus, immiſſo cum validâ manu Jeremiâ Mohilâ, Radulum ejicit, venientesq; deinde in Raduli vindicias Tartarorum ingentes copias

pias memorabili clade afficit, atq; in leges, quas Victor volebat, adigit. Paulò post etiam Rosvanus restituendo Radulo submissus à Transylvano, post acrem pugnam, capitur, & palo transfixus, vitam miserè finit. Sub ipsa autem istorum in finibus Regni motuum initia, Regem Regiamque omnem felix Reginæ partus exhilaravit. Filium enim illa enixa est, cui *Vladislai Sigismundi* nomen datum. Quæ partum antecessit nox, fortuito arcis incendio illustris, variorum ominum ansam ingeniis dedit. Pars verò palatii, quæ conflagraverat, ex ruinâ splendidior, sumptu Regio, surrexit, totaq; tecta est cupro; juvante Regiam Magnificentiam Georgii Radzivillii Cardinalis, ejusdemq; Episcopi Cracoviensis liberalitate, cui fodinæ in Kielcensi agro recens repertæ, metalli istius vim luculentam attulerant. Hoc quoq, tempore, quibusdam pacis publicæ cupidis hominibus studium incessit, sacro nexu Russiam arctiùs Poloniæ innectendi. Nam etsi ea Provincia multis jam seculis, iisdem cum Regno juribus gauderet, subindè tamen hoctenus ob sacrorum diversitatem (nam
pleriq;

plériq; incolæ Græcæ Ecclesiæ ritus sequuntur) in turbas prona, aut turbatoribus opportuna fuit. Itaq; sub idem regimen sacrorum redigere placuit populum, in dogmatibus alioquin à Romanâ Ecclesiâ si dissidentes se mutuò capere possint aut velint, vix dissonum. Quâ in re jam ante nonnulli laboraverant, verùm nunc duo inprimis Ruthenorum Episcopi, Hyppatius Pociey Vlodimiriensis, & Cyrillus Terlecki Luceoriensis Antistes, præivêre cæteris. Qui Romam profecti, pronisque istic animis suscepti sunt à Pontifice & Cardinalibus. Sed iidem domum reversi, plures, quàm unquam antè sperassent, adversos sibi habuerunt. Palatinum inprimisKioviensem Ducem Ostrogiæ, qui quod consilii istius non fuisset caput, ut esse debuisse videbatur, ejusdem inimicus ac destructor fuit. Virum tantæ opulentiæ & authoritatis facile sequentibus aliis, præsertim ex Sacerdotibus, literarum utplurimùm expertibus, tum& cæterâ plebe, quæ ejusmodi Religionum consociationes quò minus intelligit, hoc magis abhorrere solet. Ex hoc utiq; fonte, per se saluberrimo, ama-

ra illa deinceps profluxêre odia, & tandem bella, quibus non Russia solùm, sed universa Polonia atrocissimè concussa documentum dedit posteris, quàm fœdo artificio Duces rebellionum, obtentu Religionis, ad nefaria molimina sua abuti soleant: & quàm plerumq; sub pio fidei nomine infidelitas impiissime grassetur.

XII. Turcarum potentia in Ungariâ magis magisq; Austriacis gravis reddebatur. Unde isti auxilia undiq; circumspicientes, in Poloniam quoq; denuò mittunt Legatos. Et ibidem causam eorum acerrimè agebat missus à Pontifice Cardinalis Cajetanus. Sed Polonis non satis tuta videbatur armorum societas, quæ cum Imperatore & Pontifice iniretur. Quippe quorum ut imperia, sic pacta morte ipsorum terminentur, nec successores, nisi ultrò volentes, obligent. Ne itaq; tali casu in solam Poloniam potentiæ Turcicæ moles incumberet, ipsos quoque Germaniæ Ordines eidem Societati, fide mutuò datâ, innecti volebant Ordines. Sed cum de Principum Germanorum consensu non constaret, imò potius jure dubitari posset, irrita fuit ista socie-

tatis

tatis negociatio. Cardinali quidem frustratam operam suam ægriùs ferente, sed non minus quoq; admirante liberalem sagacemq́; Polonorum indolem præcipuè Cancellariorum, Zamoscii & Tarnovii, nec non Goslicii, Episcopi Premisliensis, qui meditatissimis ipsius orationibus extemporaneâ facundiâ subinde respondebant. Sub hoc quoq́; tempus Cosacorum in Russiâ repressa petulantia est. Qui suis in Pontum Euxinum & adsitas ditiones excursibus Turcæ molesti, eo modo pacem quoq́; Poloniæ cum Turcis initã, subinde vellicabant. Cumq́; eo nomine coërcerentur à Polonis, frænum ægrè ferentes, quas in hostico quærere prohibebantur prædas, inter suos venabantur. Nunc Duce Nalewaikio homine plebejo, sed impavidæ ferociæ, arma induerant. At eosdem aliquandiu fortunam non inprosperam expertos, tandem Stanislaus Zolkievius Campiductor in angustiis deprehendit, & ad deditionem adegit. Dux rebellionis Nalewaiko, cum sociis, scelus suum, Varsaviæ, capitis supplicio luit.

XIII. In Sueciâ Pro-Rex Carolus procerum multorum & vulgi potissimùm studiis paulatim provehebatur ad sceptrum; juvante res ejus receptæ illic noviter Religionis Zelotum Sigismundi & absentiâ & lentiore ad obnitendum genio. Primorum contrà qui Sigismundi partes acriter usq; tueri istic studerent, indies magis & authoritas & vires languescebant. Neq; hi, quantumvis Regis jus & interdicta identidem objectantes, prohibere potuerunt, quò minùs Vastenis primùm, mox Sudercopiæ, deniq; Abrogæ conventus, inscio Rege, haberentur. In his Pro-Rex omnia Regis causâ se & velle & facere ajebat, munus etiam Vicarii Regii nonnunquam deponens. Eâ larvâ tegebatur ambitio, famam innocentiæ quærens, cum acerrimè noceret. Nam eandem potestatem mox tanto flagrantioribus clientum suorum & populi precibus obsecratus, majore autoritate resumebat. Tandem Proceres, qui conventuum decretis subscribere noluissent, pro turbatoribus habiti & proclamati sunt. Unde aliqui seu promissis, seu minis, in partem validiorem tra-

hi se permisêre, alii, dignitate & patriâ posthabitâ, aliò migrarunt. Inter eos Ericus Sparre post Nicolaum Guldensternum, meritissimum senem, Regni Cancellarius, in Daniam; Comites Brahei, Guldensternii, Nicolao Cancellario geniti, cum aliis plurimis in Poloniam secessêre. Rex missis subinde nunciis, quæ sinistra & sibi adversa ex Sueciâ accepisset, corrigere laborabat, cùm nihil proficeret, Samuelem Lascium tandem ablegat, offensas Regias coram Regni Ordinibus dignâ severitate expositurum. Is in Sueciam ingressus, commodùm Proceres Regni Upsaliæ cum Carolo Principe coactos reperit. Quippe qui isticGunillæ Braheæ, SigismundiRegis novercæ, exequias pompâ solenni celebrabant. Ibi Laski, Regis nomine, per vim, & quasi absolutâ dominandi, potestate à Pro-Rege acta, inprimis Calmariam, Aboam occupatas, multaq; alia objicit Carolo: Regisq; porro adventum Ordinibus pollicens, classem ad littus Prussicum mitti jubet: Proscriptis Regis ministris bona sua, captivis libertatem & præfecturas reddi mandat. Alia ad Regis brevi adfuturi

turi cognitionem rejicit. Pro-Rex haud modicè offensus, accusationes omnes objecto Senatus atq; Ordinum consensu retundebat, sine quo nihil se unquam fecisse memorabat. Re itaq; nullâ effectâ Lascius in Poloniam revertitur. Ubi cum in Comitiis, in quæ opportunè inciderat, à se in Sueciâ acta compertaque retulisset, consilium Rex cepit in Sueciam abeundi, hocq; idem, datâ redeundi cautione idoneâ, Ordinibus Poloniæ probavit.

XIV. Ituro autem in Sueciam Regi suadebant Proceres atq; inprimis Zamoscius, ut justo exercitu instructus trajiceret. Neq; enim adultam jam Caroli potentiam autoritati inermi cessuram ajebant. Sed Rex Patruum, & quotquot istic sibi adversari viderentur, mansuetudine potiùs vinci posse autumabat. Et idem sentiebant, qui ex Suecis Regi aderant. Duabus igitur tantum stipatus legionibus iisq; magis ad custodiam corporis Regii, quàm ad bellum comparatis, iter Rex ingreditur. Unam peditum Ungarorum Venceslaus Bekesius, alteram ex Germanis Joannes Veiher, Hildebrandus

dus Kreitzius & Ferensbachius ducebant. Navibus, quas è Suecià frustra expectatas, aliunde Rex conduxerat Steno Bannierus præerat. Aliis vehebantur Petrus Tylicki nuper Joanni Tarnovio in Vice-Cancellarii munere suffectus, Georgius Dux Sbaravius Pinscensis Præfectus, Hieronymus Wolouitz, Lithuaniæ Notarius, Maximilianus Przerenbski, aliiq; aulici complures. Trajecto mari, Calmariæ Rex cum suis exscendit: hincq; sine morâ Samuelem Lascium Stockholmiam præmittit, occupaturum Urbem & arcem, unde in cætera regimen. Ipse secuturus Steckenbergam deflectit, Annæ Sororis videndæ causâ. Huc Carolus quoque Dux cum copiis suis contendit: quas dimittere jussus, antequam Regem conveniret, id facturum se respondit, si Rex idem faceret. Parùm hic abfuit aliquoties, quin res veniret ad manûs. Et primùm quidem copiæ Carolinæ, quia angusto loco claudebantur, non difficulter opprimi posse videbantur Regiis; ægrèq; has Sigismundus ipse continuit. Sed postea Carolus suos angustiis eductos ita admovit littori, ut mox Regios & classe suâ

suâ & commeatu excluderet. Ac tametsi, Linkopiæ, de pace utrinq; tractare designati Commissarii cæpissent, armis tamẽ propè Pontem Stangebriensem concursũ est. Ubi Carolini ut numero sic fortunâ præpolluêre. Inde ad colloquium in campo Rex & Carolus Patruus progressi soli, mutuam factorum oblivionem paciscuntur, controversiis, quæ superessent, ad Comitia brevi instituenda rejectis.

XV. Deliberare deinde Rex cœpit, pergendumne sibi in Sueciæ interiora esset, tam parvâ militum manu. Neque enim augere exercitum facile erat, inter infensos, & apparatu bellico prorsus deficiente. Carolo contra omnia prona: & major indies affluebat militum copia. Unde metus Regi, ne Stockholmiam delatus, sui arbitrii esse desineret. Tristia quoq; omnia & sibi & Regi timebant Sueci, Regem sequentes, quos jam obsides sibi dari volebat Carolus, ex arbitrio suo postea (ut suspicio erat) de ipsis consulturus. Hi itaq; suadebant Regi, maturè ut in Prussiam rediret, minore & negotio & periculo istic, quæ conducerent, paraturus. Alii contra disserere:

Probro-

Probrosum Regi discessum tam subitum, & absentiam à Regno clientibus Regis, qui restarent inter Suecos, acerbam periculosamque, nimis contra opportunam adversæ partis consiliis fore. Spargi jam in vulgus, Regem Sudercopiensis & Abrogensis, conventûs decreta, adeoq; & Religionis libertatem abrogatam velle. Nunc si Lincopiensia quoque promissa deseri credantur, fidem Regis actionesq; omnes acerbissimè apud Regni incolas, nec sine specie applausuque traductum iri. Arma jam nuper mota, ac tunc libertati opprimendæ, pugnatorum paucitate, imparem visum Regem, nunc ideò in Poloniam redire credi, ut majorem adducat exercitum. Cui excludendo nihil non, quod opponant, undiquaq; interim conquisituros adversarios. Sed animo Regis abeundi consilium sederat. Et mox Steckenbergam, hincq; assumpta sorore, Calmariam revertitur. Ubi in præsidium relicto Bekesio & Joanne Sparrio, navem ingressus, in Prussiam trajecit. Non defuit illicò sibi Pro-Rex; ac jam apertiùs Regem, ob adductũ inprimis, relictumq; in portu primario militem externum, accusans, Calmariæ exercitum admovet. Quam etsi annona & ap-

& apparatu bellico malè instructam(nam necessaria Gedano serò submissa Carolus, mare & Portum tenens, exclusit) sex mensibus magnâ virtute & famis tolerantiâ præsidiarii defendêre. Sed cùm omnia, coriaq; etiam ipsa, quæ in cibum famelici emolliverant, deficerent, potestati se tandem Pro-Regis permiserunt. Qui Germanos & Polonos quidem dimisit liberos. Suecos verò, quos istic repererat gladio obtruncari jussit. In quibus, præter loci Præfectum Joannem Sparre, multi Nobiles Viri fuêre.

Cùm occupata Calmaria esset, ejus impugnatæ causam in Comitiis Stockholmiæ habitis, dixit Pro-Rex. Quâ approbatâ, Finlandiæ pariter atq; Estoniæ, quia in obsequio Regis manerent, arma inferri, & si qui Optimatum refragarentur, ut turbatores Regni, carceribus, proscriptione, suppliciis capitis plectendos esse, facili Ordinum consensu, decrevit. Sed jam quoq; tandem ulterius processum est. Regnum enim, ceu malè hactenus administratum, atq; omninò etiam, (quia jam nec ad literas suas ulla Ordines responsa accipiant ex Poloniâ) derelictui habitum senten-

ſententiâ publicâ abrogatur Sigiſmundo, ſic tamen, ut filio Sigiſmundo Vladislao ſpes ſuccedendi maneat integra, ſi intra ſex menſes in Sueciam mittatur, ſacris iſtic publicè receptis, legibusquè Sueeicis imbuendus. Mox & in Finlandiam mittitur claſſis, cui Alexius Korkius, ſed viribus impar, occurrit. Quo amoto, terra omnis venienti Carolo mox patuit. Nec Arcem Abrogienſem Joannes Flamingius & Arvidus Erici, nullis à Rege adventantibus ſuppetiis, protegere potuêre. Eſtonia atq; in ea Revalia inprimis ſtitit aliquantum progreſſus ejus, moramq; adeò Regi fecit exercitum parandi in hoſtem. Sed ille naturâ cunctator, valeſcere paſſus eſt hoſtis ſui vires, quibus adultis deinde impar fuit. * Comitia deinceps habita ſunt in Poloniâ. In quibus Sigiſmundus erepti ſibi Regni damnum queſtus, opem popoſcit. Sed bellum hoc tanquam alienum deprecabantur Ordines, præſtare alioquin in Regno ea, quæ Regi ſuo deberent, promittentes. Interim Carolus è Sueciâ reverſus, Eſtoniam impugnat occupatq;. Invadit

* 1600.

dit eandem Georgius Farenſbachius Tribunus Regius, nullo Reip. juſſu, & improſperè. Nam & provinciam non defendit, & Livonico Caroli bello occaſionem ſpeciemq; dedit. Poloniam verò tum motus Valachiæ & Muldaviæ attinebant: Valachiâ Simeonem Mohilam, Moldaviâ Jeremiam Fratrem ejus Michael quidam, homo promptus bello & felix, excuſſerat, ferox jam porrò victoriâ, de Cardinali Batoreo Tranſylvaniæ tum Principe reportata. Et in Ruſſiâ Polonicâ quidam ingenio turbidi religioniſq; ſtudio nova cupientes, in hunc ipſum Michaelem animos ſpeſq; ſuas arrexerant. Tanto magis premendum eum duxit Reſpubl. atq; inprimis Zamoſcius, cui finium illorum cura è præfecturæ militaris munere incumbebat. Itaq; exercitum, quantâ poteſt, celeritate conflat, pecuniâ, quia in Comitijs diſtracti ambitu Proceres nullam decreverant, privatim in fidem publicam ſumptâ. Et prono in Rempubl. ſtudio complures ex potentioribus cum copiis, ſub ære autoratis, occurrêre. Inprimis Chriſtophorus Sbaravius, Conſtantinus Viſnovecius Duces:

duo

duo Tenczynii Comites, duo Danielowicii, Carolus Chodkievicius, Hieronymus Sienavius, Pincerna Regni. Adfuit quoq; Stanislaus Zolkievius Campidux, Potocii aliquot, Drohojovius Regni Referendarius, Nicolaus Struſz, Kazanovius. Cum his in Moldaviam feſtinatis itineribus contendit Zamoſcius, hoſtem incautum deprehenſurus. Hic verò interim ad Seleſinum amnem loco uliginoſo caſtra poſuerat, ſexaginta millibus hominum inſtructus. Ex quibus cum primo conflictu mille circiter occubuisſent, reliqui fugâ dilapſi, terrorem latè ſparsêre. Et quia Michael quoq; inclinata prælii fortuna, paucis comitatus ſe ſubduxerat, Valachi vim Polonorum paventes, miſſis primoribus, imperata facere, ac Simeonem nuper expulſum recipere promiſêre Zamoſcio. Eodemq; autore Muldavi ad Soczaviam in verba Jeremiæ, prioris Palatini ſui, adacti ſunt. Neq; Michael poſtea fortunam, quamvis nihil intentatum relinqueret, reſtaurare potuit: intento in ejus conatus Joanne Potocio Præfecto Camenecenſi: cum quo etiam poſtea ad Hardiſum fluvium

con-

congressus, insigni exercitus clade accepta, ipse vix evasit.

XVII. Zamoscio in Comitiis postea habitis, pro re in Moldavia Valachiaque præclarè gesta, publicè, Reipubl. nomine, diserta Oratione gratias egit Sbigneus Ossolinius, Ordinis Equestris tum director, olim Zborovianarum partium adversus Zamoscium. Tantò splendidiùs Viri gloria ex ore quondam inimico nitescebat: & largiùs se jam in laudes effudit Orator, ne ex odio veteri quicquam videretur dissimulasse. Sed eidem Zamoscio fessam ne quicquam obtendenti ætatem, aliud mox bellum committitur: Livonicum nempe cum Carolo Regis Sigismundi Patruo gerendum. Ille Regiæ potestatis vim exsertius indies de consensu Senatus & populi firmabat sibi in Suecia; abdicata jam omni stirpe Sigismundi, atq; ipso quoq; quem nuper istic expetierant, Vladislao, quia nimirum tempus, quod adventui ejus præfinitum erat, effluxisset; Patre jam, quicquid in Regno transmarino ageretur, minaci silentio damnante. Sed supererat in Suecia Sigismundi Frater, Patri Joanni cognomi-

nis: Hujus ex lege propius ac liquidius jus, quàm Caroli, adRegnum esse judicabatur. Nec obesse ei Religio poterat, quippe usitatã istic receptamq; profitenti. Metuebatur interim, ne potestate accepta, in Sigismundum Fratrem, quàm in Carolum & amicum isti Senatum, propensior foret. Itaq; per homines idoneos inducitur, ut sponte potius cederet sceptro, rebus tam turbidis, gravi futuro adolescentiæ suæ. Ille ætatis & ingenii facilitate, tum reverentia Patrui flecti se passus est, ut consentiret: sicq; pro sceptro Suecico, Finlandiæq; quam hactenus tenuerat, præfectura, Ostrogothiæ regimen accipit. Carolus verò Dux, Sueciâ, quâcunq; ea invasioni hostili patere videretur, diligenter munitâ, Livoniam quoq; invadere statuit, quò arma Sigismundi à Suecia longius averteret. Præmittit igitur illuc Carolsonium nothum suum. Sed hunc propè Kokenhausum Christophorus Radzivillius Palatinus Vilnensis profligat, Oppidumq; istud & mox Vendam per ductores suos recuperat. Secutus ipse postea cum viginti millibus armatorum, Rigam Provinciæ caput petit,

eminus

eminus obsidionem minans. Verùm tuente locum Farensbachio, aliquandiu hic frustra hæsit, & veniente deinde cum Zamoscio exercitu, Parnaviam recessit. Secutus quoq; Zamoscium Rex est, sed tardiori ob impedimenta Aulica itinere, neq; vergente hoc jam anno, veniri ad prælium potuit. Volmaria tantùm obsessa est, quantumvis eam omni necessario apparatu instructam hyems quoq; ipsa defensura videretur. Sed omnes frigoris remoras perluctatus Zamoscius, (Rex enim non diu moratus, in Lithuaniam recesserat) vineis aggeribusq; ductis eò redigit præsidiarios, ut deditioné deniq; facerent. Captus istic Carolsonius nothus, & Pontus de la Garde. Quorum hunc ut Virum strenuum humaniter, alterum contemptim habuit victor, ob generis notam, vel quod potius crediderim, ob acerbiorem in Carolum Patrem offensam, à quo nuper superbis epistolis fuerat irritatus.

XVIII. Cæterùm Hybernatus in Livonia Zamoscius, simul ut frigora remiserant, exercitum Felino admovet, arci ad Muldavam sitæ, curaq; fratrum Crucife-

rorum,

forum, olim arcendis Moſchorum incurſionibus, diligentiùs munitæ. Sed ægriùs ob peditum paucitatem proceſſit obſidio. Unde ad oppugnationem equites deſcendere oportuit, Duce ipſo, ut exemplum Senis reliqui pronius ſequerentur, equo ſuo primo omnium deſiliente. Nec pauci aſſultorum periêre, interq; eos Georgius Farensbachius, Palatinus Vendenſis. Et poſtea ipſe etiam Zamoſcius periclitatus eſt, ſclopi jactu cingulum ejus rumpente. Tandem nihil remittentem obſidentium operam caſus adjuvit. Fortè enim in pulveris pyrii depoſitorium illapſa flamma, propugnaculo disjecto, plurimos præſidiariorum atq; in iis præfectum ipſum corripuit. Unde reliqui dedita arce, victoris ſe clementiæ permisêre. Poſt hæc Zamoſcium non æquè hoſtis, quàm militum ſuorum ſeditio exercuit. Ille enim inducias quæſivit: hi ob non ſoluta ſtipendia obſequium exuere cœpêre. Tandem tamen humanitate, promiſſis, & privatâ Ducis pecuniâ mitigati ſunt. Nec diu poſt, ut negotio ipſo diſcuterentur turbida conſilia, in Eſtoniam leviores alæ dimiſſæ, cum Mansfeldii, qui vices

jam Caroli hîc sustinebat, copiis tumultuariè subindè concurrere. Ipse Zamoscius cum graviore exercitu Veisensteinium, firmissimum ingenio loci & operibus oppidum aggressus, eodemque post maximos toto mense toleratos labores, potitus est: accelerante deditionem Stanislai Zolkievii victoria, qui Nassovii Comitis turmas in auxilium obsessorum tendentes, memorabili clade ad Revaliam affecit, præcipuis eorum, atq; ipso Præfecto interfecto, tormentis porrò atq; impedimentis omnibus in prædam acceptis. Hinc jam, rerum militiæq; regimine in Carolum Chodkievicium interim deposito, in Poloniam revertitur Zamoscius, exercitui stipendia procuraturus, quibus tardè procedentibus obsequium militum & virtus languescebat. Tributa verò stipendiis destinata, absente ipso, æmuli morabantur, ut fortunæ Viri obstruerēt, quæ supra civilem modum provehi visa, ipsis formidini, Aulæq; prægravis erat. Nec deerant qui nimiam dominandi cupidinem, affectatumq; popularium animorum favorem, atq; in ipsum Regem quoddam quasi magisterium clam objectarēt, stimu-

ſtimularentq́; adeò Principem, ut autoritati ſuæ, ſub tali, ut vocabant, pædagogo multùm deniq́; laboraturæ conſuleret. Iſta ingerebantur auribus Regis, cum nemo adeſſet, qui innocentiam Zamoſcii defendere vellet. Quo minùs mirum, ſi animo dominantis penitiùs inſedêre: Ipſo plerumq́; genio Principes ſolicitante, ut non diu ament Miniſtros, quorum autoritas imperio quàm obſequio propior, conſiliis etiam optimis gratiam adimit, quando qui dedit conſilium formidatur, & ſæpè cum ſuadet, jubere creditur. Hinc in talium inimicos & criminatores major inclinatio & fides. Quibus circumſeſſus Princeps audentiùs indies, ſi quid vellet Zamoſcius, negabat. Unde nec in munerum publicorum diſtributione ratio amicorum ejus habebatur. Ipſaq́; ſuprema Curiæ præfectura (ArchiMareſchalcatum vocant) quam Zamoſcius aliis ſibi addictioribus voto deſtinaverat, Sigiſmundo Myſzkovio, Zamoſcii amicis nequicquam obnitentibus, data fuit. Inter cauſas offenſæ Regiæ non poſtrema illa erat, quòd, cum Rex amiſsâ Conjuge primâ, Vladislai jam o-

ctennis matre, germanam defunctæ Sororem, inaudito inter Polonos exemplo, ducere proposuisset, ei consilio præ cæteris adversari crederetur Zamoscius. Auxere invidiam laudes ambitiosiùs à nonnullis prædicatæ in Comitiis, cum tanto Duci de Livoniâ feliciter recuperatâ publicè agerentur gratiæ. Gnarus omnium istorum Zamoscius manum suam paulatim negotiis subtrahere cæpit, nec deliberationes publicas, in Comitiis istis, solito ardore juvit, quò clariùs constaret Aulæ, quàm regimen rerum carere non possit magnis & apud populum gratiosis adjutoribus. Ordo Nobilium, in Aulæ consilia, studio libertatis, plerumq; acriùs intent9, nunc autē tanti Civis offensas quodammodo ultur9, desideriis Regiis acerbiùs contradixit. Tandemq; Comitia sine ullo bono effectu diffluxêre.

XIX. In Sueciâ Carolus Dux, postquam tot annis, Regiæ dignitatis vim tenuerat, jam tandem quoq; nomen assumpsit: nemine istic amplius reclamante, quia adversarii ferè omnes aut solum, aut animum mutaverant. In diplomate, quo Regiam ejus authoritatem stabiliere Ordi-

Ordines, causa rejecti Sigismundi hæc præcipua effertur, quod ad multiplicem procerum petitionem comparere & Regni administrationem suscipere noluerit, imo & hostem se ostendere, armisque sceptrũ petere non dubitarit. Iisdem in literis tempus assignabatur exulibus Suecicis, intra quod in Patriam & simul ad gratiam novi Regis reditus pateret. Sigismundum ne ablati quidem jam plenè Regni fama in majorem vindiciarum curam erexit, quod recuperationem difficiliorẽ ac sumptuosiorẽ sentiens, fato rem committeret. Sed de repetundis etiam cogitanti non satis favebant Poloni, occulta odiorum semina in animis versantes. Nam præterquam, quod in Zamoscio plurimos Nobilium Rex offenderat, quidam etiam, ex intimæ admissionis Proceribꝰ incautis sermonibus magis acuerant populi voces. Inprimis Antistes Gnesnensis inter familiares aliquando dixisse ferebatur, se filium Regis Vladislaum brevi coronaturum. Id seu verè, seu falsò jactatum, facilem mox fidẽ reperit inter infensos. Nam & sparsa antè de matrimonio cum Austriacâ prioris Conjugis

Sorore, fama magis magisq; valescebat, irritabatq; animos. Cum præsertim nec operosis multorum Senatorum dissuasionibus avocari se Rex pateretur à proposito. Nam inde tanto graviora suspicari & vetera etiam aliqua refricare cœpêre turbidi. Ac talibus curis sermonibusq; altera quoq; Comitia distracta fuêre, urgentioribus interimReipubl. negotiis sepositis. Nec multo post hæc ipsa Comitia magnus ille Regni Cancellarius & simul exercituum Dux Joannes Zamoscius moritur, * Vir domi forisq;, vel ipsa invidia fatente, maximus. In quo jure dubitaverint posteri, magisne Sapientiam, an militiæ decora mirari conveniat. Certè Pallade utraq; eò fastigii pervenit, ut alienis sub auspiciis, altiùs adscendere non potuerit: inter omnes seculi sui Duces facilè primus, merita honorum luce solis Regibus secundus: quos ipsos solio imposuisse, & consilio suo armisq; orbi suspiciendos effecisse, inter potissima laboriosæ virtutis solatia habuit: Cætera quæ nactus est, sudorum præmia multis adversitatibus diluente invidia: Sed Cœlo

* 1605.

Cœlo auguſtius parante brabeum, poſt fata tandem accipiendum à patriâ, quæ non ſolùm famâ gratiſſimâ laudes deprædicat, ſed & in poſtero ejus ſanguine merita Virtutis (ut ulterior hiſtoria referet) ſummo diademate coronavit.

XX. Cæterùm in Joanne Zamoſcio præcipuum publicorum tum negotiorum fulcrum maximaq; fatorum Poloniæ mora cecidiſſe viſa eſt.

Exin variis motibus externis, internisq; quati Reſpubl. cœpit. Quod inprimis ob diſcordiam Ordinum in Comitiis ultimis, nec finibus Regni proſpectum, nec internis Reipul. malis medicina facta erat. Neq; longo poſt Zamoſcium intervallo moritur Joannes Tarnovius, Regni Primatum vix dum ingreſſus, Vir ingens & Regiæ autoritatis acris propugnator, eoq; nomine illis, qui alteri parti impenſiùs ſtudebāt, minus gratus. Unde adeò, illo extincto, tantò liberiùs multorum ergà Aulam ſuſpiciones & odia erupêre. Sueci Livoniam, & in eâ Rigam adoriuntur, captâ primo impetu Dunamundâ. Carolus Chodkievicius Comes de Sklow, Capitaneus

GeneralisSamogitiæ, & exercituumLithvanicorum Præfectus, parvâ manu sistere hostem conatur, & à Friderico Curlandiæ Duce adjutus, Carolum Sueciæ Regē ad Kircholmum memorabili prælio superat, paucitatem copiarum pensante & Ducis & militum virtute. Cæsi istic Dux Brunsuicensis & alter Luneburgicus. Mansfeldius Comes & ipse Carolus Rex saucii ægrè èvasêre. Gregarii militis novem plus minus millia occubuerunt.

SigismundusRex defunctæReginæSororem Constantiam, frustrà obnitentibus aliorum studiis ambit, misso ad Rudolphum Imperatorem Sigismundo Myskovio Aulæ Regiæ Præfecto, Viro apud Regem gratioso, eoque plurimis tum aliis magnoperè invisò, comitante eundem agnato ipsius Martino Szyskovio, Episcopo Luceoriensi, Branicio item Ensifero Regni, Felice Kryski, Maximiliano Przerębski aliisq;, qui Sponsam matre suâ ac Maximiliano Fratre comitatam, adduxêre. Principem sanè virtutibus egregiam, sed eo infelicem, quòd venientem Polonia tristissimo motu Civili excepit, nescio quâ Eumenide ab ipsis propemodum

tædis.

tædis nuptialibus belli inteſtini faces accendente. Certè in nuptiis Cracoviæ celebratis, duo præcipuæ notæ Senatores offenſi, primus Nicolaus Zebrzydowski, Palatinus Cracovienſis, hoſpitio ſuo, quod in Arce Cracovienſi habebat, novis, qui ad nuptias venerant hoſpitib9 cedere coactus, cujus etiam tum ſtatim vox audita, ſe quidem *Domo, ſed Regem Regno exceſſurum.* Alter Maciejowski Cardinalis, idemq; deſignatus Regni Primas; * Qui tanquam Pontificis Legatus ſub Vraniſco in hâc nuptiali ſolennitate ſedere ſolitus, intempeſtivo Aulæ juſſu, illâ honoris umbrâ, ſubitò nec ſine violentiâ privatus eſt. Eâ ignominiâ accenſus Præſul Regiis inimicis magis poſthàc favere, quàm obſtare viſus eſt, extremâ injuria cæterorum omnium beneficiorum Regalium memoriam obliterante. Ordini Nobilium dudum ſuſpecta atq; inviſa hæc nova cum domo maximâ affinitas erat. Eò pronioribus animis acceptabantur, quæ in Regem ſiniſtra inimici Aulæ jactabãt. Et adeò iſta adverſus Regem odia crevêre, ut in ſeceſſionem deniq; publicam

* 1606.

(vulgo Rokoſz voce Ungarica dictam) erumperent, ducto ex Conventu Proſſovicenſi initio, ubi Palatinus Cracovienſis, ille, cujus vocem, animi & infenſi & præfidentis indicem, paulò ante retuli, Ordinem Equeſtrem ad exagitanda Aulæ conſilia acerbaverat, tanquam libertati & ſaluti publicæ pernicioſa. Augebat Viri autoritatem amicitia defuncti Zamoſcii, qui moriturus hunc omnium conſiliorum participē feciſſe, tum inprimis expugnandæ in Aulâ factionis Auſtriacæ deſtinationem ei concrediđiſſe ferebatur, famâ hâc eò pronius mox inter tot Aulæ inimicos receptâ, poſtquam cognitum eſt, eundem hunc junioris Zamoſcii à Patre conſtitutum eſſe Tutorem, eoq; modo & gazam Zamoſcianam, & ſcripta arcana in arbitrium ejus deveniſſe.

XXI. Rex Varſaviam convocat Ordines. Ubi Matthias Pſtrokonski magni Zamoſcii paulò ante Collega, nunc vacante majore ſigillo (non ſine acri tamen multorum invidiâ,) ſucceſſor deſignatur, eo Reipubl. tempore qvod Virum Magnū oſtendere atq; etiam facere poterat.

Turbi-

Turbidi Stensiciæ conveniunt. Qvorum postulatis insuper habitis, Comitia sine effectu diffluunt, Nobilitatis verò commotæ animi magis magisq; ægrescunt: accedentibus indies pluribus ad tumultuantes; ex Lithvanis præcipuè Janusſio Radzivillio Duce, Pincernâ ejus Ducatûs. Majoris Poloniæ Cives suscitat inprimis Matthias Smogulecius, Præfectus Bidgostiensis, à Palatino Cracoviensi in machinationis suæ societatem pertractus. Tumultuantes primo Lublini, dein compositioribus jam consiliis apud oppidum Pokrzywnicæ congregantur. Rex distrahere conjuratos cupiens Visliciam convocat Ordines, atq; inde misso Stanislao Minski Pro-Cancellario à Conventiculis illicitis ad legitima Comitia, usitatum sanandorum Reipubl: malorum remedium, avocat. Idem Proceres à seditione integros, novis autoramentis sibi firmat, inprimis militares, inter quos eminebant Stanislaus Zolkievius, & Carolus Chodkievicius, Duces exercituum, Johannes Potocki, Præfectus Camenecensis ac Fratres ejus Jacobus & Stephanus. Rokosſiani magnis interim acces-

ſionibus civium aucti, fruſtraq́; à Grzymultovio Caſtellano Bidgoſtienſi, nomine Regis, malè conſultorum admoniti, Sendomiriæ denuò coëunt, quibus appropinquante exercitu Regio, propè ad arma deventum eſt. Sed interventu Procerum mitiora prius tentata, ipſiq́; Duces tumultuantium fide Regis & Senatûs freti, ad oſculum manûs Regiæ veniunt, atq́; offenſas omnes autoritati Comitiorum ſubjicere promittunt. Per hos Rokoſſianos tumultûs langueſcente apud utramq́; partem diſciplinâ, in immenſum crevit audicia militaris. Dum enim utraq́; bellantium pars militem comitate & beneficiis prenſare, quàm pœnis offendere mavult, ille velut in precario imperio luxuriat ferocitq́;. Neq́; facilè poſthac laxatus diſciplinæ nodus adduci denuò potuit; præcipiti in vitium licentiâ morum, ſed ad remedia vitiorum, nimis quàm lentâ.

* Anno ſequente Rokoſſiani Comitiorum autoritatem ſuis rebus noxiam rati, ſegreges rerum conventus Andrzejoviæ & mox Stenſiciæ agitant, rejectisq́; omni-

* 1607.

omnibus, quæ Duces sui paulò ante promisissent Regi, arma denuo accipiunt. Illis non adjungit se quidem, sed favet tamen Dux Ostrogius, Castellanus Cracoviensis, dignitatis opumq; fiduciâ nil civile in Republ: spirans. Sigismundus Rex in publicis Comitiis multum tempori & concordiæ publicæ gratificans, habitorum cum exteris adversùs Rempublicam Consiliorum suspiciones diluit, & ab affectati Dominatûs metu liberat Ordines; pristinæq; eligendæ Regis libertati novo diplomate cavet, nec quicquam se sine consilio Senatorum in negotiis publicis aggressurum, promittit. Estoniam præterea, seu armis seu quocunq; modo recuperatam, Reipubl: innectere pollicetur. Agitur ibidem de classe maritimâ, de bonis mensæ Regiæ addictis, compositione item inter Ecclesiasticum & Politicum Ordinem. Utilis porrò lex de Regni arcibus restaurandis & ritè muniendis sancitur. Olim enim Arces istæ adversus quamlibet vim, tempore necessario, perfugium præbebant imbecillioribus. Nec minori postea curâ reparari solebant, quam olim erant exstructæ.

ſtructæ. Oppida, arcibus adſita, incolarum frequentiâ tributa Reipubl. pendenda augebãt, ſæpè & gregariæ militiæ dare ſupplementa poterant. Sed deinceps avaritiâ reditus Arcium Satrapiarumq; in privatos uſus convertente, exhauſtæ, neglectæq; & Arces & Oppida, quæ nunc perpetuis militum & cujuſvis penè injuriis obnoxia, aut deſeruntur, aut nonniſi à miſerrimis hominum perfunctoriè & fugitivâ quadam trepidatione, habitantur: paucis exceptis Urbibus, quarum celebritatem & frequentiã commercia utcunq;, nec ſine multa tamen difficultate, tuentur. Porrò autem eâdem iſtorum Comitiorum autoritate, Sigillo privato, in negotiis Reipubl. Rex vetatur uti. Livoniæ Provinciæ Civibus in obſequio Regis manentibus data olim Polonicæ libertatis & jurium communio renovatur. Illis verò, qui Carolum à ſuis jam Regem Sueciæ nominatum, ſequerentur, eadem ibi jura abrogantur. Matthias Pſtrokonski Epiſcopus Vladiſlavienſis, olim utriusq; ſigilli cura & omni vitæ curſu cum ſumma laude defunctus moritur (malè enim in annum ſequentem ſuprema

ma ejus rejicit Piaſecianum Chronicon) nunquam moritura Virtutum ejus memoria, quas elegante commentario poſteritati tradidit Cognatus, alumnus imitatorque ipſius Stanislaus Lubienſcius Epiſcopus Plocenſis, inter ſummos ipſe Poloniæ Viros meritò numerandus.

XXII. * Rokosſianorum factio, poſt Comitia, & ſanata in iis vulnera, non prorſus quidem extincta, multum tamen imminuta eſt, ſolito conſpirationum ejusmodi fato, ut impetu valeant, morâ exoleſcant. Ac poſtquam ordinibus Rex ſatisfecerat, non jam publicæ rei curâ, ſed privatis ſtimulationibus agere videbãtur turbidi. Qui etſi cæteros paulatim ſeſe ſubducere viderent; perſeverant tamen in propoſito, quin & tantò majorem acrimoniam, & ut ipſis videbatur, conſtantiam oſtenſuri, eò progrediuntur, quò nondum hactenus, etſi numero validiores, eruperant. Omni enim obſequio Regio ſolenniter ſe renunciare, & nullo nexu Principi obſtrictos eſſe velle profitentur. Hæc atrocitas plures Regi ex Rokosſianis reſtituit, eidemq; majoris poſtea clementiæ

* 1608.

tiæ campum aperuit. Quæ eò clarior, quò facinora peccantium graviora. Sed interim quoq; magno causæ Regiæ commodo moritur Bernardus Macieovius Cardinalis, idemq; Regni Primas, tumultuantibus minùs, quam par erat, adversari visus. Zebrzidovius dein & Radzivillius, Duces Rokosiani IV. millibus plus minus armatis instructi, ad Guzovum 6. Julii ambiguo aliquamdiù Marte pugnant, peditatus tandem Regii, cui Joannes & Jacobus Potocii præerant, constantiâ fracti, non multò utrinq; sangvine effuso, dilabuntur. Exin, cum rari jam eos sequerentur, interponentibus se proceribus & deprecatione prævia, Regi reconciliatur Zebrzydovius, sicq; tota illa Rokossiani tumultûs moles, atrox primò, & Regi periculosa, invicta Regis constantia, tum bono consilio Senatorum, & fide militis stipendiarii, Ducumque, incolumi tam Rege, quàm Republ., corruit.

XXIII. Sed penè eodem, quo Polonia, tempore Moscovia quoq; magnis motibus concussa est; qui, cùm tragica multa & gravissimam longè imperii illius mutatio-

tationem, (non postremas quoq; in eadem scenâ partes agentibus Polonis,) traxerint, non alienum videtur, rem totam altiùs repetitam hic inserere.

Joanni Basilidi magnitudine bellorũ, tum morum sævitia notissimo Moscorum Duci uxores septem, & ex harum prima nati Filii duo, Joannes & Theodorus, è postrema Filius unus, Demetrius. Joannem juvenili simplicitate regimen armorum adversus Polonos poscentẽ immanis, nihilq; in quoquam generosum, ac ne in filio quidem sustinens genitor, impacto capiti scipione occidit. Theodorus patri successit, ingenio torpidus, & populo quidem post tam sævum tyranni imperium non ingratus, rebus tamen agendis impar, adeoq; regi, quam regere aptior. Ideo consiliis ejus moderandis Borissius Odenovius vel Hodunus admovetur, conjugis Theodori svasu, cujus frater erat Odonovius, homo solers & captandis populi studiis apprimè idoneus. Quibus omni arte & curâ conciliatis, ad majora spem surrigere, & ipsi nempe imperio imminere animo cœpit. Atq; ut maturè obstacula amoveret, Demetrium inpri-

inprimis, impuberem adhuc, corruptis pretio ejus familiaribus, tollit, non minùs mox in ipsos cædis ministros sæviens, ne esset, qui prodere flagitium posset. Simul quoq; alios præmiis inducit, ut in Urbe Principe incendium excitent, quo sic publicus luctus â Demetrii funere ad privata deploranda averteretur. Nec multò post ipse magnus Dux Theodorus inter vivos morari desinit, morte subita & eodem haud dubiè structore festinata. Sterilis hic & generis sui postremus decesserat. Eò pronior Borissio ad imperium via, cæterorumq; in ipsum inclinatio fuit. Sed ille porrò callida recusatione desiderium populi accendebat. Monasterium enim ingressus est, quasi solitudinem religiosam imperio præhabiturus. Cùm interim sibi fidos subornasset, qui neminem ipsi, in capessendo rerum regimine, paterentur anteponi. His occultè stimulantibus, cæterorum accuratissimis precibus exoratur, ne suscipere abnueret, quod intra animum flagrantissimè cupiebat. Ad hunc modum potitus principatu non diu post, vitia prompsit, quæ hactenus spe regnandi occultaverat. Sed

brevi

brevi post Deus Tyranni fraudes, alterius hominis admirabili versutiâ ultus est. Is Hricko nomine, egenis inter Moscos parentibus, sed liberali vultu & indole non ignobili natus, cum in cœnobio adolescentiam nonnihil exercuisset, suâ sponte, aut Monachi cujusdam senis suggestu finxit se Demetrium Basilidis filium esse, quem extinguere quidem voluerit Borissius, sed alterius suppositi infantis cæde se servatum superesse. Et lenocinabatur Juveni facies à veri illius Demetrii specie non abludens. Cæterum in Moscoviâ natales suos jactare intutum ratus, in Ditiones Regno Poloniæ subjectas profugit, ubi apud Adamum Ducem Visnovecium famulatus aliquandiu, cum nescio quo errore, verbera meruisset, genus suum professus est, quasi effecturus, ut honestiùs in posterum haberetur. Et persuasit non tantùm Duci, sed Duce deinde ipso suffragante, aliis plurimis, ut pro Ducis Moscoviæ Basilidis filio suspectaretur. Venit tandem ad Georgium Mniszek Palatinum Sendomiriensem, Virum opibus & Affinitatibus potentem. Eum memoratâ fortunâ suâ, & rerum futurarum, si

ad ſceptrum paternum rediret, blandimentis eò permovet, ut quicquid opum copiarumq; haberet, ejus honori commodare velle polliceretur. Ille viciſſim matrimonium cum filiâ Palatini ineundum, & inprimis Religionis Catholicæ in Moſcoviâ promovendæ ſtudium liberaliſſimè reſtipulatur, pecuniam quoque, quæ reſtitutioni impenderetur, fœneratò refundere ſpondet ſanctiſſimè. Colligitur ære Palatini miles, accedunt alii, ſpontaneam novo tanti ſceptri hæredi operam navaturi. Iſtâ etſi exiguâ manu ſtipatus abit in Moſcoviam perſonatus iſte Demetrius. Vix dum etiam fines ingreſſum fama antevolat, vivere Baſilidis filium, & cum exercitu validiſſimo dominium paternum venire vindicatum. Boriſſius malè quæſiti imperii conſcientiâ trepidus, exercitum ingentem objicit venienti. Iſte ultra vires audax & nempe ſeptingentis plus minus hominibus ſtipatus exercitui ſexaginta millium capitum non veretur contra ire, & admirabili jocantis fortunæ ludibrio vincit antecurſores, cæteros terrore in loca munitiora repellit. Eò auguſtior fama tanquam victo-

victoris pervolat Moſcoviam , & paſſim occultos ſermones mox ſtudia & novas ſpes excitat. Ipſe inſtat fortunæ, & quò longius procedit, eò magis ut ſol oriens, omnium in ſe oculos convertit. Boriſſius interim moritur, incertum an ægritudine animi, an veneno. Primores Maſcoviæ, ne nutantibus rebus Princeps deeſſet, filium extincti ſucceſſorem deſignant, puerum impubem. Exercitus verò, Boſmano & Gallicino præeuntibus, in verba Demetrii jurant. Inde Odonoides Princeps noviter electus & mater ejus, ut & propinqui jugulantur, Suiſcii Duces aliique qui reſiſtere ſuſtinuiſſent, dantur in vincula. Ita nemine jam contranitente Demetrius magno populi applauſu, ſolium, quod patrium ſibi dicebat, conſcendit. Sed idem in crudo imperio de autoritate priùs, quàm benevolentiâ ſubditorum ſolicitus, pro autoritate odium peperit ſibi. Cum inprimis à gentis inſtitutis diverſus, externa & Moſcis ſupra modum inviſa ſectaretur. Acuendis odiis peregrina conjux acceſſit, quam ex Poloniâ, Aulâ universâ applaudente, Legati Regii excogitatiſſimo apparatu

paratu, novo Principi adduxere. Movit invidiam ſplendor externus, ſpirituſque advenarum, eò gravior indigenis, quod à Principe Polonis addicto, Moſcicis opibus ali videretur. Nec niſi pejora expectanda ſibi credebant Moſchi, cum initia ejuſmodi eſſent, quibus alioquin Principes vel fucatâ modeſtiâ ſoleant conciliare gratiam. Fit igitur conſpiratio, & quo ſecuriores cum Demetrio Poloni deprehendantur, nono & ultimo nuptiarum die (quæ erat 17. Maji) ſubitò æra per Urbem circumſonant, irruitur in arcem, ipſumq; in cubiculum ſponſi. Ille feneſtrâ elapſus retrahitur in cubiculum, & mox vario telorum genere occiditur, atq; ubi diebus aliquot oſtentui jacuiſſet, poſt varia ludibria crematur. Sponſa ægerrimè & penè nuda evaſit ad Polonos ſuos, per Urbem diſperſos. Quos pariter paſſim rabies populi invadit, cædibus, quacunq; perrumpere licuit, ſæviens. Sed pleriq; illorum armis & comitatu ab hoſpitiis ſuis vim prohibuêre. Legati Regii jura gentium obtendentes, violentiæ, non item detentionis expertes in Urbe manſ.runt. Hunc Hiſtrioniæ ſuæ

finem

finem cum Demetrius habuisset, regimen quidem Moscoviæ Basilius Suiscius, ceu præmium amoti impostoris accepit. Sed eidem alius mox succedens Impostor novam scenam instruxit, fortunâ, ut cœperat, stupendum porrò mimum sibi in vastissimo illo imperio faciente. Quidam enim de nescio quâ fæce homo Gregorius Otrenovicius cum, tumultuante nuper Moscuâ Urbe, sigillum Magni Ducis, aliaq; quædam pretiosa abstulisset, Suiscio minor esse noluit, longiusq; dein remotus, Demetrium sese finxit, impudentiori jam fraude, cum prior ille impostor, verum Demetrium simili specie oris, hic falsum duplicatâ mentiendi audaciâ simularet. Nihilominus tamen nescio quo sidere deceptoribus favente, asseclas reperit; multis inter ancipitia illa quidvis casu oblatum arripientibus, plerisq; & intellecto jam mendacio faventibus. Sponsa utiq; ipsa, Palatini nostri filia, & major pars Comitatûs Poloni ad illum confugit, non alio stimulo, quam quod cœpta semel fraudum fabrica non aliter quàm fraude percoli posset, fidesq; Impostori magnis exemplis concilianda videretur,

retur, cum inprimis rebus desperatis nulla alibi spes, nec propior modus ulciscendæ Moscorum sævitiæ appareret. Vindictæ utiq; cupido novas etiam ex Poloniâ copias excivit, quibus Romanus Rozynius, Johannes Sapieha, Alexander Sborovius, Viri omnes & natalibus & militiâ illustres præfuêre. Auctæque deinceps sunt Mlocii, Vilamovii, Bobovii, Tyskevicii, Lanckoronii, Rusiecii, Stabrovii, Zarucii, Madalinscii, Stravinii, Buzynii, Gajovii, Rudnicii, aliorumq;, tum & octo egionum Cosacicarum accessu. His viribus succinctus Gregorius ille Principem Moscoviæ Urbem aggressus est, ibiq; Suiscium & plerosq; Proceres obsedit. Interim Rex quoq; Sigismundus, ut Civilium turbarum fæce residuâ expurgaret Poloniam, tum & à Moscis Legatos suos, ignominiosè istic detentos, liberaret, præcipuè verò ut provincias olim Regno ablatas, populo illi domesticis malis fesso eriperet, ad Smolenscium admovit exercitum: non obsecutus aliis qui in Moscici Dominii interiora infundendas

das

* Vide Illustr: Cobierzyc. Histor. lib. III.

das Regni vires ſtatuebant, tutiſſimum proferendi imperii campum oſtendentes. Mittit tamen Legatos tum ad Polonos ſuos, qui Moſcuam obſidentes, Regiæ in Moſcos expeditioni minus favere videbantur, quia majora ab Impoſtore laborum præmia, quàm à Rege ſibi, promittebant. Mittit item ad ipſos Moſcorum Proceres, utile illis ad res ſuas componendas ſubſidium pollicens, cum alterâ quoq; ex parte Suiſciu Suecos in auxilium magnis autoramentis vocaſſet. Qui Ducibus Ponte de la Garde & Edvardo Hornio aliisq;, latè pervagabantur ditiones Moſcorum. Legatos Regis adeò comiter & ſubmiſsè Moſci ſuſcipiunt, ut malorum ſuorum non aliud promptius remedium quàm à Rege ſeſe expectare, miſsâ viciſſim legatione, teſtarentur; ſed conditiones, quas proponebant, Vladiſlaum inprimis filium Regis ad Moſcoviæ imperium vocantes, non placuere tum Sigiſmundo. Et Moſci poſteà Suecorum ope fortunam & animos altius erexêre, donec à Stanislao Zolkievio, quem ad copias Polonicas in Moſchoviâ turbulentiùs rem agentes, Rex miſerat,

com-

commiſſo ad Cluſinum ingente prælio quindecim millia Moſcorum cæſa, Boratinus & alii ductores capti, Duces Suecici ægrè fuga elapſi. Ea victoria, uti Zolkievio Duce, Stanislao Koniecpolſcio, Sborovio, Balabano, Struſſio, Poricio, Widzgæ, Herburto, aliisq;, qui rem ſtrenuè iſtic geſsêre, admodum glorioſa, Regi verò Smolenſcum obſidenti perutilis fuit, ita Suiſcii fortunam penitus proſtravit. Moſci enim dominatum ejus ſeu ſuperbum ſeu infelicem aſpernati, habito conventu, hominem à regimine ſolenniter amovent, primùmq; carceri, mox cœnobio includunt, Duci Mſcislavio intereâ rerum adminiſtratione datâ, donec Vladislaus Poloniæ Princeps à Patre Rege ad oblatum regimen mitteretur. Zolkievius victorem exercitum metropoli admovet, ac per Stanislaum Domaracium & Alexandrum Balabanum Centuriones, Regis ſui opem Principemque Vladislaum Moſcorum Proceribus armatâ facundiâ offert. Illi proniſſimis animis Vladislao ſe & ſua omnia ſubmiſſuros promittebant, dummodò ille ſacris Ruſſicis initiari ſe pateretur. Impudens poſtula-

poſtulatum, ſed ad præſentiam Principis rejiciendum videbatur, cujus auguſta indoles & pleniſſima gratiarum majeſtas facilè demulſura ſperabatur animos, ut faverent etiam ſua ſacra retinenti. In alias leges, quibus imperium futuri Domini circumſcribebatur, non ægrè tum conventum juratumq́; eſt utrinq́;. Vulgata Vladislai Principis electione perſonatus ille Demetrius infeſtis armis hactenus Moſcuæ gravis, Calugam cum Marina Polona profugit; Ubi deniq́; à Polonis, qui cauſam ejus inconſulto impetu foverant, deſertus, & mox a Tartaris, Duce Vrozovo obtruncatus eſt, homo nullius frontis & fidei, eoq́; ſolum admirabilis, quod fidem apud tam multos invenit. Zolkievio in Urbem velut jam Vladislai Principis ſedem, & porrò ad intima dominatus illius adita, theſauros & archiva admiſſo deduntur tandem Zuiſcii tres, quorum maximus natu paulò ante a principatu in clauſtrum dejectus erat, ingens ſpectaculum fortunæ, quæ homini nec Monaſterii latebris occultare miſeriam ſuam permiſit. Protraxit eum in lucem, ut hic ad genua victoris pro-

cumberet, & mox extra patriam in Triumpho duceretur. Cœterùm, dum Vladislao Principi Moſcoviam fortuna ductu Zolkievii ſubjicit, Pater Sigiſmundus ad Smolenſcum hæret. Urbe propugnaculis & defenſoribus valida, diutiusque adeò conatûs oppugnantiū eludente, qui penes Regem præcipua autoritate erant, cœptam obſidionem minimè deſerendam putabant; obliqui nonnihil in ea, quæ Zolkievius, apud Moſcuam gesſerat, cùm ea præſente Rege facta eſſe maluiſſent. Eorumq; inſtinctu legibus, in quas juratus conſenſerat Zolkievius, ſubſcribere Rex abnuit; Comitia prætexens, ad quæ rem tantam deferri oporteat. Revera autem id agebatur, ut Smolenſco occupato, Pater ipſe armis victricibus adiret dominatum Moſcoviæ, qui filio præproperè delatus videbatur. Cæterùm Moſchi cunctationem Regis conſpicati, de ſtudiis quoq; erga Vladiſlaum multùm mox remisêre memorabili documento, fortunam, ubi ſe præbet, ſine mora prenſandam eſſe, utendumq; animis, dum urgente periculo & neceſſitate calent. Queſti itaq; Moſci, deſtitutam ſpem ſu-
am

am in Aulâ Regiâ, aliò paulatim vertunt consilia, ubi inprimis Zolkievius, operam suam malè acceptam dolens, relicto intra Metropolim præsidio, cui Alexandrum Gosievium præfecit, discesserat ad Regem. Tum Hermogenes Patriarcha, Gallicinus Dux, Leponorius & alii ex Proceribus Moscorum conspirare adversus Polonos & mox populum trahere in partes cœpêre. Præsidiarii Urbem incendunt, plurimos de plebe trucidant, ita ut flammâ ferroq; penè centum millia hominum perierint; postea fames subiit, non minus Præsidiariis Polonis, quàm populo Moscovitico molesta. Petitur remedium à Rege, non sine multa exprobratione meritorum militarium. Ille minacem militem leniturus, per Legatos pecuniam & subsidia promittit. Ipse interim morarum ad Smolenscum pertæsus, Urbem demiq; summâ vi aggreditur, & virtute ductorum militumque feliciter occupat, primo tum murum conscendente Jacobo Potocio Castellano Camenecensi. Multum quoq; in hoc opere laudis meruêre Dorastaiski Lithuaniæ Mareschallus, Novodworscius Eques Meli-

tensis, Joannes Vejerus Pucensis Præfectus, Stephanus Potocius, & alii, quos prolixiores Commentarii memorant. Smolensco expugnato, in Moschoviæ interiora progrediendum Regi videbatur, ut vacillanti istic Polonorum fortunæ opitularetur. Sed prævaluêre consilia, Vilnam & porrò Varsaviam ad Comitia redire suadentium. Interim Præsidiarii Poloni intra Metropolin Moscorum cum rebelli populo, cum fame itidem & secum ipsi mutuis dissidiis conflictantur. Neq; missum à Rege Chodkievicium, Virum alioquin fortissimum satis reveriti, Strusso ductore, obsequium Regis ejurant. Sed fame tandem evicti, arcem Ducum Moscoviæ sedem, dedunt Moschis, & Strussus multiq; Centuriones carcere, alii miris tormentis & morte deniq; multantur. Quæ extra arcem erant copiæ Polonæ, expilato ærario Moscorum longè ditissimo, in Poloniam redeunt, & mox tripartito agmine Reipubl. bona involant, non minus Patriæ mox graves, quàm hactenus Moschis fuerant. Mosci verò à milite Polono jam liberi alium sibi Ducem Michaëlem Federovicium, sanguine

guine

guine antiquis Moſcoviæ Ducibus innexum, cæterum ætate vix dum puberem adoptant. Ejus Pater Theodorus poſt exactos in matrimonio complures annos, ſacrum vitæ genus amplexus, nomē quoq; mutârat; Philaretus poſtea vocatus: ac non multò poſt Metropolitæ dignitatem adeptus, in Vladislaum Principem, etſi occultè aliò inclinans, inter primos conſenſerat. Et in Poloniâ tum usq; detinebatur, cùm interim filio ipſius Michaeli Moſci Principatum detulêre. Eò ingratior mox Polonis, ſed inter ſuos tanto felicior habitus, cum in patriam reverſus filium tanti Dominatûs rectorem vidit, & ipſe deinde princeps ſacrorum inter Moſcos nominatus, dexterum latus filii in ſolennitatib9 clauſit, novum honorem, quem nulli Duces Patriarchis hactenus habuerant, Patri habente filii pietate.

FLORI POLONICI

LIBER VI.

Ad Lectorem.

QUæ ſequuntur, impari filo adtexta ſunt, obſtaculis quibusdã & Negotiis prægravibus cœpti operis curſum retardantibus: ita ut hic aliqua quidẽ ex gravioribus, non perfunctoriè tractata, cæterorum nonniſi breviſſimum ſyllabum, & quaſi indicem habiturus ſis. Quod ſi Deus vitam & liberalius otium ſuppeditaverit, ad percolenda, quæ hic ſtrictim attigi, addendaq; ea, quæ deſiderantur, accedam. Interim Lector curioſus ea quæ hic deſunt, ex magnis Autoribus, Paulo Piaſecio, Jacobo Sobieſcio, Stanislao Cobierzycio, aliisq; diſcet, quibus & hæc magnam partem deberi fateor, quanquam multa quoq; ex manuſcriptis fide digniſſimis hauſimus.

M* Ilites, qui in Moſcovia hactenus militaverant, eâ ob diſcordias Ducum & ingruentia à Moſcis pericula deſertâ, ſtipendia à

* 1612.

Patria

Patriâ Poloniâ gravissimis exactionibus, factâ confœderatione, emungunt. Quos ut aliò averteret, in Moscoviam jam seriò, sed serò reducere Rex & Proceres Poloniæ cogitant, nullo effectu. In Moldaviâ Constantino Mohilæ Palatino à Tomsâ, ditione suâ ejecto, Stephanus Potocius affinis privatâ autoritate & potentiâ, opem ferre moliens, ad Dziaczam fluvium profligatur. Tartari inde in Poloniam excurrunt, magnam passim pauperiem facientes.

Sequente anno * habentur Comitia, quæ cum militi ingentem à Republ. poscenti summam, nullâ liberalitate satisfecissent, pleræq; Regni provinciæ licentiâ ejusdem gravissimè, & ob æmulorum Ducum discordiam, impunè adhuc premuntur; Tandem confœderatio ista, operâ inprimis Laurentii Gembicii magni tum Cancellarii ejusdemq; simul (quod alioquin insolitum) Episcopi Vladislaviensis, Viri in Republ. magni, Bidgostiæ sopita est. Felix Kriski majus Regni Sigillum, minus suscipit Henricus Firlejus. Stephanus Potocius ex captivitate Turcicâ liberatur:

* 1613.

* Conjuratio militum in latrocinia desiit. Cosaci Zaporoviani captâ Synope (Mithridatis olim Regiâ) Constantinopolim terrent. Gustavus Sueciæ Rex Plescoviâ Moscorum Urbe frustrà obsessâ, postea acceptis in præmium auxilii, nuper per Pontum de la Garde contra Polonos lati, Castellis aliquot, nec non pecuniis reconciliatur Moscis. Samuel Targovius ad Aulam Ottomannicam, ut injurias à Tomzâ & Tartaris illatas quereretur, missus, nihil inde, nisi verba in speciem adornata, refert.

* Sigismundus Myskowski Regni Mareschallus à Vincentio Mantuæ Duce in nomen Gonzagarum susceptus, à Pontifice autem Maximo Marchionis titulo donatus, dum ex Italiâ domum proficiscitur, moritur, vir egregiâ indole, & flagrante apud Regem gratiâ ad summa evectus, sed idem apud cæteros parem fortunæ invidiam expertus. Successit illi Nicolaus Wolski. Mareschallus Curiæ creatur à Rege Andreas Przyemski. Comitia Varsaviæ habita, quibus ineuntur

* 1614.
* 1615.

tur consilia de vindicandis Suecorum, Muldavorum ac Tartarorum injuriis, sed ea sine effectu diffluunt. Conjurationis militaris antesignani quidam, nequicquam obluctantibus aliis, qui militum favorem indulgentiâ captabant, proscribuntur. Tartari denuò populantur Podoliam & Voliniam.

* In Muldaviâ Michael Dux Visniowecki & Samuel Korecki, Duces ambo insignes, & Constantini Mohilæ affines, privatis opibus bellum resuscitant, sed parum auspicatò. Visnovecius expeditioni illi præcoce fato immoritur. Corecius in durissimum carcerem abripitur à Turcis unà cum uxore & Alexandro ac Bogdano Mohilis, affinibus suis. Rex habitis Comitiis, fines adversum Turcarum vim muniri curat; Bellum verò, damnatâ tandem sinistrâ priorum consiliorum lentitudine, in Moscos; ductu Vladislai Principis, administrandum decernit. Eidem Principi adjungitur Carolus Chodkievicius Dux exercituum Lithuaniæ, adjungũtur item, ut necessariorum consiliorum participes sint, viri in

* 1616.

Republ, primarii Andreas Lipski Episcopus Luceoriensis, Stanislaus Zoravinski Belzensis, Constantinus Plichta Sochaceviensis Castellani, Leo Sapieha Cancellarius Lithuaniæ, Petrus Opalinski Præfectus Sremensis, BalthasarSzaviniusPræfectus Mozyrensis, Jacobus Sobieski Palatinides Lublinensis, Andreas Męcinius. Zolkievius supremus exercituum Regni Dux, Principem non comitatur, alibi ad Turcarum motus, qui Poloniæ fines circumstrepebant, vigilem & accinctum habere militem jussus: Et expeditionibus Moscoviticis favere is desierat, postquam prosperrimi ejus in illo imperio conatus successusq; adversis Aulæ consiliis destituti, interciderant.

* Felix Kriski Cancellarius moritur Vir magnæ facundiæ. Vladislaum Principem, Moscorum fines ingressum, Viasmæ hyems sistit, & Moscis moram præbet cogendi vires suas. Ad Bussam habito inter Zolkievium & Skinderbassam tractatu antiquum jus Polonorum in Moldaviæ Principatum remittitur, vel certè multum imminuitur: famâ hincZolkievii

* 1617.

vii magni alioquin Viri inter adverſa æmulorum judicia plurimum laborante. In Livonia Sueci bellum cum Polonis, durantibus adhuc induciis, inchoant, concitore Farensbachio. Pernaviâ & Dinamundâ celeritate Suecica oppreſſis, Riga aliquandiu reſiſtit.

In Comitiis * conſultatur de Principis Vladislai cœptis in Moſcovia provehendis, & de Livoniâ contra Suecos tuendâ. Stanislaus Zolkiewski Dux exercituum accipit à Rege majus ſigillum, multis indignantibus, præcipuè Ducibus Zbaraſianis ipſius æmulis. Minus ſigillum datur Andreæ Lipski obſervationum judicialium, quæ extant, autori. Vladislaus poſt occupatum Drohobuzum, Viaſmam, Boriſſoviam, tandem fruſtra tentato Moſaiſco, Principi Moſcorum Civitati exercitum admovet, ſed ſubinde miles ſtipendia poſcens rerum benè cedentium curſum interrumpit & ſeditionem minatur. Hinc cum & Moſcos pertinaces experiretur, inducias cum illis ad annos quatuordecim & ſex menſes, Patre Rege & uſu Reip. ita poſcente, paciſcitur. Illis induciis multæ ditiones & Urbes accrevêre Polo-

* 1618.

niæ, Smolenſcum nuper à Rege occupatum, Biala, Roslavia, Drohobuſium, Sierpieſcum, Trubeckum, Novogardia Severiæ, cum territoriis ſuis, Czerniechovia, Monaſtercum, Meronskum, item Starodubum, Poczepovia, Popovagora, Newela, Siebiezo, Krasno & Toropecenſes Vielicienſesq; agri. Reſtituuntur libertati Nicolaus Struſſus, Charlinius, Chocimirus aliiq; intra Metropolin Moſcoviæ detenti. Vicisſim quoq; Philaretus Roſtovienſis Metropolita, Magni Ducis pater, Gallicinus item, Lugovius, Sehinus cum uxore redduntur Moſcis. Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæq; titulos Magnus Dux Moſcoviæ penitus remittit. In Livoniâ Farensbachius ad partes Sigismundi redit. Zolkievii cum ætate ſeneſcit fortuna. Tartari impunè populantur Ruſſiam. Eo nomine multorum lingvis vapulat Zolkievius.

* Bello Bohemico Ferdinandum Imperatorem, ſubmiſſis copiis Ungariam vaſtantibus juvat Sigismundus. Janusſius Dux Oſtrogiæ Caſtellanus Cracovienſis Vir præpotens opibus decedit, relicta Domi-

* 1619.

Dominico Duci Zaslaviæ ex filiâ genito ſplendidisſima hæreditate.

* Bethlehemus Tranſylvanus Sigismundo Regi ob præſtita Imperatori auxilia infenſus, Turcam adverſus Poloniam concitat. Gratianus Muldaviæ Palatinus Zolkievium ad Moldaviam ab Imperio Turcico vindicandam invitat, promptam manum & ſuorum operam offerens. Idem Zolkievius ſcripta ad Regem epiſtola cauſas exponit, quibus ad arma in Turcicas ditiones transferenda impellatur, & quaſi ultimum pugnaturus Regi valedicit, filiumq; ſuum commendat. Is poſtea in Moldaviæ interiora progreſſus prope Cicioram cum Skinderbaſſa infeliciterpugnat, miles ejus deinde in caſtris tumultuatur & quidam aufugiunt. Caſtra denique oppugnantur & octo diebus contra hoſtem fortiſſimè defenſa tandemcapiuntur à Skinderbaſſa & Tartaris. Zolkievius, cùm ſe periculo ſubducere noluiſſet, obtruncatur, vir togâ, ſed magis ſago eminens, Regi ad extremum uſq; carus. Stanislaus Koniecpolski Dux Campeſtris captus Con-

* 1620.

Constantinopolim abducitur, uti & Samuel Korecki. Capti item Joannes & Lucas Zolkievii, Nicolaus Struss Halicienfis Præfectus, Martinus Kazanovius, Nicolaus Potocius, Vlodomirus Farensbach, AlexanderBalaban & alii. Sub hoc tempus Basilio Szviski magno olim Duci Moscoviæ, & Fratri ejus Demetrio militiæ Præfecto Anno 1611. Gostini in liberali custodiâ mortuis, Sigismundus Rex in Suburbio Varsaviensi sepulturæ, & simul suarum de Moscis victoriarum monumentum erigit. Non multò post ictu ferali Sigismundum Regem percutit quidã infandi nominis, sed mentis imminutæ homo, & ideo ad Curatores dudũ missus. Subita tanti casûs fama & Aulam totam & ordinesReip. Comitiis tum vacantes, vehementer perculit. Ægrèq; jam creditum fuerat Regem vivere, nisi consilioLaurentii Gembicii Regni Primatis, Rex de fenestrâ se ostendisset populo. Sicarius post exquisita tormenta ignitis forcipibus carpitur, tandem in partes distractus comburitur à Carnifice. Osmanes Turcarum Imperator juventâ & odio in Polonos ardens, stimulante Skinderbassa

baſsâ, Tomzâ, aliisq; bellum parat adverſum Poloniam, Otſinovium Sigiſmundi Regis internuncium contumeliosè habet. Venceslaus Comes de Lesſno ſuſcipit minus ſigillum Regni. Stanislao Zolkievio in belli regimine ob æmulationes multorum cunctatur Rex ſucceſſorem dare.

* Interim, quod à Turcis bellum Poloniæ imminere videret, Principes Chriſtianos ad belli Turcici ſocietatem invitat, aut potiùs opem eorum contra communem Chriſtiani nominis hoſtem quærit. Sola Anglia ſpem auxilii Legato Regis Georgio Oſſolinſcio facit, cujus ea de re ad Jacobum Britanniæ Regem extat oratio. Rex habitis Comitiis omnes Regni ſui vires ad idem bellum commovet, ſumma ejus curâ Carolo Chodkievicio magnis rebus geſtis inclyto Duci, demandatâ. Cui ſocius laboris adjungitur Stanislaus Lubomierſcius Regni pocillator, Vir conſilii, armorumq; gloria potens, & totius belli hujus conſummator. In ſtipendia militum magna decernuntur tributa. Ordo Eccleſiaſti-

* 1621.

siasticus celebrato Petricoviæ conventu, ad hoc bellum centum & quinquaginta millia florenorum promittit. Privatis sumptibus adornant, atq; ad Chodkievicium mittunt cohortes suas Duces Czartoricensis & Zaslaviensis, Raphael Comes de Lesno Palatinus Belzensis, Petrus Opalinski Castellanus Posnaniensis, Joannes Stanislaus Sapieha Magnus Lithvaniæ Mareschallus, Jacobus Sobiescius Palatinides Lublinensis, item Szaskievicius, Malinscius, Raseczenius & alii; Plurimis item turmis suo impendio conductis auget exercitum Stanislaus Lubomirski. Cosacis ad exercitum Polonum inter multa ab hoste discrimina tendentibus, Petrus Konassevicius homo nobili audaciâ & multis egregiis facinoribus insignis obviam mittitur: quem postea illi, rejecto, tandemq; capitis damnato Borodawka, homine ignavo atq; ebrioso, suæ militiæ Ducem creant. Rex ordinem Equestrem ad expeditionem generalem paratum esse jubet. Interim ad castra Chodkieviciana præmittit Vladislaum Principem. Cujus prætorianam cohortem regit Adamus Kazanovius. In

hac

hac militabant Januſſius Dux Viſnovecius, Adamus Przyemſcius, Andreas Firlei, Paulus Dzialinſcius Bratianenſis Præfectus, Stephanus Koniecpolſcius, Sigismundus Tarlo, Thomas Sobieski. Sequebantur eundem Principem Joannis Wejeri Palatini Culmenſis, Erneſti ac Gerhardi Dönhofiorum pedites Germani, Ungari item ſub ductu Nicolai Kochanovii, haſtati præterea Equites Pauli Volucii Epiſcopi Vladislavienſis, Nemiræ Podlachienſis, Conſtantini Sockaczovienſis Caſtellani: Velites deniq; Gniewoſſii, Zborovii & aliorum.

Exercitus Polonus Tyram fluvium transgreſſus in hoſtico ad Chotimum caſtra metatur. Quadringentos Coſacos errore à cæteris avulſos, toto triduo omnibus viribus oppugnat Oſmannes, tandemq; in ſpecubus deliteſcentes maximâ difficultate capit, atq; ipſe ex iis nonnullis gladio ſuo transfigit, cæteros ad arborem alligatos transfigi jubet, præſens ipſe carnificinæ iſtius ſpectator. Cum cæteris Coſacis ad exercitum Polonum tendentibus toto octiduo luctatur exercitus Turcicus, quem Oſmannes Imperator ingentem

gentem adduxerat. Illorum triginta millia, datis in ipso itinere egregiis virtutis speciminibus, ad exercitum Chodkievicii mense Septembri accedũt, Duce, illo, quem dixi ante, Konasevicio, inter suos Sahaidacznik â pharetrâ cognominato. Illis auxiliatoribus Chodkievicius & Lubomirscius ante Vladislai Principis adventum, auspicatis dimicationibus congressi, optata belli in futurum auguria & præludia edunt; Cæso inter alios Vsaim Bassâ, successore Skinderbassæ, Præfecti Silistriensis, hominis Poloniæ multis damnis oppidò cogniti. Tartarorum Regulus Cantimiri apud Osmanem gratiam malè ferens, frigidius rem Turcicam agit. Christianus Vevellius natione Cretensis â Muldaviæ Duce mittitur ad Polonos, ostentamenta pacis â Domino suo cen sequestro offerens: Qui pro exploratore habitus non illico fidem reperit. Cosaci in castra Turcarum irrumpunt, & sequentibus deinceps Polonis, diripere incipiunt. Chodkievicius cum multi omnem exercitum illuc effundendum esse suaderent, noctem ingruentem, tum avidos suorum ad prædam ani-

mos & alia pericula veritus, prudenter continet militem. Gregarius miles in Muldavos promiſcuâ cæde, injuſſu Ducis, ſævit. Schlakovii & Zyczorii cohortes ſecurius agentes cæduntur â Turcis. Hos poſtea ferocius inſultantes memorabili, ſtrage afficit Chodkievicius. Cui irâ fœmineâ illachrimatus Oſmannes, ſuorum ignaviam magnis querelis incuſat. Eo congreſſu inter alios perit Nicolaus Zienovicius Caſtellanus Polocenſis magno Chodkievicii & omnium luctu. Karakas Baſſa Budinenſis Præfectus caſtra Oſmanis ingreſſus dum cæteros ejus Duces novo & inſigni facinore ignaviæ convincere nititur, poſt factam in Polonos validam impreſſionem fortiſſime repreſſus & ab Vſaimo, æmulo ſibi Duce, deſtitutus cadit. Moſcinius, Ungarus proditor, â Turcis diſſecatur. Coſaci ob defectum annonæ turbidi, & penè abitum minantes, longa pactione mercedem nundinantur cum Ducibus. Sed â Vladislao Principe per Petrum Opalinſcium, Stanislaum Lubomirſcium, Jacobum Sobieſcium promiſſo quinquaginta millium florenorum donario pacantur. Poſtea ſeditio-

nis.

nis crimen expiaturi in Caſtra Turcica furtim irrumpunt & opimam prædam auferunt.

Dilaver Baſſa Meſopotamiæ præfectus Supremi Veziri dignitatem ab Oſmano impetrat, deturbato Uſaimo, quod hoc conſiliorũ belli arbitro improſperè Turcis res cedere viderentur.

Tartari pabulationes undequaq; prædabundi infeſtant. Annonæ defectum in caſtris Polonicis ſequuntur morbi varii. Ipſe Vladislaus Princeps aſſiduò ferè ægrotat. Et Chodkievicius jam dudum, ægre ſe ſuſtentans, tandem morbo & naturæ concedit, inter maximos ſeculi Duces numerandus. Zelinſcius, urgente Vevellio, ad Oſmannem miſſus à novo Veziro Dilaverio bona ad pacem indicia refert. Stanislaus Lubomirſcius Chodkievicii defuncti locum nobiliſſimè implet. Fekieti Ungarus furtivis excurſionibus Turcæ damna infert: Oſmannes die Venceslai acerrimâ impreſſione caſtra Polonica invadit. Pruſſinovianæ ibi legioni prætoria Vladislai cohors, ipſo Principe fortiter animante, tum & Lubomirſcius ipſe cum delectis ſuccurrit.

Szem-

Szembergius, Rzecicii fratres, Thomæ Zamoſcii Palatini Kiovienſis cohors inter alios ſtrenuè ibi rem gerunt. Turcæ plurimis ſuorum amiſſis turpiter recedunt. Caſtrenſium morborum lues exercitum Oſmannis, & juxta ſuperbos ejꝰ ſpiritus mirificè imminuit. In caſtris Polonicis pabulum equis & pulvis tormentarius deficere incipit. Habito apud Vladislaum conventu, propoſita à Vevellio pacis conſilia Polonis acceptanda videntur: deſtinanturq́; feciales Stanislaus Zuravinſcius Caſtellanus Belzenſis & Jacobus Sobieski Palatinides Lublinenſis. Per eos Lubomirſcius ad Oſmanem & ſupremum Vezirum ſcribit literas. Legati cum Radulone Valachiæ Palatino primùm miſcent ſermones. Turcæ interim ſtationem Lubomirſcianam aggreſſione tentant, ſed acri Polonorum virtute repelluntur. Ibi Krinicius cohortis Pruſinovianæ Subpræfectus victoriæ immoritur, Kopyczynius vir ſtrenuiſſimus periclitatur de vitâ. Panowce à Joanne Potocio Palatino Braclavienſi extructam olim arcem fruſtra oppugnant Turcæ. Iidem variis rationibus, minis-

que

que Polonos à Coſacis paciſcendo avellere, & aliqua Imperatori ſuo quaſi tributa annua evincere nituntur. Tartari Duce Muradino Chani fratre in Volhynenſem & Belzanam uſque terram progreſſi, latè omnia populantur. Nicolaus Coſacovius Præfectus Viſnenſis objecta à Tartaris impedimenta fortiter eluctatus, alimenta in caſtra Polonica advehit. Sigiſmundus Rex cum minoris Poloniæ nobilitate Leopolin usq; progresſus, ſine cæterorum Palatinatuum Civibꝰ ad bellum proficiſci cunctatur. Interim de pace cum Turcarum Imperatore factâ, accipit nuncium. Quæ IX Octobr. promulgatur. Poſtero die abeunt Turcæ, nullo ingentium moliminum ſuorum & tanti ſanguinis pretio, maximo contra ſuorum damno cum ad 60. millia hominum hoc bello perdiderint, pluresq; in reditu autumnus abſumpſerit. Stanislaus Suliſtovius Oſmanem comitatur Conſtantinopolin magni Legati Polonici prodromus. De pace factâ ad ſummum Pontificem Rex ſcribit, rationesq; ediſſerit, ob quas eam fieri oportuerit, factum nonniſi ab eo reprehen-

ſum irriſperans, qui alieno diſcrimine ſpeciem ac famam fortitudinis captare velit. Eidem ſummo Pontifici eximia magnæ indolis ac virtutis ſpecimina à Vladislao filio ſuo, hoc ipſo bello edita, commendat Pater.

Durante bello Turcico Guſtavus Suecorum Rex opportunam ſibi contra Poloniã tempus offerri gaudens, Rigam Livoniæ metropolin obſidet. Quæ principio ſpe auxilii Polonici aliquantum obniſa, tandem invitante eorundem ſacrorum communione, dedit ſe Suecis, in quâ totam penè Livoniam perdit Polonia.

* Staniſlai Lubomirſcii tùm exercitum regentis virtuti ac ſplendidiſſimis meritis ſolitâ liberis linguis licentiâ obloquuntur æmuli. Miles ob ſtipendia tumultuans ægrè ſedatur. Conditiones tamen exortæ ſatis duræ nimirùm tria ſtipendia, ſupernumeraria item, pleniſſima malè conſultorum turbarumque militarium impunitas, nec non largior inpoſterum ex præfecturis Regiis liberalitas & alia multa: nonniſi neceſſitatis colore

* 1622.

colore excusanda. Constantinopolim mittitur Christophorus Dux de Zbaraz, vir natalibus, fortunis, studiisq; popularibus in Poloniâ potens. Osmanes à tumultuantibus Janizaris occiditur, Mustafâ Patruo in ejus locum surrogato. Interimuntur etiam præcipui Osmanis familiares & Consiliarii. Sbarasianæ Legationi, fluctuante ita regimine Turcico, mora injicitur.

* Rex cum familiâ in Prussiam proficiscitur. Gustavus Sueciæ Rex pariter littora Prussiæ speculatur. Christophorus Sbaravius Dux Legationis suæ munia Constantinopoli splendidissimè implet, prosperèq; Stanislaum Coniecpolscium Campiductorem Poloniæ à captivitate liberat. Mustafa, ut impar imperio, rejicitur à Turcis, suffecto in ejus locum Amurathe Osmanis fratre. Capti ad Ciecoram Proceres quidam in patriam redeunt Crimo. Tartari ipsi Russiam depopulantur, pactorum Chotimensium securi. Rex Comitia agitat Varsaviæ, in quibus consilia Equestris Ordinis moderatur insignis ille Jacobus Sobieski Lublinensis Palatinides,

* 1623.

nides, tandem Caſtellanus Cracovienſis, ac princeps Senator, vir ut natalibus, ſic ingenio & doctrinâ longè eminens, autor elegantiſſimi commentarii, quo bellum Chotimenſe, cui ipſe interfuit, cordatè deſcribitur. * Comitia habentur Varſaviæ, quibus perſtringuntur & abrogantur ſuppetiæ Imperatori à Rege ſubmiſſæ. Suſpiciones item promuntur ortæ ex Comitatu Zywecenſi à Reginâ empto, tum & Epiſcopatu Varmienſi dato contra leges uni filiorum Regiorum Joanni Alberto. Chodkievicio ſummo nuper exercituum Lithvanicorum Præfecto ſucceſſor datur Leo Sapieha, Palatinus Vilnenſis, indignante Chriſtophoro Radzivillio Duce, qui Campiductor cum eſſet, proximâ ſpe illi muneri jam dudùm imminebat claritudine generis, tùm bellicâ virtute & meritis nullo habitus inferior, ſed Sigiſmundo multas ob cauſas minus gratus. Induciæ cum Guſtavo Rege Sueciæ initæ prorogantur. Majus ſigillum, Venceslao Leſczynski, minus Stanislao Lubinski confertur. Stanislaus Coniecpolski ex Turcicâ captivitate re-

* 1624.

dux Cantimirum Tartarum prope Haliciam fundit. Vladislaus Princeps per Germaniam, Belgium, Italiam, Romam proficiſcitur, ubiq; gratus & decentiſſimè exceptus. Coſaci per Pontum Euxinum propè ad ſuburbia Conſtantinopolitana perveniunt, opima ſpolia inde referentes.

* Militiæ Lithvanæ regimen, per æmulationes turbatum, animos addit Suecis Livoniam tenentibus. Nec ſumptus ad bellum neceſſarios decernunt Comitia, propter contagioſos morbos, Varſaviæ gliſcentes, minùs tum frequentia. Inter Academiam Cracovienſem & Patres Jeſuitas magnæ contentiones oriuntur. Bellum Sueci redintegrant in Livoniâ, & in finibus Samogitiæ, Birzas capiunt, hæreditariam Radzivilliorum arcem. Mox & in Pruſſiam ſibi per Pilavienſem portum occultis artibus moliuntur aditum. Anna Princeps, Sigismundi Regis Soror, eundemq; in Poloniam ſecuta, & à fratre, in exilii ſolatium, conſentiente Republ., præfecturam Brodnicenſem & Golubianam adepta, moritur,

* 1625.

moritur, Virgo insigni virtute animi morumq; innocentiâ. Ejus sepulchrum extat Thorunii in templo Virginis Deiparæ. Præfecturæ eâ morte vacuæ voto plerorumque Vladislao Principi, recens tùm ex peregrinatione, qua egregiam de se passim famam præsens plurimùm auxerat, reverso destinabantur. Sed eas Rex Reginæ dedit, indignante, & beneficio huic, tanquam inconsulta Republ., collato gravissimis contradictionib9 obstrepente Ordine Equestri. Cosaci Tauricam, inconsulto Rege, infestant. Inde aula Ottomannica violata pacta Chotimensia objicit Poloniæ. Coniecpolscius Cosacos compescere incipit.

* Gustavus Rex Sueciæ per Pilavianũ portũ ingreditur Prussiam, capit Braunsbergam, Frauenburgum, & in eo sacram supellectilem diripit, deinde Elbingam unam ex primariis Prussiæ Regalis Civitatibus, tertio post die Mariæburgum, nullo negotio occupat. Polonia nihil tale verita, serò ex Russia evocat copias. Et circa belli Prussici regimen diu Aulæ consilia vacillavêre, aliis Vladislao Prin-

* 1626.

cipi, aliis Thomæ Zamoſcio Palatino tùm Kiovienſi id deſtinantibus. Sed pervicit Caſpar Dönhovius gratiâ apud Regem præpotens, qui StanislaoConiecpolſcio adminiſtrationem belli demandandam ſvaſit. Sveciæ interim Regi, Meva, Derſavia, oppida Viſtulæ adſita deduntur. Derſaviam poſtea obſidet Coniecpolſcius Campiductor. Rex Sigiſmundus Pruſſiam ingreſſus, Gedanenſium opera, adverſus hoſtē ſtructa, præſens ſpeculatur. Thorunii poſtea Comitia habet, ubi in ſumptûs belli tributa ſciſcuntur. Mortuo Archiepiſcopo Henrico Firley ſurrogatur Joannes Węzik Epiſcopus tùm Poſnanienſis. Stephanus Chmelecius inclytus Bellator in Ruſſiâ, Coniecpolſcio Campiductore interim in Pruſſiâ cum Svecis luctante, feliciter Tartaros refrænat.

*Coniecpolſcius verò Svecos Arci Pucenſi inſidentes, tùm auxiliares Svecis è Germaniâ miſſos ad deditionem felicitèr cogit. Guſtavus Rex circa propugnaculum Gedanenſium in Inſulâ minori graviter ſauciatur. Inter Mevam & Derſaviam

*1627.

ſaviam velitationes fiunt, Coniecpolſcio majores ex Poloniâ copias ad tentandã juſti prælii fortunam expectante. Guſtavus Rex denuò ex caſtris Polonicis, quæ parùm felici ſucceſſu invaſerat, vulneratur. Ordines fœderati Belgii, miſſis Legatis, pacis conſilia partibus offerunt. Sed ea diſturbant Imperiales miniſtri, qui Guſtavum bellis Pruſſicis à Germaniâ abſtinere nitebantur, claſſem & pecuniam offerentes Polonis. Comitia habentur Varſaviæ, magis de malignioribus in Livoniâ & Pruſſiâ ſucceſſib9 querula, quàm ſolicita de remediis. Minus ſigillum datur Jacobo Zadzik Epiſcopo Culmenſi, Viro ſumma omnia merenti. Claſſem Hiſpanicam fruſtrà expectat Sigiſmundus Rex, ſuã interim, qualẽ poterat, Gedani proprio ſumptu adornat, non Sueciæ tantùm, ſed & Daniæ Rege ægris oculis hos Poloniæ apparatus maritimos adſpiciente. Suecicæ naves portui Dantiſcano circumfuſæ ab Appelmanno Polonicæ claſſis præfecto, navigiis Dantiſcanis ſtrenuam operam adnavantibus, profligantur, una ſubmerſa, duæ captæ.

* Exercitus Polonus ad secessionem ob non soluta stipendia, quàm ad bellum continuandum pronior, serò ex hybernis in Prussiam, superioris anni expeditione exhaustam, revertitur. Castra ad Grudentum locantur, Gustavo Rege Culmensi provinciæ imminente. In Comitiis contenditur cum Lithuanis, magnæq; suspiciones in unum ex Ducibus exercitûs eorum, tanquam per occulta & magis fida in hostes propensum, acres etiam in Ducem Prussiæ querelæ, eodem nomine erumpunt. Cujus pedites bis mille ex lege feudi in subsidium Polonis missi, sine negotio à Suecis intercipiuntur. Venceslao Lesczynscio defuncto, majoris sigilli curam suscipit Jacobus Zadzik, minoris Thomas Zamoscius, qui ideo Palatini Kioviensis dignitatem, etsi loco longè superiorem, deponit. Legatus Hispanicus Baro de Auchi consilia pacis cum Gustavo apud Regem usq; moratur. Quam pacem expetens Nobilitas in exigua tributa consentit. Classis Regia Vismariam abducitur. Gedano interim tanto gravius assul-

* 1628.

tant Sueci, Neringam ingressi: strenuâ tamen Gedanensis præsidii virtute repelluntur, plus quam ducentis ibi amissis militibus. Coniecpolscius militum copiis maligniùs instructus, hostem morari magis, quàm urgere quærit. Qui Vistulâ, lintribus omnium opinione citiùs trajecto, Nove oppidum & in eo apparatum belli Polonis subripit. Cosaci ductu Stephani Moczarscii eundem locum recuperant. Gustavus Brodniciam intercipit. Baudisius Tribunus Suecicus funditur capiturq;.

Brodnicia eminùs ab exercitu Coniecpolscii constricta ad penuriam annonæ redigitur. * Sublevatur à Joanne Vrangelio, obsessoribus securitatem suam & pravum regimen ad Gorzno oppidum non levi strage luentibus. Nec destinata his auxilia, Castellano Camenecensi Ductore, maturè satis succurrerunt, Coniecpolscio tùm Varsaviæ novam à Comitiis opem postulante. Stanislaus Lubinski Episcopus Plocensis acribus epistolis cum Electore Brandeburgico expostulat, Vrangelius Thorunium celeritate

* 1629.

opprimere conatus, virtute civium, præeunte Comite Gerhardo Dönhofio, (qui postea Palatinus Pomeraniæ,) fortissimè repellitur. In Comitiis ingravescens hostium potentia consilia Ordinum, & ad tributa liberalitatem acuit. Consensum ibidem in auxilia Imperatoris, quæ dudum oblata populus ut libertatis, ita suspicionum pertinax hucusq; respuerat. Arnheimius copias Cæsareas adducit. Coniecpolscius equitatu suo & novis peditum auxiliis animosus, prope Lusnam cum hoste feliciter bis confligit, Suecis Stumam, post cladem acceptam, se recipientibus. Et ipse Gustavus Rex fortiùs apprehensus, quàm servatus, petaso amisso, ægrè evasit, Ringravius junior tùm cæsus, capti primipilares admodùm ducenti; signa adempta quindecim, sed victoriæ, non instando, fructus perditur. Arnheimianus exercitus ad Album montem magno conatu nihil agit, Duce ejus occultis cum Wallensteinio consiliis aliò, quàm præ se ferret, flectere multis viso. Rex Sigismundus æger castra deserit. Arnhemio revocato successor mittitur. Dux Lauenburgicus & Mansfeldicus Comes

mes. Coniecpolſcii Mariæburgo imminentis deſtinata, cœptis cum Sueciâ, pario Electore, tractatibus ſiſtuntur. Peſtis exercitum atterit, & metu contagionis parcè annona advehitur. Tantò faciliùs conſilia pacis amplecti lubuit, Galliæ & Angliæ Legatis id negotium ſollicitè agentibus. Tandem ſpretâ pace perpetuâ, in inducias ſex annorum conſenſum. Quibus Elbinga, Braunsberga, & portus Pilavienſis Sueciæ Regi conceſſus, Arcis Mariæburgenſis cuſtodia ſequeſtro Electori datur. Qui viciſſim Memelam ad finem usq; induciarum Sueco tenendam tradit. Ratihabitio à Comitiis expectari jubetur. Ibi Rex diu obluctatus, vix ab Ordinibus Regni perſuadetur, ut ſubſcribat. Peſtis bello ſuperſtes latè ſævit. Tartari, Chani fratre & Cantimiro Ducibus, in Voliniam effuſi. à Stephano Chmelecio & Stanislao Lubomirſcio illo Kioviæ, hoc Ruſſiæ Palatino memorabili pugnâ ad Burſtinowo cæduntur. Captus Chani frater junior cum bis mille Scythis gregariis.

* Coniecpolſcius pactis cum Sveco induciis militem ſeditiosè ſtipendia poſcentem per hyberna dislocat. Coſaci incentore Archimandritâ Kiovienſi rebellant, Hrickone ductore ſuo & quibusdam cohortibus Regiis vi ſubitâ oppresſis. Iidem à Coniecpolſcio circa Pereaslaviam circumventi, multo ſangvine fuſo, ſeditionis Duces ad Comitia mittere ſpondent. Miles poſtea Reipubl., factâ pariter, ad Gliniani, conſpiratione ſecedit, ægrè â Rege ſumptis ex Reginæ ærario in fidem publicam præmiis promisſisq; aliis delenitus. Auxiliaribus Cæſaris copiis à Polonis præmia laborum dari Vallenſtenius Dux acerbis flagitationibus poſcit, non memor, Polonicis copiis toties in Germaniam ſubmiſſis nulla exquiſitè ſtipendia vel data vel poſtulata fuiſſe. Ad Turcarum Imperatorem mittitur Alexander Piaſieczynski de incurſionibus Tartarorum queſturus. Chmelecius Vir Tartaricis victoriis inclytus anginâ moritur, magno Reipubl. damno & luctu. Idem hic annus abſtulit alios magni nominis viros Euſtachium Volowitz, Martinum

* 1630.

tinum Szyskovium, illum Vilnensem, hunc Cracoviensem Antistitem. Nicolaus item Volski ad octuagesimum annum perpetuò peregrinatus, nunc demùm quietem moriendo invenit. Propter pestem passim in Poloniâ incrudescentem Rex Varsaviâ Ocieckum primò, deindè Tikocinum secedit.

* Comitia Rege ægro habentur Varsaviæ. Suspicionibus de Regno in hæreditatem redigendo ex voto Ordinum Rex medetur, promittens inter alia, cuivis nobilium fas fore, Zywecensem Comitatum, quem Rex emerat, quolibet tempore redimere: & Filium Regium Joannem Albertum Episcopatum Varmiensem non ante aditurum, quàm ætate maturus, Reipubl. fidem jurejurando obligâsset. Vladislaus Princeps refocillandæ valetudinis causâ Egram contendit, acidulis istic usurus. Constantia Regina celeberrimo Sacri Corporis Christi festo, supplicationi publicè diutius sub sole fervido operata, dùm æstum lotione frigidâ restringvere malè consulti Medici nituntur, in acutam febrem incidit,

* 1631.

quâ omnium opinione citius, maximo Domûs Regiæ dolore extinguitur, Princeps omni genere virtutum eminentissima. Reginam paucorum dierum intervallo ſecutus eſt Georgius Dux in Zbaraz Caſtellanus Cracovienſis, vir Ordini Equeſtri, quàm Aulæ gratior, Zbaraſiorum ultimꝰ, Veneris legitimæ adſpernator, domûsq́; tandē ſuæ antiquo ſplendore clarissimæ extinctor; quippè qui & Fratri ſuo Chriſtophoro matrimonii perpetuus disſvaſor, orbus orbū non ita dudùm tumulaverat. Obiit tùm quoq́; Andreas Lipski Epiſcopus Cracovienſis, vir juris prudentiſſimus, moribus auſterior. Cæſariano militi, quingenta millia aureorum nummorum Polonicorum per delegatos Regios in præmium militiæ Prusſicæ perſolvuntur. Guſtavus Sveciæ Rex, ſuperiore anno Imperatorem adortus, novum fœdus cum Saxone & aliis Proteſtantium Ducibus pangit. Magdeburgum à Tillio & Pappenheimio expugnatum miſerrimis modis in cineres redigitur. Tillius poſtea apud Lipſiam memorabili prælio vincitur à Svecorum Rege & Electore Saxoni-

xoniæ; Indè Germaniam Svecus, Bohemiam Saxo ſine obſtaculo pervagatur.

* Guſtavus Sveciæ Rex, Tillio iterùm ad Donaverdam victo,& ex ictu tormenti Ingolſtadii extincto; difficilius negotium habet cum Wallenſtenio, qui ab Imperatore rebus creperis ad ſuſcipiendum belli arbitrium, ſed jam legibus ſolutius revocatus, ad Noribergam caſtra munit, ex quibus omnes Guſtavianos impetus eludit ſiſtitq;: poſtea in Miſniam ducit, cujus majore parte occupatâ, apud Lutzenam confligit cum Rege Guſtavo. Qui fortitèr pugnans binis vulneribus animam effundit, fato, in bonum Eccleſiæ, arctioribus terminis, quàm ipſe & clientes ſociiq; ipſius ſperaverant, ingentium auſorum curſum claudente. Pugnam eandem Bernardus Vimarienſis continuat, ancipiti aliquamdiu fortunâ, ſed campo deniq; cedere cogit Cæſareanos, caro emptâ victoria, cujus pretium Guſtavus erat. Rex Sigiſmundus ætate & mærore langvidus in Comitiis uſum bonorum Regalium, quæ Mater Conſtantia tenuerat, in alimenta filiorum ſuorum,

&

* 1632.

& uni porrò eorum Joanni Alberto Episcopatum Cracoviensem ab Ordinibus impetrat. Tum vicissim Rex arbitrium monetæ cudendæ, Regibus hactenùs proprium, cum Ordinibus partitur. Idem de successore nominando scrutatur Procerum Civiumq; voluntates, verùm occultè & nullo effectu; Ordinibus curam hanc fato & liberæ electioni præripi nolentibus. Sed eam tùm præcocem visam, necessariam mox fecit subsecuta mors Regis. Dùm enim is defunctam Conjugem Cracoviam ad avitum Mausolæum deportare cogitat, ætatis anno 66, potentiæ 44; catharro extingvitur princeps formâ augustus, vitâ religiosus, justus, providus, fortunâ variâ, animo semper idem.

INTERREGNUM.

JOhannes Węzyk Archiepiscopus Gnesnensis Regnique Primas, Ordinibus mortem Regiam significat, simulq; justitium & conventuum per Palatinatûs habendorum tempus indicit. Primo conventu

ventu (3 Junii celebrato) Ordo Equeſtris Directorem conſiliorum eligit Chriſtophorum Radzivillium Campiductorem Lithvaniæ. Prætentantur omnia, quæ ad promovendam animorum concordiam facere viderentur: præcipuè inter Ordinem Eccleſiaſticum & Civilem, deindè inter diſſidentes de Religione, atq; inprimis Græci ritûs. Tuendæ ſecuritati publicæ Judices ad ſubita caſuum, necnon Tribuni in cuſtodiam ſingulorum Palatinatuum conſtituuntur. Sed præter omnium opinionem quieta omnia, & vani deprehenduntur metus, quos de factionibus nonnullorum conſiliisq; ultra fines Regni proſpectantibus multi prudentes ſibi finxerant. IV Calend. Octob. ad electionem novi Regis congregantur Ordines omnes. Ordo Equeſtris ad conſiliorum ſuorum regimen Jacobum Sobieſki Inciſorem Regni, virum inter primos ſeculi experientiâ rerum numerandum deligit, & mox ſeorſim à Senatu ſub dio, ea quæ præſens rerum ſtatus requirebat, tractare incipit. Primùm cum diſſidentibus in Religione acritèr contenditur, qui majora ſacrorum ſuorum ſtabi-

ſtabilimenta requirebant. Conſentitur tandem, interponente ſe Vladislao Principe, in formulam ſecuritatis conventu ſuperiore approbatam. Eodem arbitro alia quædam diſſidia compoſita. Deliguntur ex triplici Ordine viri, qui Eccleſiaſticos cum Nobilitate conciliarent. Alii, qui legum, alii qui monetæ correctioni ſeſe intenderent. Conſultatum item de publicorum Regni bonorum diſtributione non ad arbitrium favoris, ſed ad meritorum trutinam inpoſterùm exigendâ. Regis defuncti quatuor filii fratri ſuo natu maximo Vladislao ſceptrum Poloniæ dari petunt, præeunte Joanne Caſimiro. Illis Archiepiſcopus Węzyk nomine Senatûs, Sobieſcius nomine Ordinis Equeſtris reſpondet. Audiuntur ſummi Pontificis, Imperatoris, Guſtavi Regis Sueciæ Legati. Cum Brandeburgicis Legatis expoſtulatur acriùs. Conditiones futuro Regi proponendæ per ſelectos ex omnibus Ordinibus viros primarios ſcribuntur. Vladislaus unanimi omnium conſenſu renunciatur, & ab Archiepiſcopo nominatur Rex Poloniæ; Qui ad altate templi Johannis Baptiſtæ

tiſtæ jurat, & ibidem decretum Electionis ab Archiepiſcopo accipit: literis dein ad Principes externos ſcriptis ſuſceptum honorem iis ſignificat. Cracoviam poſteà comitantibus Fratribus profectus, ibi ſolenni pompâ Sigiſmundi Patris cadaver avito ſepulchro infert, & ipſe XVI. Februarii, Anno 1633, Regno, ſolennibus ceremoniis, inauguratur.

VLADISLAUS IV.

POſt diadema ſuſceptum Rex Comitia mox agitat. In quibus directore Nunciorum Equeſtrium Nicolao Oſtrorogio de negotiis publicis, & inprimis bello Moſcovitico deliberatur. Multæ item civiles controverſiæ diſceptantur. Elector Brandeburgicus quà Dux Pruſſiæ, ſacramentum fidei per Legatos præſtat. Ad Imperatorem Petrus Gembicius major Regni Secretarius mittitur ſequeſtram Regis operam ad pacem cum Suecis conciliandam oblaturus. Rex in Lithvaniam properat, ubi Moſcus non obſtantibus induciarum pactis ad futurum

usq;

usq; Juliũ servandis, vasto exercitu Smolenscum circumsederat, Ductoribus Michaële Sehino, Simone Prozorowskio, & Alexandro Lesleo Scoto. Urbem Stanislaus Woiwodzki strenuè defendit, sed extremò ad penuriam commeatûs aliorumq; necessariorum penè redactus. Rex per Christophorum Radzivillium & Adamum Kazanovium militiæ suæ præfectos, laborantibus subvenit. Duces Moscici relictâ Urbis arctiori obsidione ad castra recedunt. Quos præeunte Alexandro Gonsievio Palatino Smolenscensi, sequitur Rex, Fratre Johanne Casimiro comitatus, (cui supremam vigiliarum curam in castris suis Vladislaus commiserat,) & hyemis incommoda non moratus, obsidere incipit hostem. Auxilia Sehino submissa cædit Kazanovius, Podoliæ Palatinus. Sehinus totâ hyeme obsessus inopiâ lignorum alimentorumque premitur, nullâ auxilii spe superstite. Regem à Smolensco abstrahere nititur Turcarum Imperator, magnis Moschorum precibus ac pollicitationibus sollicitatus ad opem ipsis ferendam. Abazi Bassa magnum Turcarum, Tartarorum,
Mol-

Moldavorum exercitum ad Cameneciam Podoliæ metropolim ducit. Coniecpolſcius Caſtellanus Cracovienſis & juxta Dux exercituum Tartaros præmiſſos parvâ manu ſuorum, mox & Abazi Baſſam profligat. Ad aulam Ottomannicam mittitur Alexander Trzebinski Leopolienſis Succamerarius. Ad Pontificem verò Romanum admirabilis facundiæ vir Georgius Oſſolinſcius tùm Theſaurarius Curiæ. In Sileſiâ Ulricus Daniæ Princeps juvenis maximæ ſpei tum Suecis militans, occiditur. In Belgio Iſabella Eugenia, quæ Alberto Auſtriaco nupta, & poſtea vidua, Duce Spinolâ multa præclara geſſerat, fato concedit, inter magna ſeculi ſui nomina connumerari merita.

* Sehinus, cum toto exercitu Moſcovitico, conſtantiſſimâ Vladislai obſidione ad deditionem ſubigitur, ſolamq; libertatem adeundi pactus, ſigna ad pedes Victoris deponit, omnemq; apparatum & impedimenta relinquit. Rex poſt ſplendidiſſimam hanc victoriam ad Principem Civitatem Moſchorum tendens circa Bialam, impigrè ab hoſte defenſam, ſiſti-

* 1634.

sistitur. Interim Turca abolendæ ignominiæ superioris belli, tùm quod Moscorum ruinâ potentiam Polonicam nimis crescere nollet, Trzebinio Poloniæ Legato superbius habito, bellum Regi indicit. Moscici contra Legati pacem orant. Istis Rex annuens, mittit Jacobum Zadzik Cancellarium Regni, Ducem Christophorum Radzivillium Palatinum Vilnensem, Lithuanici exercitus, Martinum Kazanovium Palatinum Podoliensem, campestrem Polonici exercitus Ducem, Alexandrum Gonsievium Smolenscensem Palatinum, Alexandrum Piasseczynium, Castellanum Camenecensem, Martinum Trisnam Referendarium Lithuaniæ, Andream de Naglovice Rey Præfectum Libussiensem, Alexandrum Oginski vexilliferum Trocensem. His fæcialibus apud rivum Polanowka (unde & Tractatus isti Polanovienses dicti sunt), pax coaluit. Qua provincia Czernichoviensis & Severia cum multis aliis oppidis ac lati fundiis ultra centum milliaria patentibus, Poloniæ, jure perpetuo accrevit. Turcicus Legatus Sehin Aga, jussu aulæ Ottomannicæ, Vladislao pacem offert,

Abazi

Abazi Basſâ, quòd armis laceſſiviſſet Polonos, ſtrangulato. Commiſſarii Poloni cum Turcâ paciſcuntur, antequam Rex adveniſſet. Qui belli adverſum Turcas avidus hanc occaſionem indignabundus amittebat. Joannes Caſimirus frater Regis graviter ægrotat Leopoli. Alexander natu minimus Frater, excitatiſſimæ indolis Princeps non ita dudùm ex Italiâ reverſus, moritur anno ætatis 21. Quem biennio major Johannes Albertus Cardinalis, idemq; Cracovienſis Antiſtes, eodem anno ſequitur, fato familiæ Regiæ multum infeſto. Valſteinius Domino ſuo nimiâ autoritate gravis, & occultarum molitionum jamdudùm ſuſpectus, ſtruente Octavio Piccolomineo Italo, per Gordonum, Lesleum, Butlerum, Scotos apud Egram Bohemorum trucidatur. A Cæſareanis, ductu filii Imperatoris Ferdinandi, Regis Ungariæ, necnon Principis Hiſpaniarum Cardinalis commodum tùm Germaniam tranſeuntis, ad Nordlingam magno & funeſto prælio vincuntur Sveci. Capitur Guſtavus Horn; Bernhardus Dux Viſmarienſis cum majore parte equitatûs evadit. Elector

lector Saxoniæ cum Imperatore paciscitur Pragæ. Schenkianum castellum in Rheni fluvii divergiis situm, astu Hispanorum intercipitur, sed non diu retinetur.

Rex Vladislaus finem induciarum * cum Suecis imminere sentiens, arma & abitum in Prussiam parat: deq; classe parandâ consilia init, curâ ejus rei Gerhardo Dönhofio & Sigismundo Guldensternio commissâ. Comitia habentur, in quibus Ordini Equestri præsidet Ossolinscius tùm Curiæ Thesaurarius, Româ, ubi summum Pontificem legatione splendidissimâ, nomine Regio veneratus erat, nuperrimè reversus. Pax Moscovitica iisdem his Comitiis stabilitur jurejurando. Cœptum quoq; tùm est à nonnullis agi de conjungendis duobus fluviis Pinâ & Muchawiec, quorum ille in Pripetum, & cum hoc in Borysthenem, ac tandem in Pontum Euxinum: Alter in Bugum propè Brestiam, & in Vistulam deniq; majorum fluminum aquis mixtus, decurrit. Conjunctio ista uti Reipubl. non nimium difficilis, cum fluviorum i-
storum

* 1635.

ſtorum primordia nonniſi duorum milliarium intervallo diſtent; ita ſummè utilis fore judicatur, quod ita commercia ex mari Balthico in Orientalia usq; Regna protendi poſſent. Sed negotium hoc, etſi graviſſimi momenti, privatâ magis quorundam, quàm publicâ curâ, hîc agitatum, animos augendis commerciorum fructibus, boniq; exindè publici rationibus intentiores deſiderare, res ipſa oſtendit. Ducatus Czernichovienſis ſpectabile belli Moſchovitici pretium, in Palatinatum, ad Smolenſcenſis Ducatûs exemplum, converſus, nomina dignitatum & jura aliis Regni provinciis uſitata accipit. Adamus Kiſielus Caſtellanus Kiovienſis in Moſcoviam à Rege ablegatus, tabulam marmoream, Baſilii & Demetrii Suiſciorum, in captivitate Polonicà mortuorum, memoriæ dedicatam, & ſimul victoriarum Polonicarum in Moſcoviâ obtentarum teſtem reddit Magno Duci Alexio Michaëlovicio, cujus Legatus cadavera eorum in Moſcoviam deportaturus, efflictim id Varſaviæ oraverat. Tali quippè trophæo adverſa ſibi ſua exprobrari putabant Moſci. Interim ſacellum

lum Suiscianum in suburbio Varsaviensi usq; manet, & victæ tùm Moscoviæ memoriam æternitatis tabulis inscriptam, nulla temporum vetustas delebit. Sumptuum & damnorum Thorunio & Gedano Urbibus bello Suecico illatorum restitutio promittitur. Jura Academiæ Cracoviensis restabiliuntur. Disciplina militaris lege publicâ acuitur. Rex conjugium agitans instinctu Aulicorum secretiorum animum ad Elizabetham Friderici, Electoris olim Palatini, & postea Bohemorum Regis seditiosè electi filiam, adjicere cœpit, ideòq; ad Angliæ Regem, cujus Sorore illa genita erat (allucente spe aliqua reducendi, tali ope, ad vetus obsequium Regni Patrii) mittit virum in rebus agendis apprimè versatum Johannem Zawadski Præfectum Suecensem. In Prussia antequam ad arma cum Suecis rediretur, Stumdorfii tentamina fiunt pacis. Quæ cum perpetua impetrari non posset, induciæ viginti sex annorum, parariis Galliæ, Angliæq; & Ordinum Fœderatorum Legatis XII Septemb. panguntur. Restituitur Regi Poloniæ Elbinga & Mariæburgum. Rex Gedani trium-

triumphali honore excipitur. Jacobus Zadzik, vir magnus in Rep. & de Ecclesiâ Catholicâ præclarè meritus, paulò antè primarius induciarum Fæcialis, deposito in manus Thomæ Zamoscii sigillo majore, Episcopatum Cracoviensem suscipit. Minus sigillum committitur Petro Gembicki, tùm Secretario Regni majori, paulò post Episcopo Premisliensi.

Vladislaus Rex Vilnam proficiscitur, *ubi illi, ut felici post bella finita pacis sideri, varii honores exhibentur. Ipse vicissim Musis exhibet, lauream Doctoralem Matthiæ Sarbievio Soc. Jesu, viro ut genere, sic carminibus Lyricis nobilissimo, impositam, præsentiâ suâ & annulo aureo dignatus. Idem ad Comitia Imperii, quibus filius Imperatoris Rex Romanorum creatus est, mittit Georgium Ossolinski, qui nuper dùm Româ revertens Viennam transiret, Princeps Imperii nominatus, novo titulo Ordinem Equestrem non leviter offendit. Agitur de matrimonio Regis cum Ferdinandi II. Imperatoris filiâ, Cœcilia Renata, paratio inter alios Patre Valeriano Magno,

* 1636.

Capucino multùm celebri. Joannes Casimirus Princeps Poloniæ in Hispaniam, Barrensem hæreditatem postulaturus, proficisci cogitat, sed obstantibus à peste periculis revocatur. Stanislaus Danielowitz Palatinides Russiæ, strenuus Patriæ propugnator, inauspicatò cum Tartaris pugnans, occiditur magno omnium dolore.

* Rex dubiis de conjuge quærenda consiliis animos Principum Europæ suspensos tenet, aliorum verò, qui affinitate innecti cuperent Regi, mirè excitat studia. Multi Palatinam usq; insinuant. De Christina hærede Sueciæ quidam vanè creduli mussitant. Sacer Ordo Austriacam Regi, alii omissâ ob Religionis diversitatem, Palatinâ, Nivernensem Principem commendant. Tandem in Austriacam Renatam Cœciliam flectit animum Rex: & præmisso Maximiliano Przerębski Castellano Siradiensi, Princeps Casimirus Frater Regis, cum Joanne Lipski Episcopo Culmensi, & Casparo Dönhof Palatino Siradiensi, Viennam abit, Sponsam fratri adducturus. In Angliam

* 1637.

gliam mittitur. Andreas Rey Præfectus Libussiensis, consilium de Palatina mutatum excusaturus dissensu Senatûs Polonici, qui alienam à fide Catholica Reginam nolit. Ille ex Anglia redùx Hagam Comitis divertit, & ab Ordinibus fœderatis honorificè habetur. Vladislaus Rex annis superioribus novum ordinem militarem Equitum immaculatæ conceptionis Deiparæ Virginis instituere decreverat. Quem legibus certis definitum summus Pontifex Urbanus VIII, rem fervidè inprimis agente Georgio Ossolinscio, hoc anno confirmat. Sed institutum à malè suspicacibus mirificè vituperatum, per dissensum Ordinum, accedente inprimis Comitiorum, anno sequente habitorum, autoritate, exolevit. Postea Rex, extructo ad littus Pucense munimento sibi cognomine, tributum in ostio Vistulæ pendendum instituere conatur, Dantiscanis id vehementer & magno sumptu deprecantibus. Ad confluentem Samaræ & Borysthenis exstruitur aliud operosius munimentum, Kodak nominatum refrenandæ Cosacorum licentiæ. Cosaci ad Kumeiki ductu Ni-

colai Potocii Campi Ducis profligantur, & Ductorem ſuum Paulucum alioſq; anteſignanos dedere coguntur. Tartari inter ſe diſcordes. Cantimirus ad Achilleam vulgò Kiliam à Chano vincitur, & poſtea à Turcis ſtrangulatur. Cecilia Renata Imperatoris filia comitante eam Claudiâ Archiduce, & Epiſcopo Jaurinenſi in Poloniam adducitur 12 Septembr. & Varſaviæ, allato illuc Cracovia, præter morem diademate, inſignitur ab Archiepiſcopo Gneſnenſi. Guilielmus Auriacus ſub hæc tempora Bredam obſidet, & tertio menſe capit. Cardinalis Hiſpanus Venloam & Ruremundam recuperat.

1638. * Paulucus Coſacorum nupèr anteſignanus capite plectitur. Coſaci fidem ſibi minùs ſervatam querentes, arma ductore Demetrio Timoſzevitz corripiunt, ſed partim vi, partim promiſſis reducuntur ad obſequium. Thomas Zamoiski magnus Regni Cancellarius virtutis gloria uni Patri ſuo ſecundus, moritur. Petrus Gembicki majus ſigillum, minus Georgius Oſſolinski, depoſita Sendomirienſis Palatini dignitate, ſuſcipit. Johan-

ni

hi Węzyk Archi-Episcopo Gnesnensi mortuo surrogatur Joannes Lipski vir judicio & facundia summus. Frater Regis Joannes Casimirus eundi in Hispaniam consilium recapessit, quem comitatur Joannes Carolus Konopatsius Abbas, & postea Antistes Varmiensis, cui Rex Legati nomen addit, Fratri, dissimulato genere, fortunaq; proficiscenti securitatis futurum præsidium. **Eunt** quoq; simul Ferdinandus Myskovius Marchio de Mirow, Gothardus Vilhelmus Butlerus intimus tùm Aulæ familiaris, dein magnus cubiculi Regii præfectus, Theodorus Dönhofius postea Butleri in cubiculi Regii præfecturâ successor, Andreas Cotovicius, M. Ducatùs Lithvan. Notarius, postea Castellanus Vilnensis, Samuel Opatscius, & deniq; Andreas Basius tùm a secretis Principi, dein Canonicus Varmiensis, & multi alii. Cæterùm istis comitibus Princeps per Austriam & juga Tridentina in Italiam tendit. Indè nave Genuensi in Hispaniam trajecturus, valetudinis & animi recreandi causâ in littus Gallicum exscendit. Ibi à Joanne Gothofredo,* homine Massiliense prodi-

tus, apud oppidum Martegez à Nargonio proximi castelli Præfecto, nomine Regii per provinciam Gubernatoris, attinetur, & primùm in arcem Salonensem, posteà Cisteronem deducitur, vincente tùm innocentiæ & hospitalitatis jura suspicione, cui destinatum in Hispaniam iter obnoxium Principem fecerat. Habentur Comitia, in quibus Ordo Equestris consiliorum suorum Directorem habet Lucam Opalinium Palatinidem Posnaniensem, posteà, evecto ad Palatinatum Ravensem Patruo, Mareschallum Curiæ, virũ cultissimi ingenii & summæ eruditionis. In eo Regni convẽtu Cosaci antehac victi, jam lege comitiali in ordinem rediguntur, & abrogato veteri eorum regimine, ceu turbis ciendis nimis opportuno, Ductorum Polonicorum arbitrio subesse jubentur, ipso etiam eorum numero, antehac infinito, in sex millia reducto. Exercitui Polono, cujus virtute Coniecpolscius & Potocius, Duces militiæ, Cosacos rebelles subegerant, ex omnibus Regni Ordinibus viri assignantur, debita laborum stipendia merentibùs distributuri. Reginæ novitèr

tèr adductæ Rex præfecturas quasdam publicas autoritate Comitiali certis legibus dotalitias facit. Eidem non Cracoviæ, loco antiquitùs uſitato, ſed Varſaviæ impoſitum diadema, queruntur Regni Ordines, & ne inpoſterùm id fiat, lege præcavent. Ad definiendum vectigalium maritimorum negotium, Comitia certos ex tribus Regni Ordinibus deſtinant recuperatores. Controverſia de externis honorum titulis, quam dignitas Principis, ſuperioribus annis, Georgio Oſſolinſcio, collata à Cæſare, inter Ordines æqualitati priſtinæ timentes excitaverat, lege publicâ definitur, publicusq; ejuſmodi titulorum [illegible] iis tantùm permittitur, qui olim, cum ad Rempubl. Lithvania & Ruſſia accederent, illa decora ſecum attulêre. Lemborgenſe & Bytovienſe territorium morte ultimi Ducis Pomeraniæ, in poteſtatem Poloniæ Regum relapſum ordinari jubetur. Græci ritûs libertati, legum veterum repetitione cavetur. Ne Decreta Tribunalitia Comitialibus & hæc viciſſim illis derogent, limites judiciorum ſtatuuntur. Vectigalia Pruſſiæ Ducalis, quibus Polo-

cæ & Lithvanicæ negotiationes gravari videbantur, circumſcripta. Poſteà Rex valetudinis causâ ad thermas Auſtriacas profectus, primum ex intimo Joannis Caſimiri Aulico Theodoro Dönhofio, detentionis Fraternæ nuncium, & rei ſeriem, dein verò ex literis Chriſtianiſſimi Regis & Cardinalis Richelii cauſas, quæ tanto auſui prætexebantur, intelligit. Magnâ in Poloniâ invidiâ laborat Claudius Memmius Comes ab Avaux, quod eo autore detentionis in Galliâ decretum ſtetiſſe putaretur. Ad quem eo nomine ſtylo graviſſimo ſcribit Joannes Lipski Regni Primas. Ille acutè nec ſine bile re-[illegible] Vladislaus in finibus Moraviæ ab Imperatore multâ comitate & honore excipitur. Sed eundem Principum congreſſum multo murmure ſuſpicaciores in Poloniâ perſtringunt.

* Rex in Lithvaniâ cum Reginâ degit ex pacatiſſimis Poloniæ rebus quietus lætusq;, nec niſi ob Joannis Caſimiri Principis in Galliâ detenti calamitatem ſolicitus. Ille Ciſteronem ad Druentiam ſitum oppidum deportatus, gravibus

* 1639.

epiſtolis cum Ludovico Duce Valeſio, Provinciæ Gallicæ Gubernatore, de injuriis ſibi illatis expoſtulat. Et ipſe Rex ſcriptis Vilnâ ad Ludovicum XIII. Chriſtianiſſimum Regem, tùm ad Cardinalem Richelium literis, miſſoq; dein Legato Principis dimiſſionem urget. Exin Princeps Vincennas propinquiorem Lutetiæ locum deducitur. Comes Principis Conopatscius, vir præclaræ ſtirpis & virtutis, in Poloniam reverſus, ibiq; à Rege Inſulâ Varmienſi honoratus, antequam adiret dignitatem, morte ſubitâ præripitur. Legatus Regis Chriſtophorus Gonſiewski poſt patrem recens mortuum, renunciatus Palatinus Smolenſcenſis, Gedano, præcipiti jam anno, ſolvit vela, comitantibus eum inter alios Stanislao Rakowski Plocenſi, & Dominico Roncallio Varmienſi Canonicis, utroq; Regi à ſecretis, Andreâ item Przyemſcio ut genere, ſic ingenii dotibus illuſtri, poſteà Caſtellano Culmenſi. Rex Vilnæ agens feudum Curlandiæ, Duci Jacobo filio Vilhelmi, olim ob Noldium virum nobilem interfectum proſcripti, poſt fata Friderici Patrui, confirmat. Legatus Regis Gonſie-

vius Lutetiæ ſplendidè excipitur, * & à Duce Engoliſmenſi ad S. Germanicum, ubi Aula tùm erat, honorificentiſſimè (præſens enim omnia tùm ſpectavi, qui hæc ſcribo) deductus de Principis dimisſione cum Chriſtianiſſimo Rege & Cardinali Richelio agit, datâ amneſtiæ, quæ poſtulabatur, cautione. Dimittitur Princeps & poſt multas benevolentiæ datas acceptasq; ſignificationes valedicit Regi Reginæq; & in Brabantiam tendit. Ad Imperatorem Turcarum mittitur vir inſignis Albertus Miaskowski Succamerarius Leopolienſis, de incurſionibus Tartarorum in illâ Aulâ queſturus: Sed ſimul quoq; exploraturus, quò collineent machinationes Turcarum & apparatus bellici. Cognitum poſteà novo ad Boryſthenem munimento Codakano offenſum Amurathem, quod ad frænandos Coſacos extructum, ignaris & ſuſpicacibus vanos metus ciebat. Hic utiq; Amurathes id tollere voluit, poſtquam inprimis recentibus de Perſarum Rege victoriis intumuerat. Dùm in itinere Legatus eſt, Amurathem in mediis belli conatibus

* 1640.

tibus extinctum, inq; ejus locum fratrem Imbraimum Sultanum successisse intelligit. Vladislaus auditâ illa morte ad supremum Vezirum & ad ipsum Imbraimum Imperatorem literas mittit per Miaskovium reddendas. In iis amicitiæ cum Ottomanico Imperio servandæ studium testatus, ejus præcipuum hactenùs scopulum, Cosacorum petulantiam, Ducum Polonicorum virtute, repressam jam nunciat,, alteramq; ejusdem amicitiæ pestem Tartaros à Turcis vicissim cohiberi postulat. Morte Amurathis belli metus in Polonia non est extinctus. Atq; ideò Rex convocat Ordines. Sed hi nullâ re effectâ discedunt. Indicuntur deinceps alia Comitia. Ad quæ priusquam Ordines convenirent, Regina in Aprili filium enititur, cui Sigismundi Casimiri nomen inditum. In augmentum lætitiæ publicæ, redux ex Galliâ Joannes Casimirus Varsaviam, ipso Comitiorum tempore, ingreditur. Cancellarius Regni animos Nobilium, suspicionibus, multâq; adversus præcipuos consiliorum Ministros diffidentiâ turgidos componere oratione facundâ aggressus,

mox propositâ belli imminentis & periculorum magnitudine, ad sciscenda tributa, quibus miles stipendia efflictim postulans placari, & novus conscribi posset, hortatur. Et in hæc quidem, Nunciorum Equestrium moderatore Joanne Stanislao Jablonovio magnæ autoritatis Viro, consensum est. Alia consultationum argumenta in futuros Conventus rejecta. Christianissimi Regis Legatus Baro de Avangur in hoc conventu ea, quæ Principi Joanni Casimiro adversa contigerint, excusat, extremaq; humanitatis & amoris officia, quibus eundem ex detentione & ipsâ Galliâ dimissum persecutus sit Rex Galliæ, & quanti is amicitiam Regis Regniq; Poloniæ æstimet, diserte exponit. Ei nomine Regis & Senatûs respondetur, *felice Principis in Poloniam reditu abolitam jam esse omnem acerbioris sensûs memoriam, veteremq; & tot documentis antehac contestatam Poloniæ cum Galliâ amicitiam jam auspicatissimè renasci.* Datæ sunt eidem Baroni literæ ad Christianissimum Regem, omnem benevolentiam testantes. Sub hæc quoque Comitia controversia, quæ à Sacris Virginibus Cænobii Vilnen-

sis.

ſis, quod S. Michaëlis vocatur, Calvini aſſeclarum cætui, illic, jam dudum, ob violentiã quandam intentata fuerat, deciditur decreto Regio, & cætus eo loco impoſterum haberi vetatur. Miaskovius Legatus Conſtantinopoli ex voto Regis & Reipubl. mandata exequitur, etſi ſparſa iſtic de nova Coſacorum incurſione fama cæptæ negotiationi non modicê officeret. Pacem cum Poloniâ initam ſervare promittit Turcarum Imperator. Ab eodem Tartari Poloniam laceſſere, poſtulare item ab eâdem donaria inuſitata, tùm in Buczacdnſibus agris domicilia & prædandi receptabula locare prohibentur. Captivi aliqui reſtituuntur Legato Literis ad Vladislaum miſſis viciſſim ſtipulatur Turca, ne Poloni opem ferant Moſco, quem ob interceptum à Coſacis Moſchicis Aſovum bello aggredi novus Imperator cogitabat. Georgius Vilhelmus Elector Brandeburgicus & Dux Pruſſiæ moritur. Ante obitum ejus habebatur Ordinum Pruſſiæ Ducalis conventus, ad quem Rex Legatos miſerat; Erneſtum Magnum Dönhofium Palatinum Pernavienſem, Remigium Za-

leski

leski Castellanum Lencicien∫em, Stanislaum Kobierzicium Pocillatorem tùm Calissien∫em post Palatinum Pomeraniæ, cujus præclara de *Vladislao Principe* extat historia. Sed ob mortem Electoris oportuit abrumpi Conventum.

* Missus à Rege ad portam Ottomannicam cum pactis reciprocis Prandota Dzierzek redit in Poloniam, & cum eo Turcicus internuncius Osmannus. Hi literas ab Imperatore afferunt Regi, quibus omnia antiqua, & nuper præsente Legato Miaskovio restabilita pacta ritè servatum iri promittitur, dummodò vicissim Cosacos in officio contineant Poloni, eosdemq; à ferendâ Moscis circa Asovum ope cohibeant. Rex per eundem Osmannum Imperatori Turcico mutuam pactorum fidem contestatur, sed juxta quoq; de Tartaris ad interdicta Imperatoris nimiùm hactenùs contumacibus queritur. Ad defuncti Electoris filium Fridericum Vilhelmum, necnon ad Conventum Prussiæ Ducalis eosdem, quos ante Legatos mittit Rex, paternam illi benevolentiam, his Regiam offerens curam;

* 1641.

ram; ſimul monens de nonnullis, quæ præſens neceſſitas poſtulabat. Venit Varſaviam à Chano Tartarorum nuncius, qui dona à Republ. dari ipſis ſolita geminari, Domini ſui nomine flagitat. Rex de hac inſolentia Chani Tartarici, apud Imperatorem Turcarum, miſſo Alexandro Otvinovio Secretario ſuo, queritur. Ille cum internuncio Muſtaphâ in Poloniam reverſus ab Aula Ottomannica literas affert, quibus Imperator ſignificat, Chano ſeverè imperatum à ſe eſſe, ut uſitatis dudùm muneribus contentus, Poloniam de majoribus ſolicitare deſinat, viciſſim Coſacos ſub fræno ita, ut cœptum ſit, porrò haberi poſtulat. Moſci circa limites cum recuperatoribus Regiis contendunt, & re indeciſâ, turbis in futurum materiem relinquunt. Bellum Turcicum imminere ſibi ſentiens Dux Moſcoviæ Legatum mittit ad Regem. Rex vicini belli contagionem metuens, ac ſimul militi ſtipendia procuraturus Comitia indicit. Quæ acribus multis diſceptationibus, Nuncios Equeſtres regente Boguslao Comite de Leſzno, ad ſumma omnia in Republ. jam tum ſurgen-

ſurgente, efferbuêre. Præcipuè in Senatus conſulta inquiſitum. Atq; ut Senatoribus, comitiali lege Regi præſto eſſe juſſis, nonniſi ob ſonticam cauſam abeſſe liceat, tùm ut ſuffragia Senatorum Regi aſſiduorum ſcribantur, ac in proximis ſemper Comitiis examinentur, ſeverè ſancitum eſt. Cautum quoq; ne Regi absq; conſenſu Reipubl. extra fines Regni proficiſci fas ſit. Fratri Regio Joanni Caſimiro duas præfecturas, alteri verò fratri Carolo Ferdinando Epiſcopatum Plocenſem conferri permittitur. Lex de abrogandis titulis antehac promulgata, (excipi ab illa poſcentibus antiquæ originis Ducibus) explicatur iterùm. Auditæ tùm quoq; querelæ de finibus à militia Suecica ex Marchia, Pomerania, Sileſia ſolicitatis. Supremo Regni Dicaſterio, ne ullam in Comitialia decreta ſibi poteſtatem uſurpet, certi limites poſiti. In latrocinia, raptus, & hominum proſcriptorum graſſationes, impunitate invaleſcentes, quæſita remedia. Armamentaria, uti olim ſub prima Regis Vladislai auſpicia erigi & apparatûs bellicos procurari juſſerit Reſpubl., ita, ut in rem

iſtam

iſtam majore ſtudio incumbatur, iis, ad quos illa cura pertineat, injunctum. Vectigalia, quæ Regiomontani cives à Lithvanis immodica ferebantur exigere, temperantur.

* Dux Moſcoviæ per Internuncium Joannem Pakadinum de injuriis quibuſdam circa confinia, ab incolis Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ illatis queritur. Rex ad componenda hæc diſſidia cognitores ſe ad fines Ruſſiæ miſſurum pollicetur. Conveniunt Regni Ordines menſe Februario, quod tempus anterioribus Comitiis ad conſtituenda militiæ ſtipendia, de quibus ampliandum cenſuerant Ordines, præfinitum erat. Primùm igitur Ordinis Equeſtris conſilia moderante Chriſtophoro Zaviſsâ, Magni Ducatûs Lithvaniæ Notario, Præfecto Minſcenſi, rationes cum Palatinatibus ſubductæ, ut, ſi quæ territoria in ære adhuc Reipubl. eſſent, cæteris, qui ſolviſſent, æquarentur. Mox quantum cuiq; Palatinatui ad ſtipendia militaria conferendum eſſet, definitum, ibidemq; ærarii publici quæſtori adjuncti ex triplici Or-

dine

* 1642.

dine viri primarii, (inter quos Regni Duces,) qui 7 Julii Leopoli exercitui satisfacerent. Juxta quoq; ex Regni Proceribus Civibusq; destinati alii non pauci, qui in Radomiensi Tribunali, Palatinatuum, quæ restarent, nomina disputarēt. Deniq; ne incerti cum Moscoviâ & Valachiâ limites inposterum contentiones pariant, eò quoq; missi cognitores. Eodem hoc anno Philippo Vilhelmo Neoburgico, Principi magnis dotibus eminenti, Soror Regis unica Anna Catharina Constantia jungitur matrimonio, ut eventus docuit, parùm fortunato.

* Cecilia Renata Poloniæ Regina, secundo partu filiam edit, sed quæ paucis post diebus extinguitur. Rex extra Ordinem Varsaviæ Comitia habet; in quibus Equestrium consultationum regimen administrat Georgius Lubomirski Præfectus tum Sandecensis, postea ad magnos in Republ. honores perventurus. In his Comitiis majus sigillum datur Georgio Ossolinscio, Petro Gembicio ad Antistitiū Cracoviense, post Jacobi Zadzik summi in Republ. & erga Ecclesiam impensè liberalis

* 1643.

liberalis Viri, mortem, evecto. Minus sigillum suscipit Alexander Trzebinski Episcopus Przemisliensis. Ineuntur tùm inter alia rationes dissolvendi æris alieni quod tot expeditionibus & indesinenti liberalitate conflaverat Rex Vladislaus. Dispunctis nominibus, addunt Ordines cautionem, ne inposterum Reges in fidem Reipubl. debita contrahant, nec ad ea solvenda obligetur Respublica. Magni Ducatûs Lituvaniæ vectigalia augentur. In res, quæ à mercatoribus in Poloniam invehuntur, novum vectigal instituitur, dein mercium quarumvis pretia definiuntur arbitrio delectorum à Republ. virorum, qui fuerunt Andreas Szoldrzki Episcopus Posnaniēsis, Alexander Trzebinski Episcopus Przemisliensis, idemq; Procancellarius Regni, Lucas Opalinscius Magnus Regni Marescallus, Georgius Ossolinscius Cancellarius Regni, Joannes Nicolaus Danilowitz Regni Thesaurarius, Nicolaus Ostrorog Pocillator Regni, Petrus Danilowitz Incisor Regni, Alexander Lubomirski Pocillator Regni, Sendomiriensis præfectus, Boguslaus Lesczynski Majoris Poloniæ Generalis, Martinus

Toli-

Tolibowski Succamerarius Brzęſtenſis, Joannes Oborski Præfectus Sochacevienſis. Smolenſcenſis Palatinatûs ordinatio, tùm mœnium urbis reſtaurandorum cura, ut & ſtipendii præſidiariis ſolvendi exſolutio ſancitur. Rex Daniæ nothum ſuum Comitem Voldemarum in Moſcoviam mittit, amicitiæ cum Magno Duce novo vinculo adſtringendæ. Sed quæſitum iſtic matrimonium in carcerem deſinit: quod is ſacra Moſcorum, in conditionem expetiti conjugii propoſita, non reſpuere tantùm, ſed ludibrio habuiſſe videretur: Ex quo demùm Comitem illum Regis Poloniæ Legatus Stephanus Stępkovius Caſtellanus Braclavienſis poſteà liberat.

* Regina Cecilia Renata informem fætum enixa 24. Martii moritur, Princeps ob virtutes inſignes longiſſimâ vitâ digna. Rex perſolutis Cracoviæ deſideratisſimæ Conjugi juſtis, in quibus Andreas de Lesno Epiſcopus tùm Culmenſis peroravit; in vicinæ Ungariæ bellum animum intendere, Militemq; colligere cæperat, pacis impatientiâ, negotium & gloriæ

* 1644.

gloriæ campum quærens. Ac jam Imperatori contra Racocium & alios Ungariæ Proceres, qui Caſſoviam tùm occupaverant, auxilia laturus videbatur. Racocius enim bellum eo tempore indixerat Cæſari, prætextu religionis aliarumque injuriarum, revera autem inſtinctu Svecorum, qui eâ ratione Cæſarem armis Ungaricis occupare quæſiverant, dùm ipſi Regem Daniæ, hoſtilia in Sveciam meditari viſum, repentino incurſu corriperent. Vladislaus bello Ungarico & ſic porrò Svecico penè implicitus, ad Senatûs disſvadentis judicium, mutato conſilio per internuncios componere bellum illud quærit. Sed Imperator Majeſtate ſuâ indignum judicavit, cum ſubditis ſuis pacem, quam ii ſupplicando quærere debere videbantur, negociari. Tandem animos, quos non Martia vis, nec ratio componere potuit, temporis mora ſanavit. Miles Cæſareanus, Ductore Kracovio, per Poloniæ limites in Pomeraniam Svecicam irrumpit. Poloni rem improviſam, quam à milite imparati, prohibere non potuerint, paulò poſt excuſant apud Svecos. Horum viciſſim in Livonia

niâ novi paratus bellici ſuſpicionem movebant Vladislao Regi. Sed tùm intra occulta molimina utrinque res ſubſtitit, poſteà, ut eventus docuit, parte ab unâ inter prætextûs belli futura. Alexander Trzebinski poſt indutam ſacram togam Regni Pro-Cancellarius, duos filios maximæ ſpei juvenes amittit, & ipſe in medio honorum curſu 26 Julii præripitur, magno detrimento publicæ rei & familiæ ſuæ, quam Civili primùm, poſteà Sacro vitæ genere, datis utrobique magnis ingenii ſpeciminibus, ad ſumma evehere cæperat. Exercitus Polonus Duce Stanislao Koniecpolſcio Caſtellano Cracovienſi memorabilem victoriam de Tartaris ad Achmatoviam reportat. Egregiam hic præ aliis operam navavit Stephanus Czarnecki, qui primos hoſtium aggreſſus, fortitèr pugnando totum exercitum perculit, egregio futurarum, quas poſteà in turbatiſſimâ Republicâ ſumme memorabiles geſſit, rerum præludio. Inſignem quoq; in hoc campo laudem meruêre Jeremias Dux Viſnovicius, Nicolaus Oſtrorogius, & alii, quorum nomina ſcriptus de

de hoc conflictu peculiaris commentarius prolixè edisserit.

Post expeditionem istam prosperè finitam, mittitur à Rege Constantinopolin Nicolaus Bieganovius, tum Sub-Dapifer Palatinatûs Russiæ, postea Castellanus Camenecensis, de irruptione Tartarorum questurus. Imperator Turcicus constantem in pactis servandis fidem per Osmanem Internuncium suum Poloniæ promittit; sed Tartaris solitum donativum dari postulat. Archiepiscopus Avenionensis sinistris relationibus apud summum Pontificem perstrinxisseRegem creditus, cum insuper Jacobum Maximilianum Fredro Succamerarium Premisliensem à Rege ad se missum minùs dignè habuisset, indignationem Regiam incurrit, & per maximæ autoritatis virum Jacobũ Sobiescium Palatinum Russiæ, nomine Ordinum Regni ab Aulâ Regiâ abesse jubetur, salva illæsaq; veteri Poloniæ in Pontifices Romanos reverentiâ & soliti obsequii fide. Interim Urbanus VIII. moderatione animi (ne alias virtutes jam attingamus) & omni eruditionis genere inclytusPontifex anno ætatis septu-

agesi-

agesimo septimo moritur. Cui cum surrogatus esset Joannes BaptistaPamphilius Romanus, posteà Innocentius Decimus appellatus; Vladislaus Abbatem Valbacensem Lipscium, qui illi principem in orbe locum gratularetur, & per eum has literas mittit: *Prodiit ex Augustâ Apostolici conclavis arcâ, candida Columba, naufraganti inter belli procellas orbi pacis promens Symbolum. Salve, Pater Optime, cujus candidæ & tranquillæ mentis præsagiũ Tuæ Sanctitatis majoribus commissa auctæ nobilitatis jamdudùm exprimunt insignia. Nec porrò assumptum Innocentii nomen aliud promittit, quàm felicissimi Pontificatûs innocentiam, nocentibus infensam. Ad tanti Pontificis pedes gratulabundus propero, & per Internuncium meum de Lipe Lipski Abbatem Valbacensem, Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnensis Scholasticum, Tuæ Sanctitati, ut legitimo in terris Christi Vicario, & Universali Episcopo meam & Regnorum ditionumq; mearum obedientiam supplex defero, ipse interim huic stationi, quæ mihi, pro Christiano nomine excubanti, Dei voluntate & majorum meritis obtigit, intentus propagandæ fidei Catholicæ ac Sanctæ Sedis Tuæ*

autoritati, arma mea, immò ſanguinem & vitam conſecro. Tu modò id agas, Pater Beatiſſime, ne diutius reliquorum Principum inter ſe decertantibus armis, exhauſtæ Chriſtiani populi vires, invitent nunc otioſum ſpectatorem, ſed occupandæ Europæ avidiſſimũ hoſtem, ad invadendum gregem Tibi cœlitùs commiſſum. Quem ubi tanto metu liberaveris, tùm demùm Innocui & Innocentis ſeculi Paſtor ei gratiſſimum offeres ſacrificium, cujus vicariam curandi gregis operam divinitùs in Te collatam ſuſcepiſti. Ego iterùm pedibus Apoſtolicis advolutus Sanctitatis Tuæ Paternam mihi & ſubditis meis expeto benedictionem. Sub finem anni in ſalisfodinis Vielicienſibus, pabulo equino in candelam per incuriam injecto, ortum incendium eſt, quod ultrà annum in illis ſpecuum anfractibus teterrimo vapore, omnem extinguere cupientium induſtriam excluſit, ingente proventuum Regiorum intertrimento.

* Duci Moſcoviæ Michaëli Federowitz defuncto, filius Alexius Michalowitz ſuccedit. Ad quem à Rege miſſus eſt Stephanus Stępkowski, Caſtellanus Brac-

* 1645.

laviensis de successione illi gratulaturus: simul & novæ armorum conjunctionis, in alium vicinum populum, PolonisMoscisq; perpetuâ prædandi libidine æquè hactenùs gravem, jacturus fundamenta. Eodem tempore Legatus hic Polonus effecit, ut Comes Voldemarus Christiani IV. Regis Daniæ nothus, ex custodiâ Moscoviticâ liber, & in compensationem injuriæ illic acceptæ, liberalibus donis onustus dimitteretur. Rex Cracoviâ Varsaviam reversus, Comitia istîc agitat, in quibus Ordo Equestris directorem habuit Hieronymum Radzejowski Præfectum tùm Lomzensem. Gravissimè hîc oppugnata sunt instituta novissimè in res invectas evectasq; vectigalia, ea quippe ordo nobilium penitùs sublata volebat, antequam ad alia Comitialium deliberationum capita accederetur. Magnas quoq; turbas tùm Lithvaniæ Ordines dedêre, factâ nupèr cum Moscis finium determinatione vehementèr offensi. Trubecense enim territoriũ, quod anno 1634. ad Polanowkam pacta cumMoscis inita, Lithuaniæ adjecisse dicebantur, constituti posteà à Republ. limitum definitores

Moscis

Moſcis reddiderant. Atq; ita præter Trubecios, primiceriæ Nobilitatis ibi viros, multi alii Nobiles aut ſolum mutare coacti, aut ex libertate Polonicâ in Moſcoviticum dominium erant delapſi. Quibus opitulari volens Lithuania, tot latifundia à Moſchis repeti, aut certè compenſationem tantæ jacturæ & ſibi & tot Viris Nobilibus fieri flagitabat. Inter multas igitur altercationes extractum tempus, & deniq; nullâ re memorabili effectâ ſoluta ſunt Comitia, oborto hinc rurſum ingente æmulorum ſtrepitu in eos, qui novo rerum invectarum & evectarum invento occaſionem tot gravibus inter Aulam & Cives colliſionibus præbuiſſe ferebantur. Cancellario Oſſolinio, vacante poſt mortem Trzebinii Epiſcopi Przemiſlienſis Vice-Cancellarii munere, Collega adoptatur Andreas Leszinski antehac Cancellarius Reginæ, poſteà Epiſcopus Camenecenſis, dein Culmenſis, ac tandem Primas Regni, ut poſterior hiſtoria docebit, creatus, Vir majorum ſuisq; meritis illuſtris. Exin agitato jamdudùm matrimonii iterandi conſilio diligentiùs Rex incubuit: Gal-

liâ pulchram Venerem per Legatos & literas offerente. Quam rem cùm seriò jam agi Austriaci animadvertissent, intercedere volentes Leopoldi Archi-Ducis Tyrolensis filiam ostentavere Regi. Sed vigorGallicus tum prævenit: seditq; consilium Vladislao ducendiLudovicamMariam Caroli Gonzagæ, Mantuæ in Italiâ, Niverniiq; in Galliâ Ducis filiam, Principem corporis animiq; dotibus insignē. Missus itaq; à Rege citatissimis itineribus in Galliam Gerhardus à Dönhoff Palatinus Pomeraniæ, vir longo aulæ militiæq; usu, multisq; meritis Regi intimè carus: qui novi nexûs apud Aulam Gallicam fundamenta stabilivit. Secuti deindè majore mole & apparatu duo magni in Republ. Senatores, Venceslaus Comes de Lesno, Episcopus tùm Varmiensis, & Christophorus Opalinski Posnaniensis Palatinus. Quorum splendidissimâ & longè sumptuosissimâ legatione honorata Gallici Regni administratrix Regina, luculentis vicissim erga Poloniam animi testimoniis magnos hos optati conjugii proxenetas suscepit, sicq; conditionibus dudùm utrinq; probatis Ludovica Maria Niver-

Niverno-Mantuana Princeps V. Novembris præsentibus Rege Ludovico XIV. octo annorum tùm Principe, Matre item Regni administratrice, & filio ejus altero Gastone Duce Aurelianensi, desponsata est Vladislao Regi: posteaq; decentissimo comitatu Episcopi inprimis Arausionensis, tùm Renatæ de Guebrian per Belgicam & Saxoniæ inferioris terras deducta est in Poloniam: quò tamen nonnisi anno sequente pervenit. Sed Rex diu, antequam secundis his nuptiis animum applicuisset, aliud novum inter diversarum religionum instituta conjugium moliri cæperat. Quod enim inter Christianos dogmatum dissensum malâ interpretatione & falsis judiciis exasperari crederet, eos, qui in Poloniâ à Catholicis dissiderent, & tamen antiqua fidei Christianæ symbola ac fundamenta amplecti se crederent, placido colloquio Ecclesiæ Catholicæ aut conciliare omninò, aut blandiores saltem reddere instituit. Consilium suum Rex Regni Primati Matthiæ Lubienscio & ipsi Pontifici Romano Innocentio X. aperuit, probavitq;. Primas Synodo Varsaviæ habitâ ad futurum

colloquium Præſidem nominavit Georgium Tyskevicium Epiſcopum Samogithiæ, pietate, innocentiâ vitæ & affabilitate præ cæteris ad temperandos animos idoneum. Literis deindè Regiis invitati diſſidentes, ex ſuis paritèr viros primarios ad huncConventum delegêre. Reformatorum, qui Calviniani vulgò appellantur, juſſu Regio, caput fuit Sbigneus de Goray GoraiskiCaſtellanus tùm Chelmenſis; Lutheranis, qui alioquin ab Auguſtanâ Confeſſione nuncupari malunt, auſpiciisRegiis, præſedit Sigiſmundus Guldenſternius L. B. GubernatorStumenſis, poſteà Caſtellanus Gedanenſis. Singuli præſides, quam plurimis ſuæ partis Theologis ſtipati acceſsêre. Inter eos etiam exteri quidam. Ex quibus Lutheranorum, ut vocantur, cauſam Johannes Hulſemannus, Profeſſor Lipſienſis, Reformatorum, D. Joannes Bergius, Eccleſiaſtes Brandeburgicus egêre publicè. Aderat quoq; ex Academiâ Juliâ Georgius Kalixtus, ſed apud ſuos ob Syncretiſmi conſilia ſuſpectus, à publicis conſeſſibus abſtinuit. A Rege prætereà duo aderant Senatores magni nominis, Georgius

orgius Ossolinski Regni Cancellarius, qui splendidâ oratione Domini sui consilium toti Conventui commendavit. Alter Joannes Comes de Lesno Castellanus Gnesnensis, qui, avocato posteà Ossolinio, Regii præsidii dignitatem solus sustinuit. Scriptæ etiam autoritate Regiâ certæ leges, quarum beneficio opus tantum ordinatè ad finem optatum procedere posse videbatur. Ad harum normam 28 Augusti Thorunii, Urbe Prussiæ primariâ colloquium cœptum. Sed 21. Novembris inter varias protestationes & reprotestationes abruptum est, unaquâq; partium rescissi Conventûs invidiam à se in alteram amoliri studente. Quicquid sit, gloriosior tam pulchri operis ingressus, quàm finis fuit. Neq; enim Dissidentes cum Romanâ Ecclesiâ conciliati sunt, & ipsi inter se hîc sæpiùs collisi, longè acrioribus posteà odiis flagravêre. Causas irriti conatûs Regii alii alias memorant. Et ipse Rex posteà aliquos consilii sui obices & veluti scopulos scripto publico vulgari jussit.

* Anni sequentis initia solenni in

* 1646.

Prussiam ingressu Sponsæ Regiæ Ludovicæ Mariæ Principis Niverno-Mantuanæ celebria fuère. . Cui apud Olivense Monasterium Frater Regius Carolus Episcopus Plocensis & Vratislaviensis, necnon Albertus Gnievossius Episcopus Vladislaviensis, tùm & splendidissimo inprimis paratu Leo Casimirus Sapieha Pro-Cancellarius Magni Ducatûs Lithvaniæ, missi à Rege occurrêre. Inde festivissimâ solennitate Gedanum 10. Februarii deducta est. Quæ Urbs exquisito armorum ornatu, tùm excogitatissimis spectaculis & omni magnificentiæ genere debitam erga Regem suum & futuram Reginam reverentiam non sine ingentibus & penè Regiis sumptibus testata est. Rex ipse podagræ doloribus eò, quò voluerat, obviam ire prohibitus, Varsaviæ Sponsam in templo S. Johannis excepit. Ibidemque mox Conjugium, manus copulante Legato Pontificis Joanne Torresio, ritu solenni sancitum, diadema autem posteà, mense Julio, Reginæ in Principe Regni Urbe impositum est. Verùm eundem anni hujus mensem Aulæ universum festum lætumq;, obitus Stanislai Coniecpolscii

Castel-

Castellani Cracoviensis ejusdemq; exercituum Regni Ducis supremi tristem fecit Poloniæ. Qui non ita pridem alterâ Conjuge ex illustri Opaliniorum familiâ domum ductâ præproperè thalamum tumulo mutavit, vir in Republ. summus, magnus inter Cives Senator, magnus in Senatu Civis, Imperator ad fortia ausa factus naturâ, ad solertiam multis casibus à fortunâ elaboratus, severis moribus apud militem, apud Rempubl. verò & Regem ipsum magnam autoritatem, apud omnes famam longè maximam adeptus. Sed quasi nec magnitudinem Coniecpolscii, nec felicitatem suam capere tùm amplius Polonia posset, eodem tempore & ille vivere, & hæc quieta esse desiit. Quod quo pacto evenerit, paucis edisseram. Coniecpolscium istum, dùm viveret, inter paucos conscium Rex habuit consilii, quod de bello suscipiendo ceperat, partim otii, quo Respubl. corrumpi videbatur, impatiẽs, partim, quod tempus venire putaret, liberandi Poloniam à servitute stipendii, quod prædonibus finitimis pendere ex pacto teneretur Respubl., sua sibi mercede emens alensq;

perniciem. At consilium, cui exequendo par erat Coniecpolscius, illo extincto. non initum modò fuit, sed & Regem cum Republ., & Rempubl. cum Cosacis collisit, verissimum malorum ingentium, quibus Poloniæ felicitas tantùm non extincta est, seminarium. Rex paulò post nuptias, ex acceptâ dote militem subitò conscripserat, inconsultâ Republ., seu, ne cum pluribus communicata destinatio hosti innotesceret, seu quòd facilius delectibus militum factis, quàm faciendis subscripturi Proceres Civesq; viderentur. Et quamvis Regi sine Comitiorum consensu militem legere illicitum esset, credebat tamen fore, ne contra leges factum putarent Ordines, quod pro Republ. factum vidissent. Aderant generosi ausûs svasores homines exteri, Itali præcipuè, & in iis validissimus Joannes Tiepoli Legatus Venetus, cui à Republ. suâ, bellum tùm adversus Turcas gerente, negotium erat datum, Regem ad arma induenda omni conatu impellere. Rex suâmet indole ad bella pronus, facilè admisit stimulos, cùm inprimis non Venetis modò, à quibus olim multo honore cultus

cultus erat, ſed & toti rei Chriſtianæ ſe ita commodaturum crederet. Et ex præcipuis Regni miniſtris continuus ei aderat, qui hunc novum Regi ſibiq; gloriæ campum impensè videbatur optare. Cæterùm, ubi legiones non paucæ ſub variis, nec unius nationis Ductoribus confluxerant, ad rem inſolentam & ſubitam, commoti Proceres Civesq;, occultis primùm carpere rumoribus, mox publico ſtrepitu incurſare hæc Aulæ molimina cæperunt. Habeo literas, quas Primas Regni tùm ſcripſit, jura Regni jurejurando ſancita, objiciens Majeſtati, quibus cautum ſit, ne inſcia Republ., vel bellum occipiat Rex, vel militem colligat: tùm monens Regem, ut Comitia indicat Reipubl. Civibus, quibus volentibus rectius proceſſurum bellum, quod iis invitis ſuſceptum, Patriæ, quàm cuivis hoſti ſit futurum periculoſius. Simili gravitate duo Cracovienſis Palatinatûs Senatores, Epiſcopus Petrus Gembicki, & Palatinus Stanislaus Lubomirski, ille autoritate Infulæ, hic maximis ſagi togæq; ornamentis eminens; enorme conſilium & manaturam indè in Republ. convulſionem, Senato-

natoria, populoq; gratissima libertate ob oculos posuit. Acerbius primùm Rex tulit, destinata sua, quæ nihil non laudandum spirarent, sinisteriùs accipi. Attamen, cum ingens ubiq; in Republ. animorum tumor, nec lene murmur Nobilium, nullis excusationibus Aulicis leniri, sed in magnam calamitatem erupturus videretur dolor publicus, passus est deniq; persuaderi sibi Rex, ut in Comitia consentiret. Quæ in Octobri hujus anni habita, magno libertatis æstu, adversus consilia novi belli, ejusq; tubas ac faces, Regiâ etiám autoritate non intactâ, exarsêre: Ordinem Equestrem moderante viro cordato Michaële Stankevicio Notario Magni Ducatus Lithvaniæ. Magnus equidem Cancellarius, dùm capita consultationum publicè, more usitato, proponeret, causam Regiam in ipso Comitiorum exordio facundè egit; *Regnum*, inquit, *Poloniæ in patentissimis undiquaq; campis, non alio quàm mutuæ in triplice Ordine confidentiæ munimento defenditur. Medium ejus spatium altissima Majestatis Regiæ specula tenet, undè remotissimæ etiam tempestates prospici, deq; iis*

iis moneri cæteri Cives possint. Additi speculæ illi sunt custodes, quibus nomen senectus, consulendi autoritatem magni muneris ratio dedit. Cives ipsi gladiis accincti tuendæ securitatis publicæ partes sibi sumpsêre. Hæc intra munimenta stat Respubl. nostra, magnis tot anteriorum Principum egregiis virtutibus decorata, tùm hodierni inprimis gloriosissimi Regis egregiis facinoribus aucta, magnorumq; porrò, Deo favente, nationum accessu augenda. Sed Statui huic tam benè composito insidiari non desinit nefaria privati commodi libido. Illa arroganti audaciâ tumens primum illud, quo tuti hactenus stamus, confidentiæ mutuæ propugnaculum molitur. Illa in turbido crescere quærens providis optimi Regis monitis fidem detrahit; illa Senatusconsulta sinistrè interpretatur, illa dissolvit Comitia, totiusq; Reipubl. vincula convellit. Ingemiscit his malis Serenissimus Rex, eoq; magis ingemiscit, quod in Reipubl: hujus gremio natus, ejusdem legibus atq. institutis innutritus, tandemq; post data a primâ juventâ suâ in ipsam amoris tot illustria documenta, Pater verius, quàm Rex nominatus, externas Paternorum Regnorum spes, & decora huic Reipubl. submisit, eidemque vitam & sanguinem suum consecravit,

sive

ſpe conciliandi ſibi benevolentiam omnium & fiduciam, quâ fretus, Rempubl. non domi ſolùm beatam, ſed vicinis formidabilem; amicisq; admirandam æquè, quàm venerandam reddere, ac porrò ad ſeram poſteritatẽ transmittere poſſet. Neq; nunc de benevolis voluntatum veſtrarum ſtudiis Sua Majeſtas dubitat; quin optimè de iis perſuaſa, ad eadem illa, quæ in particularibus Palatinatuum Conventibus proponi voluit, deſtinata, promovenda hortatur & invitat; vos ſecuros eſſe jubens, de ſincerâ ſuâ erga ſalutem Patriæ, libertatem veſtram, felicitatemque publicam curâ ac perenni ſolicitudine. Cujus præclarum indicium vel hæc Comitia, affectâ Majeſtatis ſuæ valetudine indicta, nec ſine morbi accremento fortaſſis finienda, præbent. Quæ jam ordiens providentia Regia primò omnium de periculis imminentibus monet Rempublicam, immanem maximè gentium vicinarum perfidiam vobis ob oculos ponens. Has enim nec pacta, nec ſtipendia, quæ præ tributis illi ſuſcipiunt, nec injecta Coſacis ſanguinis noſtri impendio habena, ab invaſione terrarum noſtrarum hactenus cohibent. Deprædantur fines Poloniæ, ſubditisque noſtris Budzacenſes campos, & totius penè Turcici Imperii ergaſtula replent. Nobili-

bilibus paritèr, quos deprehenderint, jugum servitutis aut durissimam redimendæ libertatis necessitatem imponunt. Jam en præclaræ Nobilitatis Virum per Poloniam ipsam non sine summo gentis nostræ dedecore circumducunt, quendam quasi mercatum Poloni sanguinis in mediâ Republ. exercentes. Horret adhæc animus noster, horret inprimis Majestas Regia, reputans secum, quid à barbaro hoc populo Poloniæ expectandum esset, si quando exercitum nostrum, qui numero perexiguo in finibus excubat, quod Deus prohibeat, clade aliquâ affici contigerit. Cui periculo dùm S. Reg. Majestas remedium circumspexit, perversis multorum judiciis sacra destinatio exagitata est. Strepuêre voces, insciâ Republ. Regem etiam non lacessitum bella suscipere, exercitus magnos in viscera Regni infundere, & nescio quid, (quod bonus fidelisque subditus de tam bono Principe eloqui refugit,) moliri. Ille optimè quidem sibi conscius, sed & Cives de consiliis suis rectius instrui cupiens, stitit sacrum impetum, & destinationem suam publicis horum Comitiorum suffragiis submittit: paternè vos exhortans, ut pensi habeatis, quid Dei, cui Respubl. florem suum debet, gloria, quid tot animarum sub barbaro jugo gementium cura à nobis requirat.

quirat. Adsunt atrocissimæ gentis Legati, quos dudum immania petentes Rex & Senatus in hæc Comitia rejecit. Hic itaque deliberandum, num fœdi illius, quod minaci ferociâ postulant, stipendii labe nomen nostrum aspergere, & avaritiam barbarorum in nostras porrò cervices armare velimus. Habet Serenissimus Rex faventem suo consilio Moschum, ad quem publicâ autoritate missus Castellanus Braclaviensis, fundamenta novæ societatis jecit, sed talia, quæ autoritate Comitiali stare aut cadere Sua Majestas cupit. Quid magnus bellator Stephanus Rex in simili negotio, jam olim agitaverit, notum omnibus est. Nec alia mens Magni Ducis Coniecpolscii fuit, quem ingente Reipublicæ hujus damno, magnoque Serenissimi Regis nostrumque omnium dolore, in medio pulcherrimarum cogitationum moliminumq; cursu mors abripuit. Hæc super bellico negotio cum solitâ vi eloquii dixisset Cancellarius, juxta mox alia in his Comitiis tractanda proponere perrexit. Quorum præcipua hæc erant: *Quomodò controversia de limitibus cum Mosco agitata, natumque inde Trubecense negotium componi, ac porrò iisdem finibus legitimo præsidio, atque*

inpri-

inprimis Smolenscensi Urbi totiq; illi Ducatui prospici possit.

Ut consulatur securitati Reipubl. maturato cum Suecis negotio pacis, cum induciæ ultra medium jam processerint. Tùm ut arcis Duneburgensis, unici in Livoniâ propugnaculi Regii, cura major habeatur, quàm hactenus habita sit.

Ut stipendiario Reipubl. exercitui, qui sese ut victimam salutis publicæ, perpetuò objiciat hostibus, præmia laborum meritorumq; solvantur initio facto à summo Duce Nicolao Potocio, qui post tot edita prioribus bellis eximiæ virtutis specimina, novissimam hyemem in ultimis camporum solitudinibus, quæ gravioris armaturæ militi hactenus verè inaccessæ fuerint, pro Republ. excubans, pulcherrimo ausu successuq; transegerit.

Ut & ratio habeatur Magnatum Civiumq;, qui spontaneâ alacritate & sumptuum impensâ Reipubl. contra hostes finitimos, laudabile Majorum secuti exemplum, servierint.

Ut inprimis quoq; Reginæ nuper coronatæ dignum amplissimæ, quam in Regnum intulerit, dotis redhostimentum, recepto aliarum Poloniæ Reginarum exemplo, liberali Reipubl. curâ constituatur.

Ubi

Ubi ad consultationem deventum, dixêre sententiam Senatores temperatâ pleriq; gravitate. Archiepiscopus inprimis Gnesnensis, & post eum alii Antistites. Vice-Cancellarius Andreas Lescinius, Episcopus tum Culmensis, *belli consilium se non probare*, dixit, *sed quia debita tuendæ autoritatis Regiæ cura ferè irrevocabile id faciat, idem illud conditionibus ejusmodi circumscripsit, quibus revera irritum fieret. Inprimis Regem non ductu suo gerere bellum, sed auspicia tantùm sua commodare volebat.* Hoc ipso injiciebatur frigus animo Regis, qui nonnisi tale bellum volebat, cujus ipse præsens teneret regimen. Verùm post Antistites, severo sermone, Palatinus Brestensis Stanislaus Sczavinius, vir acer, sed magnæ & multùm inter Cives spectatæ prudentiæ Senator, non hoc tantùm bellum, sed & alia multa, quæ in Aulâ improbabat, perstrinxit. *Ne*, inquit, *solo sacro Ordini onus incumbat carpendi quæ displicent, addam inter alios calculum meum, ut causis malorum. quibus premimur, demonstratis, S. Reg. Majestas Vestra mala ipsa tanto pronius tollat, ac desiderio fidelium subditorum*

ſatisfaciat. Nihil dare videbitur gratiæ nihil aſſentationi, (quam ſceleris inſtar quilibet, maximè verò Senator, fugere debet) quisquis fatebitur, Rempubl. noſtram ſemper ingentem benevolentiam & indeſinentem curam S. Reg. Majeſtatis Veſtræ ab ipſo uſq; felicis regiminis primordio ſenſiſſe. Simulatq; diadema Majeſtati Veſtræ impoſitum fuit, magna mox ejuſdem de finibus Regni proferendis, de recuperandis ablatis, de pace deniq; firmandâ effulſit ſolicitudo. Nec defuit conatibus favor cœli. Nam & ereptas Moſcis terras ampliſſimas & Pruſſiam redintegratam reſtituit Reip. Majeſtas Tua, ſceptro Moſcovitico, quod liberâ gentis illius erectione acceſſerat, ſponte remiſſo, Svecicæ hæreditatis jure in longum tempus reiecto. Factum hoc agnoſcimus ex mero erga hanc Rempubl. amore, Senatu tamen non inſcio. Et res Maieſtatis Veſtræ tùm Regni totius ita hactenus ceſſerunt, ut in ſummo altiſſimæ pacis flore, publicè privatimq; non alia crebrior vox ſonuerit, quàm, Vivat Rex Vladiſlaus. Sed iam gaudium noſtrum in luctum & amaritudinem degenerat. Jam miſeria inopum, & gemitus pauperum vulnerant oculos & pectora noſtra. Cauſa mali eſt conſilium peregrinum, quod S. Reg. Maieſtati,

intra

intra palatii recessus ab hominibus fortunam in alieno Regno quærentibus suggeritur. Non possunt illi Remp. amare, in quâ nihil suum habent. Nos quoq; qui jam lateri Mtis Vræ ut Senatores assidemus, olim Cameræ Regiæ familiares fuimus. Sed ab eâ consilia ejusmodi longissimè tum aberant. Porrò autem alii augent malum, qui novæ in Aulâ potentiæ inhiantes, ad nova molimina S. Regiam Mtem Vram spe variâ suscitant; Ordinem verò Equestrem perturbant: multam ore facundiam, optimumq; in Rempubl. affectum ostentantes, reverà suæ utilitatis studiosi. Dedit Respubl. Majestati Vestræ justitiæ distributivæ arbitrium, sed non credidit illa, tam audaces, & ipsi Mti Vræ adeò importunos fore filios suos, ut unum idemq; beneficium multi petituri, multi etiam, quod pessimum, impetraturi essent. Non metuerat illa tantam antiquæ virtutis Polonæ corruptelam, nec homines in libero Regno natos quicquam libertati præposituros existimavit. Sed nec Legatus iste peregrinus culpâ caret, qui in Regno nostro jamdudùm versatus, Legationis suæ scopum nunc demùm exprimit, id omni agens studio, ut belli molem à patriâ suâ in nostram avertat. Meritò admonendus

responsi

responsi illius, quod olim ejusdem illius Reip. à quâ ipse missus est, Senator Boemis societatem belli contra Cæsarem quærentibus dedit: Nolle Venetos domum suam incendere, ut fumo illo Cæsarem terreant. Has igitur causas malorum conspicati, S. Reg. Mtem Vram supplices oramus, ut peregrinos istos exesse jubeat à consiliis. Deinde obsecramus, ut Maiestas Vestra assentatoribus aures præcludat. Illorum enim blanditiæ dulces initio, in multam denique acerbitatem desinunt. Veritas contrà primâ fronte amara, dulcissimos fructus parit. Petimus prætereà, ut & Legatus hic Venetus, & exercitus externus, qui magno numero in viscera Reipublicæ penetravit, quàm citissimè dimittatur. Summè enim gravis est omnibus Regni Civibus, adeò ut verè jam dicere liceat, tetigisse nos manum Domini: Nec ullum profectò acerbius vulnus est, quàm quod manu amicâ infligitur. Sed non minus quoque calumniatrices nos linguæ vulnerant, quæ Sacræ Regiæ Majestati Vestræ multa, quæ in mentem ipsi nunquam venerant, imputare atque objicere audent. Spargunt enim libertati nostræ casses strui, & nescio quam miram agitari

Alchy-

Alchymiam, quæ Nobiles in servos, servos in Nobiles transfusura sit. Meritò hæc ridemus, qui benignam Majestatis Vestræ naturam & tot annis testatum ejusdem ergà Patriam amorem novimus. Nec ferre ejusmodi mutationes terræ istæ tam latè patentes, tamq; plenæ virorum possent. Interim auribus nostris ejusmodi voces, eò acerbiores accidunt, quando simul milite externo horrea nostra perstrepunt, quando Aulis Nobilium vis infertur, adeoq; in intimam quasi pupillam libertatis nostræ infestus imprimitur unguis. Quod cùm sit, mirari jure nemo potest, si querimur, si clamamus, si supplices manus ad Deum & Majestatem Vestram Regiam protendimus. Quare & nunc iterùm iterumq; Majestatem Vestram quàm humillimè obtestamur, ut ab hoc metu Rempubl. nostram liberet, nihilq; contra pacta & jura gentilitia fieri permittat. Hoc ubi voto nos Majestas Vestra beaverit, nihil erit tam arduum, tam difficile, quod non alacriter Majestatis Vræ causâ suscepturi simus. Finiam sermonem meum magni illius Cancellarii & Exercituum Ducis Joannis Zamoscii verbis: Cum eo amore nos Reg. Mtas Vra complectetur, quo Mtis Vræ decessores complexi sunt majores nostros, non decedes ex hac vitæ

statio-

ſtatione, niſi ſatur dierum, niſi plenus gloriæ, & Mtis Veſtræ ſoboles ſoboli noſtræ olim imperabit. Ita Palatinus, auſterâ Regi & Aulicis, cæteris non ingratâ facundiâ. Nec minori interim fervore nuncii Palatinatuum in militum delectus & totum hoc de bello novum conſilium detonuêre: cumq; ex Palatinatu Sendomirienſi eques quidam Cancellario M. addictior, intercedere decretæ militum miſſioni vellet, non intendi modò contra ſe acrimoniam verborum, ſed & gladios ſtringi ſenſit. Effectumq; tandem, ut Ordinis Equeſtris moderator Stankevicius, nomine Nunciorum omnium, dimiſſionem militis à Rege gravi ſermone poſtularet. Rex conſtante omnium Ordinum conſenſu, exautorationem copiarum urgeri videns, obluctari noluit. Quin ut tantò citius commotos in Republ. fluctus ſedaret, publicis reſcriptis exauctorare militem promiſit, id viciſſim ſtipulans, ut ſumptus, quos in delectus militares feciſſet, de ſuo Respubl. refundat. Ne huic quidem poſtulato tùm annuit Ordo Nobilium: ſed vel damno Regio voluit ſtabilitum jus, quo militem ſuo lubitu coge-

re Reges vetantur. Mirè torquebat generosissimum Principem ista in Civibus tenacitas propositi; nec perfunctoriè indè vis morbi intendebatur, cùm jamdudùm nonnisi lecto incubans publicis consultationibus interesset. Neq; deerant, qui Comitia placido exitu carere optarent, dum Principis autoritas maneret incolumis. Sed alia Regi mens, & domesticis pulsabatur stimulis, ne Comitia sine effectu pateretur diffluere. Neque enim Filio suo unico, Principi septem annorum rectè se consulturum putabat, si re malè compositâ discedere Ordines, Civiumq; adeò & Procerum animos diutiùs ægrescere sineret. Sed & Reginæ noviter ductæ prospectum volebat, cui nulla Reipublicæ bona sine autoritate Comitiali poterant dari. Illa autem quia magnam dotis suæ partem marito numeraverat, mutuam Regis & Reipubl. liberalitatem efflictim & æquo jure poscebat. Cujus voto ut satis fieret, eò remissius æstuantis populi studiis obnitendum videbatur. Tandem itaq; post longa verborum certamina in severam admodùm exauctorandi militis legem consensum est,

quæ

quæ publico ſancitorum volumini inſerta oſtendet poſteritati, optimè ſibi Majeſtatem Regiam conſulere, cum intra conſveta ſe jura continens, nihil committit, quod novis legibus coërceri mereatur. Sed & Trubecenſe negotium denuò obturbabat animos, Lithvanis compenſationem damni indeſinentèr uſq; flagitantibus. Tandem deſignatis ad compoſitionem tentandam Viris primariis, eò conſenſum, ut Georgio Trubecio & Vlodkovicio ſumma centum octuaginta millium florenorum: Lithuaniæ autem pro territorio Trubecenſi Lojovienſis & Lubeczenſis Præfecturæ ad Kiovienſem Palatinatum pertinentes darentur. Ad luſtrandas prætereà ordinandaſq; terras, quæ olim pactis Polanovienſibus Reipubl. accreverant, Cognitores nominati ſunt. Sereniſſimæ Reginæ reditu annuo in donum, ut vocant, nuptiale, in ſalinis Cracovienſibus à Rege aſſignato, ſatisfactũ. Militi ſtipendia, arcibus finitimis præſidia deſignata. Sic tandem pacatis utcunq; Civium animis Comitia ſoluta ſunt, ita tamen, ut ſupereſſet materia, ob quam anno ſequente denuò Comitiis o-

pus fuit. Quia enim metus erat, ne belli iſtius minæ altiores in animis vicinarũ gentium aculeos reliquiſſent, magno ſtudio id egerunt Ordines, ut Conventus denuò haberetur, * quò omnis belli illius mentio, & ſimul offenſa, ſi quæ alicubi inſediſſet, modis idoneis aboleretur. Sed & alia quædam non tenuis momenti negotia, quæ in illo æſtu animorum peragi nequiverant, ſub trutinam revocari, publicæ rei intererat. Primùm igitur in his Comitiis, Ordinis Equeſtris conſilia regente Stanislao Sarbievio Præfecto Grabovienſi de periculis, quæ à populis vicinis impendere videbantur, actũ eſt. Quibus arcendis *copias quidem à Rege antehac conductas bonam operam jam navare potuisſe*, Regio nomine Cancellarius ferebat; *ſed eas jampridem exauctoratas dimiſſasq́; à Rege, qui eâ in re libertatem imò & Majeſtatem ſuam conſtringi paſſus ſit, ne deſiderio Civium deeſſet. Grato animo agnoſcendum hunc Regis affectum, nec recuſandam à Republicâ repenſationem ſumptuum, quos Rex optimo in Reipublicæ commodum & decus affectu, ex ſuo & Reginæ peculio effuderit.*

* 1647.

derit. Sed nec dum quicquam ab Ordinibus impetrari tùm potuit. Ordinariis tamen Reipubl. copiis ut ſtipendia melius in poſterum procederent, proviſum, atq; ut lecti de fundis Reipubl. coloni antiquo ritu ad publicas belli neceſſitates vocari poſthac poſſint, in fundos illos, quos in privatos uſûs avaritia convertere cœperat, cum curâ inquiri juſſum eſt. His quoq; Comitiis uſitata aliis terris literarum curandarum ratio, in Regnum, conſenſu Ordinum, introducta eſt. Hactenùs enim literæ Regiæ per Aulicos Miniſtros, quò res poſtularet, ferri ſolebant, quibus in præfecturis Regiis vehicula non ſine multis querelis dabantur. Nunc abolitum id onus, & ad aliarum nationum morem, tabellarii conſtituti publici, quales Perſis Angari & Aſtandæ, hodiè per Europam Poſtæ vulgò vocantur. Cura rei iſtius in Regno primùm Carolo Montilupio, in Pruſſiâ viro inſigni Franciſco Grattæ, Secretario Regio, tùm commiſſa eſt. Conſtituta item multa, quæ in brevi hoc rerum graviorum compendio, omiſſa, alibi, inter vulgatas Regni leges reperiri poſſunt. Cæterùm Comitia iſta

Regi Vladislao extrema fuêre, initaq; hîc consilia necdum effectui cæperant dari, cum multiplici mox ictu, non domus tantùm Regia, sed & Respubl. percussa est; fatis jam tandem velut signo dato effundere incipientibus calamitates, quæ multis posteà annis, nullâ propè datâ respiratione, incubuerunt Poloniæ. Ac primùm prole unicâ Sigismundo Casimiro, impuberis quidem ævi, sed excitatissimæ indolis Principe orbatus est Rex, ingente solatio ægritudinum, quas corpore & animo, inter tot adversa, tantosq; inprimis accensæ Nobilitatis æstus passus erat: sensim & ipse accedens ad fatalem illum terminum, qui cum vitâ & spiritu Regio quietem Reipubl. ablaturus erat: Hoc ipso enim anno inolescere cæperunt semina motuum Cosacicorum, qui per se semper graves, multoq; sanguine antehac etiam constiterunt Reipubl., nunc, attractis aliis atq; aliis nationibus, non lassârunt modò, sed ad extrema pericula adduxêre Poloniam. Quæ cùm curâ & minutatim descripta historia plenior, si Deus vitam prolongaverit, aliasq; occupationes minuere voluerit, exhibebit.

Nunc

Nunc in breviſſimi compendii lineas contracta trademus.

Ordimur ab Ukraînâ, quæ eo nomine inter Slavonici generis nationes ſic appellatur, quia Ruſſiæ, Polonis ſubjectæ (nam & Moſcoviam pleræq; gentes Ruſſiam vocant) adeòq; & Regni eâ parte margo ac meta eſt. Terra fertilitate glebæ & paſcuorum ubertate felix: ſed Tartarorum invaſionibus multis jam ſeculis perpetuò exercita, atque inde magnam partem deſerta, nec niſi in commoda deprædantium fæcunda. Quà Boryſthenes interluit, frequentatior, cultiorq; eſt: oppidis iſtîc quibuſdam ſeſe adverſum barbaros tuentibus. Præcipuè verò fluvii illius accolas Coſaci manu armatâ defendere conſvevêre: genus hominum ex agreſtibus Ruthenicis, aliisq; licentioris ingenii convenis collectum, atq; inſulas potiſſimùm, quas Boryſthenes per cataractarum ſcopulos delapſus plurimas efficit, incolere aſſvetum. Cataractæ illi numero tredecim, Ruthenis appellati *Porohi*, Polonis Progi, addidêre Coſacis iſtis cognomen, ut Zaporovii vocentur. Alii, qui Tanain accolunt, Donenſes di-

 cuntur.

cuntur. Hi Moſcis, illi Poloniæ Regno ſubjecti. Utriq; Tartaris prædatoribus infeſti: nonnunquam & Turcis graves. Quorum ditiones Zaporovii iſti ſubindè olim invadere conſueverant, navigiis rudi artificio confectis Pontum Euxinum prædandi causâ tramittentes. Domi viventibus piſcium copiam Boryſthenes hîc latè ſtagnans tùm & alii amnes, feras autem ſylvæ inſulares, milii proventum vicini agri ſuppeditant. Græcum omnes ritum ſequuntur, & quia numero creverunt, ferociſſimo quoq; ſubditorum Poloniæ ad illos profugiente, omnes, qui ejuſdem ritûs, in Regno, haud priſco honore ſibi haberi viderentur, eò reſpectabant. Illi verò ſuis in Pontum excurſionibus Turcam ſæpè in ſe & ſimul Regnū noſtrum irritavêre. Undè frænareeos ratio & neceſſitas juſſit. Et in ordinem quidem, ſed multo labore & ſanguine reducti ſunt; ſic tamen, ut perpetuò ad priorem ſeu libertatem ſeu licentiam ſuſpirarent. At cum ſæpius fræna momorderint, ad arma etiam confugere auſi: nunquam tamen vi graviore & diuturniore graves fuêre Poloniæ, quàm his temporibus

bus ductore Chmelnicio. Qui in exercitu Cosacorum Scriba, & aliquoties ad Regem missus, tali exercitio in negotiis publicis peritiam, & deinde ad nova moliendaanimum collegit, quem tandem privatæ quædam cum Czecherinensis territorii sub-Præfecto Coniecpolsciano lites & dimicationes in perniciem publicam elicuêre. Malarum quippe molitionum suspectus, cum domi non tutum se amplius videret, ex fundo suo in Zaporovianas Insulas profugit; ubi plurimos sodalium cum reperisset, auxissetq; gregẽ suo comitumq; accessu, omnes mox ad vindicias, ut loqui solent tales, libertatis sumendas stimulavit, obtentui simul sumens jussa Regia, quæ ad navigia comparanda ceu novi belli futura instrumenta, accepisse se ferebat. Dux exercituum Regni Potocius novis his molitionibus obicem positurus, vocat ad se Chmelnicium. Ille invitationibus Ducis, suisque viribus diffisus, ad Tohaibegum in campis desertis tum hyemantem confugit. Initur istîc nova & hactenùs inaudita inter Cosacos & Tartaros conjuratio societasq; belli, cum antehac inter illos, ut

gente, linguâ, moribus, religione discordes, internecinum odium & perpetuum certamen fuerit, inprimis ex quo Turca nobis Tartaros, nos Turcis Cosacos opponere cæpimus.

* Juncti ita inter se isti primò filium Ducis Potocii à Patre cum copiis præmissum ad Flavas Aquas, deindè & majorem exercitum apud Corsunum circumveniunt, & magnâ ejus parta cæsâ, Duces ipsos & præcipuos Ductores militesq; in Tauricam mittunt. Inter causas cladium istarum præcipua fuit ordinariorum Reip. Cosacorum perfidia, quos iterato sacramento adactos, Dux cum filio & aliis Ductoribus adversus Chmelnicium miserat, fisus nimiùm illis, & initæ à Chmelnicio cum Scythis noviter societatis ignarus. At illi, occisis ductoribus suis, quos Poloniæ fidos, suis consiliis adversos timebãt, turpi transfugio junxêre se Chmelnicio, perduelles perduelli. Quorum prævio exemplo neminem penè Russorum posthac puduit à Republ. deficere. Dùm hæc in Ukrainâ fiunt, Merecii, oppido Lithvanico, moritur Vladislaus Rex, dudùm & cor-

* 1648.

& corpore & animo ob dictas ante causas æger: Princeps omni ante vitâ hostibus formidabilis, Civibus suis gratissimus, Reipubl. felix & salutaris, postremò eandem inconsultâ belli cupidine non parùm offendit, & morte præmaturâ tantùm non evertit.

INTERREGNUM.

EXtincto Rege Anno 1648. Chmelnicium Palatinus Braclaviensis Adamus Kisielus svadâ suâ sistit. At interim Crzyvonosſius agrestium Ruthenorum ductor, connivente Chmelnicio, immanissimè grassatur: nemine impediente, præter Jeremiam Visnovecium Ducem, qui cum Tyskievicio Palatino Kioviensi & Ossinscio cohortis prætorianæ Ductore apud Constantinovum ei felicitèr occurrit, & cum congredi ausum prælio aliquoties vicisset, bello etiam vincere potuerat, si justis auxiliis suffultus fuisset. Sed nemine succurrente, periculis tandẽ impar futurus ad tutiora se recipere cogitur. Varsaviam interim ab Archiepi-

ſcopo Gneſnenſi Matthiâ Lubinſcio convocantur Ordines: & orbæ tantiſq; cladibus obrutæ Reipubl. diſpiciuntur remedia. Duces inprimis belli deliguntur Dominicus Dux Zaslavienſis, Nicolaus Oſtrorogius Pocillator Regni, Alexander Coniecpolſcius, Regni vexill. fer, Magni illius Ducis Stanislai filius. Viſnovecium multi optaverant bello ſimul præfici: ſed eum præcipuis Aulæ & Conſiliorum Miniſtris privatæ ſimultates, & ipſa populi ſtudia ingratum reddiderant. Ipſe etiam Kiſielius jamdudùm illi infenſus, Ducem acerrimi ingenii, & Coſacis adverſum exoſumq; morá pacis fore monebat, cujus conciliandæ causâ ipſe ad Chmelnicium mittebatur à Republ. Habita iſtîc de ponendis armis conſilia, mutuis aliorum quorundam incurſationib9 interpellantur. Nam interim ex Convocationis Varſavienſis decreto, magnæ Polonorum copiæ confluxerant, Magnatibus paſſim, & Palatinatuum ſingulis turmas benè & ſplendidè inſtructas ſubmittentibus. Sed regimen exercitûs illius vacillabat diſcordiâ Ducum, imminutâq; eorum per oppoſitos magno numero

mero quasi ephoros, autoritate. Certè haud clariore unquam documento patuit, non *constare belli rationes, nisi cum uni redduntur: & periclitari omnes, ubi plures regere, quàm obsequi cupiunt.* Malo itaq; consilio hostium copiis, apud Pilaucos tuto loco confidentibus, admotus exercitus, at pessimo exemplo, idem mox dilapsus est. Et castra citra laborem & pugnam occupata, vacua hominum, opum plena reperit Cosacus & Tartarus. Qui deindè Zamosciam usq; impunè, & sine obstaculo progressi, ejus Urbis obsidione fortunam suam sufflaminavêre. Dùm enim locum fortitèr defendunt præsidiarii, datur interim spatium Reipubl. novum Caput eligendi, sine quo nihil auspicato geri, tot ingentibus illa damnis suis senserat. Sed inter tanta discrimina Electio etiam ipsa non caruit difficultate: cum ut nihil non in Regno turbaret discordia, fratres etiam Regios commisisset. Duo ex Sigismundi III. Filiis supererant Johannes Casimirus & Carolus, & uterq; magnis suorum studiis suffultus suspensam tenebat Rempubl. Sed ille ut non natu tantùm, sed & belli pe-

ritiâ, uſuq; rerum prior, præpotentibus plurium ſuffragiis, fratre tandem ultrò cedente, ſceptrum obtinuit: Deo ipſo Principi optimo & jam multifariam exercito, campum ad explicandam porrò virtutem, ſibi verò ad ingentia miracula illuſtrius pandente theatrum.

JOANNES CASIMIRUS REX.

Electionis Regiæ magnum mox pretium Reſpubl. habuit inducias cum Coſacis. Et pacis perpetuæ firmandæ causa mox iterùm miſſus Kiſielius Palatinus Braclavienſis cum aliis Viris primariis ad Chmelnicium. Rex interim Cracoviæ Regem defunctum fratrem ſuum ritu ſolenni ſepelit, & mox ipſe ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Matthiâ Lubinski piiſſimo Sene evinctus diademate, Comitia agit. In quibus idem Primas rerum per Interregnum actarum ſeriem & Senatusconſultorum rationes Regi & Reipubl. exponit. Cæteri verò Senatores de morbis Reipubl. eorundemq; remediis diſſerunt.

runt. Ab Ordine verò Equestri Pilauciana discessio acerrimè culpatur, & cognitio in tanti dedecoris Autores postulabatur, magnâ libertate, nullo effectu: multis magnis viris rigidè nimis id examinari volentibus, quod dissoni regiminis vitio contigerat, documento futurũ inposterùm, ne multis committatur belli clavus, quem *rectissime unus tenet, ubi idoneum felix electio invenit.* Ac tum quidem, cum de ulteriore belli ductu deliberaretur, Rex summum militiæ regimen arbitrio suo reservavit, vices tamen regiminis inter tres partitus est. Quorum unus fuit Andreas Firlejus, Belzensis, alter Stanislaus Lanckoronski Camenecensis Castellanus, tertius Nicolaus Ostrorog Regni Pocillator. Intereà autem Chmelnicius à Legatis Regiis clavam regendi Zaporoviani exercitûs insigne accepit Pereaslaviæ, ibidemq; multa in Jeremiam Visnovecium Ducem, Coniecpolscium Regni Vexilliferum, aliosq; qui novis injuriis Cosacos irritare viderentur, inclementèr dicit. Subindè & Legatos asperrimis responsis offendit, vires suas odiosè jactans, nonnunquam & altio-

tiorum moliminum consilia, & Turcarum quærendum aut jam quæsitum patrocinium, cum potu incalesceret, minimè dissimulans. Multâ tamen Palatini Braclaviensis patientiâ & facundis rationibus motus est tandem, ut Cosacos intra fines, quos ad Pripetum & Horinum, alibi ad Cameneciam usq; hybernis suis fixerat, contineret, atq; eorum album conficeret, à Rege deinceps confirmandum. Captivorum liberatio aliaq; Legationis postulata in futurum Conventũ rejecta. Ubi ad pacem perpetuam & obsequii fidem se non difficilem fore spondebat, si in conditiones, quas Cosacorum exercitus posceret, Rex consenserit.

Rex immodica spirantes Cosacos & in pace etiam inquietos conspicatus, colligit exercitum. * Quicquid verò veterani militis supererat, Duce Firlejo & Lanskoronscio præmittit, ne fines Volhiniæ & Podoliæ alicui incursioni subitæ paterent. Istîc multis circa hyberna velitationibus cum plebe Russicâ, quæ Ductore Krzyvonossii filio, Haraskone itẽ, & aliis passim grassabatur, novo bello apud

* 1649.

apudZvehalū, inprimis Oſtropolim, Miedzibozum, Conſtantinovum, præludebatur. Vere appetente, Chmelnicius implorat denuò Tartaros. Quorum ope fretus copias Polonorum novem circiter millium celeritate opprimere aggreſſus, cum non imparatos reperiſſet, apud Zbaraſium, ubi illæ caſtra fixerant, circumſedit. Flos exercitûs veterani iſtîc clauſus eſt, & cum eo præter Duces ante nominatos, Jeremias Dux Viſnovecius, Alexander Coniecpolſcius, & multi alii militiâ ſpectatiſſimi viri; Quorum omnium virtute ingens ille Coſacorum Scytharumq; exercitus non modò fortitèr propulſatus, ſed & multis excurſionibus attritus eſt. Ter contracta tùm caſtra, quò à tam paucis contra tantam multitudinem facilius defendi poſſent. Secuti obſeſſores intra valla à noſtris deſerta ſtabulantur, & omni vi, ſimulq; cuniculis, & deniq; variis pactionum quaſi blandiciis ab ipſo Tartarorum Regulo ſolicitantur ad deditionem. Sèd obſeſſi continuatos inter extrema pericula diu noctuq; labores, tùm famis etiam ingruentis, & ex jumentorum morientium fætore

tore contagionum discrimina, bimestres obsidii ærumnas, magnorũ Capitũ illorũ ductu & exemplo, summâ fortitudinis & constantiæ laude pertulêre, donec Rex cum copiis adversus hostem tendens, obsessis, respirationem primò, mox & libertatem dedit. Verùm magno constitit Regi & Reipubl. illa exercitûs obsessi liberatio. Cum enim ut huic succurreret, collectis in Regno viribus non spernendis, in Podoliam Rex festinaret, hostes tacitis itineribus obviam progressi, ad Zborovum, præter expectationem, circumfundere se cæperunt nostris, itineri magis, quàm prælio paratis. Et abrepti sunt primis incursibus aliqui Regiorum. Inter hos Felicianus Tyskewic, Balduinus Ossolinski, Georgius Rzecicius, viri insignes, occubuêre. Posteà cum compositus in acie miles Regius ordinatiùs pugnaret, sensit hostis, si diutius istîc subsisteret, non minore suo, quàm Regiorum periculo constiturũ certamen. Chanus inprimis Tartarorum, qui simul tùm, deserto Zbarasio, advenerat, veterum cum Poloniâ pactorum & suâ sponte memor, & per submissos internuncios admoni-

monitus, paciſci cum Rege, quàm bellum producere maluit. Conventum itaque in conditiones, quas plenior Hiſtoria exhibebit. Inter eas minimè poſtrema hæc erat, ut obſidio, quâ apud Zbaraſium alter Reipubl. exercitus duob9 penè menſibus circumſeptus tenebatur, ſolveretur. Eodem hoc tempore in Lithvaniâ auſpiciis Regiis ampliſſimam de Coſacis victoriam Dux Januſſius Radzivillius copiarũ Magni Ducatûs Lithvaniæ Campi-Ductor, ad Lojovum, reportavit. Jam dudum enim in illam quoq; Provinciam ſe Ruſſicæ ſeditionis lues infuderat, Michnenko, Poddubitio, Podobaylo ductoribus. Sed præ cæteris validam manum Chmelnicius commiſerat Criczevio, veteri inter Coſacos Tribuno, nec adeò pridem ex captivitate Tartaricâ, in quam Corſunenſi clade unà cum Ducibus Regni inciderat, redempto: Nimirùm ita rependebatur beneficiũ, quod ab illo olim Chmelnicius acceperat, fide ejus interpoſitâ liberatus ex vinculis, juſſu Conieçpolſcii inditis, cum primarum contra Rempubl. molitionum anquireretur. Crzizevio huic ſimul ut Lithvaniam ingreſſus

x. Chm: na kolanach krola przepraszał.

gressus erat, cupido incessit recto cursu castra Radzivillii ad Lojovum posita adoriendi, quæ tùm forte dimissis speculandi causâ plurimis selectorum turmis, minùs valida crediderat ad sistendum novi & numerosi exercitûs, quem ipse duceret, impetum.

Sed dùm ante castra egregiâ virtute equitatûs Radzivillii, ductoribus Mirscio, Niewarovio, Chodorovio, Podlescio, & aliis pugnatur, interim Samuel Comorovius, speculatum antehac cum mille ducentis missus, peropportunè & quasi divinitùs ad opem suis ferendam vocatus redit. Ac mox à tergo hostem aggressus, dextrum Crziczeviani exercitûs cornu hastatorum suorum vi perrumpit, impellitq; in fugam. Quos dein secuta cætera acies in sylvis tamen proximis restitabat, multos militū acrius instantium indè sauciāns. Subvenitq; laborantibus Podobailo, alterius Cosacorum exercitûs ductor, sed & hic à Gonsievio, Pawsâ, Mongomerio, Przypcovio, tùm Principis ipsius turmis equestribus fortitèr exceptus superatur, & alibi Carrago, quâ peditatus & impedimenta

Cosaci-

Coſacica protegebantur, à Mirſcio, Tiſenhauſio, Noldio, aliiſq; diſjecta, in prædam victoribus ceſſit. Inter hæc Criczevianorum agminum reliquiæ ex ſylvis erumpere auſæ, dùm fortunam ruentem erigere nituntur, victoriam Radzivillii auxêre. Quâ Coſacorum in Lithvaniâ robur mirificè infractum, & ad pacis apud Zboroviam initæ lætitiam fructumq; ingens additus eſt cumulus. Exin Comitia Varſaviæ habita ſunt à Rege, in quibus Ordinis Equeſtris Director Boguslaus Comes de Leſsno magnificâ oratione periculorum, è quibus duplicem exercitum & ipſum Poloniæ Regnum ſingularis Dei favor eripuerat, magnitudinem ediſſeruit. Quæ, ut elegans multarum memorabilium rerum, quas ab exitu Vladislai Regis tulerat Polonia, compendium, pleniori operi inſeretur. Inter Ordines deinceps de militiâ actum. Cui & ſtipendia ex tributis & ſupplementa ex certis Regiorum bonorum agris, qui antiquitùs ad id deſtinati, & deniq; ſtativa, in quibus is hyeme æquè atq; æſtate pro Republ. excubaret, deſignata ſunt. Pacis item cum Tartaris & Coſacis nuper

initæ

initæ conditiones ratæ habentur Duci Jeremiæ Visnovecio in compensationem hærediorum, quæ superiori transactione Mosco cesserant, alii fundi ad amnem Horol, Duci item Janussio Radzivillio Nevelensis & Zebirensis ditio lege feudi addicuntur. Deniq; ad rem Cosacicam rectius componendam Viri in Republ. primarii consensu Ordinum delecti sunt. Verùm mentio stativorum de quibus sæpius publicè actum, nihil verò, nisi in his Comitiis statutum est, invitat me, ut de veteri bellandi in Poloniâ nostrâ more, in alias subindè atq; alias formas mutato, nonnihil disseram. *Gens Sarmatarum antiquis temporibus ita belli curis unicè fuit dedita, ut penè omnis in armis, exercitûs instar, perpetuò ageret: genio ipso populi aliarum tùm adhuc artium rudi, paratioreq; Nomadum instar, promovere subindè, quàm figere sedes. Nam & inter vicinos, imminentesq; à fronte Germanos, à tergo verò instantes Scytharum alas prædatrices, nunquam tuta nec secura erat. Cum utrisq; multùm subindè negotii habuit, cum Germanis tamen, ut laborum artiumq; patientioribus, etsi vix unquam solidâ amicitiæ fide,*

fide, nihilominus fœderum religione jungi, & convictûs necessitudine misceri consvevit. Russos quoq; sui generis populum, ubi diu armis fatigaverat, partim subegit tandem, partim unà cum Lithvanis, matrimoniis Principum, spontaneâq; associatione sibi innexuit. Sed majores, quia cum potentibus populis rem habebant, viritim ferè omnes, ipso Principe ducente, arma capessebant, eoq; modo & tuebantur sua, & aliis formidabiles erant. Et Principibus, quoties opus esset, universum populum ad bellum vocandi potestas fuit. Proniq; tum omnium in militiam animi erant, quia nullius alterius laboris luculentius pretium ostendebatur. Per sola enim Martis opera ad Nobilitatis jura aditus patebat. Quos honoris stimuli minùs excitarent, eos permovebat metus. Si quis enim Regi vocanti non pareret, gravissimam incurrebat pœnam, idq; ipse monebat restis, seu vimen arboreum, quo, ceu signo publico arma capiendi necessitas omnibus indicebatur. Namque olim delectûs facere, aut ære exercitum conflare vix unquam moris erat: quia pecuniæ deerant, cultu agrorum istis temporibus non ultrà vigente, quàm ut populo indigenæ victus necessarius domi non deesset. De exportandis lucri causâ messibus, invehendisve

disve luxuriæ instrumentis nulla tùm erat cogitatio. Ita facilis omnibus in terrâ per se fertili annona suppetebat; Neque ipsa infima plebs adeò acritèr urgebatur ad rusticũ opus, quia qualicunque labore & suæ necessitati & Heri desiderio satisfaciebat. Postea ubi fruges vernaculas cum mercibus externis magnâ curâ mutare collibuit, & in opes luxumque laboratum est, magis magisque militia tùm negligi, tùm corrumpi, eo vehementius etiam imæ plebis servitus cæpit gravescere. Caterùm oppida in Poloniâ primùm rara, cum postea majore indies gliscente cultu, à vicinis, præcipuè Germanis, frequentarentur, ea adversus invasiones externorum, suorumque licentiam à Regibus munita fuêre: & pulchrè satis aliqua horum floruerunt, dùm majore Principum autoritate defenderentur. Illâ posteà minuente, neglectim hæc haberi cæperunt, multis ea incessentibus, ut instrumenta dominationis, & oppidorum incolas eodem penè numero cum agrestium plebe habentibus. Qui verò Urbibus Regiâ liberalitate præficiebantur, in quosvis alios potiùs usus, quàm in reparationem arcium Regiarum mœniumque convertebant reditus. Jamque adeò injuriis variis impunè pleraque patebant oppida. Nam & in istis potis-

sim ùm

simùm, pagisque subjectis, toto penè Regno hyberna turmis militaribus solebant distribui. Undè stativis ejusmodi, crebroq; ad hyberna longissimis itineribus euntium, tum indè ad castra quâvis æstate redeuntium transitu mire atterebantur, tandemq; desolabantur Civitates & pagi: invalido legum auxilio, cum & Duces belli longe abessent, & vulgares judiciorum animadversiones licentia militaris sæpe nimis facile evaderet. Ita passim cum rapacitate profusio certare cœpit. Nam cum quisque militiā ingressurus, magnam patrimonii partem in arma nimis pretiosa, vestes præsplendidas, gregem calonum impenderent, hic jam, quod in hanc nimis usitatam & quotidie augescentem luxuriam nulla stipendia, aliquando nec patrimonia sufficerent, ingruenti inde inopiæ, miserorum hominum oppressione, remedia quærebantur. Meliores plerique, ut culpam, quam negare non possent, elevarent, magnam ejus partem in Aulam derivabant. Quippe quæ non militi bene merenti, & pro patriâ cum dispendio rei familiaris, assiduoque vitæ periculo excubanti, præfecturas ac alia Reipubl. munera daret, sed palatii familiaribus aut Magnatibus aliisve minus vel egenis talium, vel dignis. Quidam & ærarii ministros incu-

labant.

sabant. A quibus stipendium laboriosè plerumq; nec nisi insigni parte ejus detractâ & post longas sæpè moras pactionesq; exprocandum quasi esset. Quo nomine graves subinde militum auditæ in Comitiis querelæ. Porrò cum externæ quoq; identidem ad pedestrem militiam conscribantur cohortes, harum ductores nimium plerumq; rei faciendæ intenti, non exhauriunt tantùm ubiq; plebẽ, sed & militem gregarium defraudant. Quippe ei aut non solvunt stipendium ex ærario acceptum, aut modis iniquis imminuunt. Eò atrocius is deinde excusatiusq; quodammodò fertur in rapinas: nec castigant flagitia Præfecti, quippe ipsi eorum & autores & exempla. Superioribus annis Stanislaus Coniecpolscius, Castellanus Cracoviensis, idemque Dux exercituum prudentissimus, agitare, ac Regi Ordinibusque proponere cæpit consilium, stipendiarios perpetuò in castris retinendi. Nam sic illi ad subita casuum semper prompti & magis sub fræno disciplinæ haberi, noxiæque istæ & Regno prorsùs exitiosæ legionum turmarumque discursationes averti posse videbantur. Agrestibus porrò oppidanisque omnibus longè & gratius & proclivius erat, cumulatiori ære dato satisfacere longe agentibus, quàm toties transeuntes, at-

que impotenter dominantes intolerabili servitute domi alere. Placuitq; hic refrænandæ militaris licentiæ modus non paucis Magnatibus. Sed plurium dissensu irritus aut dilatus fuit: multis tàm in Aulâ, quàm ex Ordine Equestri, nimiam belli Ducum potestatem fore metuentibus, si armatos exercitus soli perpetuò, procul à Rege & cæterâ Rep. sibi haberent obnoxios. Nunc quia magnitudo exercitûs Cosacici, cujus quadraginta millia capita in album militare à Chmelnicio erant relata, propiores Polonicarum copiarũ excubias requirebat, lex tandem de istiusmodi stativis lata est, Rege nimirùm ipso supremum tùm militiæ regimen tenente, cujus Majestate, quicquid in Ducibus hactenus formidatum erat, inumbrabatur. Sed mutata paulò post res hæc ipsa stativa instabilia fecêre. Adeò enim deindè & tot immissis undiquaq; hostibus Rempubl. fata exagitavêre, ut exercitûs nusquam consistere, sed locis diversissimis, nec in finibus modò, sed intra ipsa viscera Regni pro Patriæ salute, vario sub regimine, pari etiam fortunæ vicissitudine pugnaverint, uti posterior historia docebit.

Nunc enim ad cæptam rerum seriem ab excursu redeo. Dum Comitia Varsaviæ

agitantur, miles interim fremere & ſtipendia ferocius ſolito poſcere cæpit, poſtquam inprimis deceſſit Andreas Firlei, cui inter conſtitutos à Republ. Ductores militiæ, poſt Zbaraſianæ expeditionis ærumnas, exiguo tempore Palatini Sendomirienſis dignitate fatum permiſit frui. Habito tamen poſteà Lublinenſi Conventu, delecti in Comitiis viri militares animos mitigavêre, emicante hîc inter alios dexteritate ejuſdem Boguslai Leſcinii, qui ut Comitiis noviſſimis director Nobilium præfuit, ita hîc recens theſauro Regni Præfectus, quicquid ærario deerat, ingenii & facundiæ promptitudine, magno Reipubl. emolumento, ſupplevit. Chmelnicius * album militiæ conficere juſſus, à multitudine tot obſequentium armatorum animos indies majores ſumit: Regeq; inconſulto, Chanô Tartarorum contra Circaſſios opitulatur, & ab eodem mox auxiliares copias accipit adverſus Moldaviæ Ciſalpinæ Palatinum. Qui ſubitò circumventus, vix demùm multo auro, & magnis promiſſis extremo ſeſe periculo exemit, datâ tùm quoq;

* 1650.

quoq; fide locandæ filio Chmelnicii Timotheo filiæ suæ. Nec istiusmodi societatibus potentiam suam munire contentus, portæ etiam Ottomannicæ patrocinium, missis nunciis, implorat. Gravis interim equitibus Polonis in Ukrainâ ad fundos & subditos suos postliminio reversis; tantoq; magis mox efferatus est, exercitûs Poloni, sub Nicolao Potocio, recens tùm vinculis Tartaricis exempto, ad fines Ukraynæ propiore accessu.. Nimirùm res est timidissima recens parta potentia, præsertim quæ malis artibus creverit: nam quas fecit injurias, expectat semper, nec ulli ferè pactioni ita fidit, quin, si quibus iniqui aliquid extorsit, ab iis, etiam aliud agentibus, agi se putet repetundarum. Rex animo ea, quæ imminere viderentur, præcipiens, convocatis denuò Ordinibus Regni, de tuendâ Reipubl. securitate deliberat. Itur primùm sententiis in diversa. Alii inita nupèr pacta religiose servanda esse suadent, donec prior ea aperto bello violare occupet Chmelnicius. Aliis consultius videbatur *parare maturè arma, quibus vel ad meliora flecti Cosacus, vel si con-*

tumax sit, averti aut etiam præverti possit. Imprudentium fore, fidere diffidenti, & nudum Reipubl. latus exponere cupidini hominis tantum exercitum in procinctu habentis. Experiendum potiùs, an feliciore aliquo conatu accidi illud Cosacicæ militiæ robur possit, quod nec Chmelnicium unquam esse quietum sinat, nec Rempubl. securam. Discessum deniq; est in eam sententiam, legendum novum militem, & qui jam paratus habeatur, præmittendum, ut vim subitam prohibeat. Interim verò ablegandos ad Chmelnicium viros idoneos, qui moneant hominem, ne Nobiles Ukrainæ incolas premendo, tùm Principes externos ad patrocinium sui solicitando, metum & sic porrò causam novi belli præbeat Regi & Regno. Missus cum aliis Collegis Zaręba Episcopus Kioviensis, inter strepentia mox simul arma parùm auditus, nihil effecit. Campiductor verò Calinovius, quem Rex excubare in Chmelnicii conatùs jusserat, cum Nieczajo, Bohuno Cosacorum Ductoribus, jam tùm, mediâ etiam hyeme, luctari incipit. Neque enim ullam Polonorum manum propius accedere patiebatur Chmelnicius,

quin

quin eam ut hostilem mox persequeretur.
Rex præludia belli jam videns, * tanto majore curâ exercitum parat, simul quoq; omnem Equestrem Ordinem evocat. Proceres paritèr armati ad Regem confluunt, suam pleriq; manum proprio ære comparatam adducentes. Venitur in campos Beresteciæ, oppido Lescinianо subjectos, & cum istîc Rex junctum Cosacorum cum Tartaris universum robur, nec Chmelnicium tantùm, sed & Chanum præsentem reperisset, tribus diebus istîc pugnatur. Primâ prolusione præcipuè Georgii Lubomirscii & Alexandri Coniecpolscii virtus eluxit. Altera multo nobilium sanguine cruenta, excitavit Regem, ut tertio die omnem exercitum scitè ordinatum duceret in hostem. Primi incursûs gloria Duci Jeremiæ Visnovecio, & Stanislao Potocio, Podoliæ tùm Palatino cessit, & magno quidem luctamine obnisi istîc Cosaci, nostrorum tamen constantiâ aliis subinde atq; aliis suppetiis roboratâ fracti, loco deniq; cedere cœpêrunt. Media acies, quam Rex ipse ducebat, Tartaros, vi ma-

* 1651.

chinarum in fugam propulit, Chanũ elabentem ipso etiam Chmelnicio comitante. Cùm Tartari aufugissent, Cosacorum exercitus, quantumvis acie submotus, non procul tamen indè ad uligines constitit, & mox nocturno labore patentia castrorum, vallo circumdedit. Admotæ, quà ad gradum stabile solum erat, cohortes Regiæ, ut intercluderent exitum, structisq; mox suggestibus, detonari cœptum est in obsessos. Illi longo obsidio impares, missis deprecatoribus pacem, non pari equidem studio, pari tamen sinceritatis specie oravêre. Et plebs in quascunq; leges tum facilè consensura videbatur. Sed nonnulli Ductores veriti, ne suis capitibus luerent peccata omnium, periculo se subducere meditabantur. Suspicio inde ac diffidentia primùm, atq; mox levi occasione consternatio sparsa est in omnes. Ruere igitur cuncta, & per aggerem, mirâ solertiâ, ex coriis & omnis generis impedimentis, annonæ vehendæ causâ, tumultuariè pridem structum, magno certamine fugere cæpêre. Ac major sanè pars incolumis evasit. Cæteri aut uligine

mersi,

mersi, aut gladio insequentium cecidêre. Quosdam in sylvis abditos clementia Regia servari jussit. Instare posteà Rex fortunæ, & in ulteriorem Russiam ire volebat. Sed intercessit Ordo Equestris, Ducibusq; adeò prosequendi belli negotium datum est. Qui lento quidem, continuo tamen itinere velut ad reliquias Cosacorum conficiendas tendebant. At interim Chmelnicius ex prælio nuper elapsus, denuò plebem concitaverat Russicam, conflatisq; novis copiis Tartaros iterùm advocârat: nusquam tamen pugnandi copiam dare ausus, sed morâ lapsas res suas reficere quærens, fisusq; locis, in quibus omnia sibi prona, adversa Polonis sciebat. Et per commoda ei accidit mors Ducis Jeremiæ Visnovecii Palatini Russiæ, quem maximè semper, nec immeritò formidaverat. Hunc enim dùm in Ukrainam juxta cum Ducibus pergit, febris acuta tùm abstulit magnum Reip. decus ac præsidium. Is virtute bellicâ, comitate ac beneficentiâ apud plerosq; Nobilium summum amorem adeptus erat. Sed eò acrior potentibus quibusdam obluctator, infestiorem suis incre-

mentis Aulam habuit, major omninò futurus, si minor esse potuisset. Postquam ad Borysthenem usq; processisset exercitus Polonus, Nicolao Potocio exercituum Duci sociare se properabat Dux Janussius Radzivillius, qui Lithvaniâ à Cosacis repurgatâ Kioviam nupèr occupaverat. Junctisq; mox copiis majore dehinc vi ibatur in hostem. Sed bellicis progressibus pacis subindè consilia alii, atq; inprimis Adamus Kisielius Palatinus Kioviensis interponebat. Quæ Chmelnicio optatissima, nec à nostris Ducibus usquequaq; respuebantur, cum inprimis exercitum attererent morbi, ingruente jam autumno haud dubiè gravius mox sævituri. Ipsa tamen adhuc pacis etiam tentamina velitationibus interpellabantur; plebe Russicâ juxtà cum Tartaris multum obstrepente mitibus consiliis: quod illa inter arma vacationi operarum agrestium & licentiæ assveta, veterem in pace servitutem metueret; Tartari quoq; ditescendi ex prædis occasionem amissuros se putarent. Nihilominùs saniorum & autoritate potiorum connisu pax tandem inita est, quâ inter alia,

alia, in majore historiâ legenda, id obtentum, ut exercitus Cosacicus ad viginti millia stipendiariorum redactus, stationes in solo Kioviensi Palatinatu haberet, Chmelnicius ad castra Ducum supplex venit, * fortunâ hominem istum denuò quidem ad genua aliena projiciente, sed ita, ut paulò post iterùm insultaret. Tùm utiq; post infelix prælium leges pacis, aliquanto quàm ante deteriores, sed non inhonoras tamen nactus, denuò mox erexit animum, & fortunam nutare antehac visam splendido filii sui Timothei matrimonio suffulcire contendit. Cumque jam ante Valachiæ Palatinum Basilium Lupuli vi induxisset, ut promitteret filiam suam Timotheo, hunc ipsum copiis Cosacicis Tartaricisq; instruxit, quibus matrimonium adiret, armis se impetraturum ratus, quod aliis virtutibus aut lenociniis stolidè ferox juvenis non posset. Interim antem militiæ Polonæ regimen Calinovio contigerat, Nicolao Potocio Castellano Cracoviensi eodemq; exercituum Duce, non multo post novissimam patratam pacem extincto, volente fato,

* 1651. 28. Seprembr.

ut vir armis exercitatissimus, eodem penè tempore & vitâ & bello defungeretur, fortè etiam, ut instantibus majoribus malis aut præriperetur, aut locum faceret. In Aulâ quidem ortum Senatoris & Ministri status cum conjuge dissidium in violentos aliquos ausus, & acres ausuum pœnas, tandemq; pulso in exilium marito, in summam Reipubl. noxam erupit: calamitate istâ tristi alicui incendio simili, quod in unâ primum domo natum, posteà latè volantibus flammis, tecta plurima, atq; etiam urbes integras in cineres redigere consuevit. In Ukrainâ Calinovius, turmis militum Polonorum non paucis Borysthenem trajicere jussis, multitudinem Russicam illîc irritavit, agrestibus istis ægrè adhuc præsentiam exercitûs nostri, multò magis injurias & licentiam ferentibus. Chmelnicium quoq; structi in ipsum doli indicia à Bublico quodam prodita, stimularant adversus Ducem. Interim tamen ille, irâ in vindictæ occasionem reconditâ, monet Polonos in castris apud Batovum hybernantes, ne quà obicem transituris Cosacis ponendo, vim provocent. Aderat

inter

inter alios tum rei tormentariæ Magiſter Sigiſmundus Przyemſcius, vir natalibus illuſtris, ingenio autem & multo apud exteros bellorum uſu ad prudentiam & res agendas apprimè exercitus, & inde ad ſumma, ſi vixiſſet, iturus. Is periculi intelligens, maturè hortatur Ducem, ut cum equitatu liberiorem campum ingrediatur, ubi cæteros per hyberna diſperſos, &, ſi opus, alia etiam ſubſidia colligere contra vim majorem poſſet. Se interim cum peditibus, firmatâ inſtructâq; neceſſariis omnibus ſtatione, hoſti incurſaturo tantiſper negotium faceſſiturum, donec auxilio Ducis ſublevaretur. *Sed cum extrema fato imminent, nonniſi nocitura placere ſolent, bona conſilia pro noxiis damnantur.* Tranſeunte cum copiis benè validis Timotheo, Chmelnicii filio, laceſſuntur primùm pabulantes, & mutuis mox luctationibus excurſorum proliciuntur Scythæ non pauci in viciniam caſtrorum. Hæc verò latius extendi juſſerat Calinovius, ut locus etiam adventuris propediem, ut ſperabat, turmis eſſet, quas ſub ductu Volinovicii, Machovii, Calinovii junioris ultra Boryſthenem

ſthenem miſerat. Sed his cunctantibus, prior hoſtis adfuit. Quo jam imminente, dare campum equitibus, & caſtra deſeri placuit, quod horum amplitudini defendendæ paucitas militum haud ſuffectura videbatur. Ea itaq; cum impedimentis hoſti ceſsêre: quiq; egreſſus erat miles, nullo cinctus munimento, ſagittis Scytharum undiquaq; patebat: equites inprimis, peditatui circumfuſi præ aliis telis hoſtilibus erant obnoxii. Turbatis mox Ordinibus ita ab equitatu & turbâ caſtrenſi obſepti ſunt pedites, ut nonniſi per latus ſuorum petere poſſent hoſtem. Crevit indè invaſoribus audacia, noſtris conſternatio. Irruentibus illis hi implexi inter ſe, penè nec movebantur. Protinus igitur, & jam nemine penè impediente, rapi cæpêre. Et cæſis primo furore obviis quibusq;, reliquis non libertatis quidem, ſed vitæ tamen ſpes relinqui videbatur. Verùm poſterâ luce per univerſa Scytharum caſtra horrendi carminis mandatum ſonuit, univerſim omnes trucidandos captivos. Periit ibi vetus militiæ & antiquis meritis opibuſq; ſplendidus, ſed infelix Dux

Cali-

Calinovius, periit Przyemſcius, periit Marcus Sobieſcius Cracovienſis Caſtellanides, qui erectiſſimâ indole, & magnis virtutis ſpeciminibus datis ingens decus pollicebatur Reipubl., periêre ſimul multi alii inſignes viri, imò omne, quodReipubl. tum ſupererat, veteranæ militiæ robur. Pauciſſimi ſub primordia conflictûs elapſi. Coricius ex præcipuis equitum ductoribus in caſtra hoſtilia cum aliis deductus, faventiorē fortunam ſenſit. Eum enim primæ notæ Tartarus, contractæ antehac inTauricâ familiaritatis memor, nunc agnitum ſummâ ſolicitudine periculo, quod cæteros abſtulit, exemit. Par quoq; fatum Chriſtophorum Grodzicium ſervavit, qui deindè ab Hilario monacho Carmelitâ ex vinculis Scythicis redemptus, in locum præclari illius Przyemſcii ſucceſſit, & inſigni erga patriam fide rebuſq; geſtis Senatoriam tandem dignitatem obtinuit. Sed antequam hæc ad Hypanim fierent, domi etjam gravem Reſpubl. labem acceperat, Comitiis per diſcordias citra ullum bonum effectum diſſolutis, fruſtrà cum aliis obnitente magno inRepubl. & ſcriptis

etiam celeberrimo viro Maximiliano Fredro Nunciorum præſide. Ideò alia indici oportuit, in quibus Ordinis Equeſtris directore Sielſcio Præfecto Stęſicienſi de novo exercitu conficiendo deliberatum. Non multò poſt obiit Regni Primas Matthias Lubienſcius, qui vir recti ſemper conſilii, ſuaviſſimæ pietatis indole, animo tranquillo, corpore & judicio integer ad grande ſenium pervenerat. Ei ſucceſſor deſignatus Andreas Comes de Leſno, hactenùs Epiſcopus Culmenſis & Cancellarius, locum aperuit Stanislao Coricinio Præfecto Oſwięcimenſi ad majus ſigillum, ad minus Andreæ Trzebicio, cujus acre & perpolitum ingenium tum vigilem fidamq; operam in maximis negotiis Rex jamdudùm erat expertus.

Sed munerum iſtorum promulgatio pro more Regni in proximis demùm Comitiis facta. * Quæ exeunte hyeme habita ſunt; nuncios Palatinatuum moderante ſummi ingenii viro Chriſtophoro Pacio M. Duce Lithvaniæ tum Vexillifero, poſt M. Cancellario. In Ukrainâ

* 1653.

nâ verò interim excubabat pro Republ. Stanislaus Potocius Palatinus Podoliæ, post acceptum de cæde Calinovii nuncium adeptus regimen exercituum Regni. Ad quem deindè Regi etiam ipsi, collectis ex Comitiali decreto copiis, tendere visum est evocante, inprimis ipsum famâ novorum motuum, qui in Valachiâ tùm surrexerant. Istîc enim Basilium Lupuli principatu dejectum ibant duo vicini Palatini Transsylvanus & Moldavus, æmuli potentiæ, & nunc Chmelnicianâ affinitate nixum suspectantes. Ac consiliis suis faventem habuêre Stephanum, Basilii Cancellarium. Qui pravo ambitu in Dominum rebellis, tali tamen lenocinio auxilia vicinorum excivit, quòd in Basilio Cosacica simul potentia premi videbatur. Undè adeo Regia quoq; arma sociavit suis. Sed omnis belli istius vis intra Soczaviam stetit, primariam Valachiæ arcem. In quam profuga Basilii uxor, thesauros simul deportârat. Ea ibi à Stephano, necnon duorum vicinorum Principum, Regiis denique copiis, ductore Conradscio obsessa, defendebatur à Timotheo genero suo, filio Chmelnicii.

Sed hunc rotæ tormento ictæ fragmentum neci, Soczaviam verò præsidii Cosacici quod jam capite careret, despera.io obsessoribus tradidit. Qui cum Rege erat exercitus, tarda causatus stipendia, segniter & lentè tùm Imperia audivit, moráq; postea ad penuriam redactus est. Laborantibus supervenit Chanus, Tartaris & Cosacis comitatus, nec contentus ad Zvanecium commeatum copiis Regiis intercepisse, longè latèque populatur provincias circumjectas. Tandemque amicitiam cum Rege veterum stipendiorum & auxilii mutui stipulatione paciscitur. Hoc pretium anni hujus expeditio tulit, cum Respubl. multò majus sperasset. Sed atrociora longè parabat fortuna. Primùm enim Comitia * inter multas Senatorum civiumq; offensas diffluunt, grandes inprimis difficultates movente Lithvanici exercitûs supremo regimine, quod tùm vacuum Dux Janussius Radzivillius suis meritis deberi pertendebat. Contranitebantur alii, qui Principem supra civilia eminere visum, majore

* 1654.

majore potentiâ armare verebantur. In Russiâ verò Cosaci, Tartaros fortunæ suæ hactenus autores & vindices cumRege vetus amicitiæ fœdus renovâsse conspicati, alia sibi munimenta dispiciunt. Quæsitumq; diu Moscorum patrocinium, nunc demùm, pertentatis diu utrinque animis, suscipiunt: Mosco antehac rebelles contra amicum adhuc Regem tueri dedignato, nunc lubenter suscipiente supplices, quia isto Cosacorum ad se accèssu veterum cladium maculas eluere, & damna sarcire se posse sperabat. Et hæc utilitatis illecebra ad rumpendam amicitiæ fidem Aulæ huic suffecit. Quanquam Dux ille alias Polonorum injurias obtendebat, titulos inprimis aliquos, quos à Proceribus quibusdam Polonis sibi negatos jamdudùm questus erat. Neq; Respubl. quicquam eorum, quæ ad honorem Principis illius facere viderentur, omisit. Sed occasionem res suas augendi nacto, inania etiam in prætextum belli placuerunt. Rex novum fessæ Reip. ingruere hostem videns, Comitia denuò habet. * In quibus nuncios terrestres mode-

* 1654.

moderante Christophoro Grzymultovio Succamerario tùm Calissiensi, postea Castellano Posnaniensi, tributa sciscuntur, & exercitus ad 36 millia militum augeri jubetur. Dux Janussius Radzivillius Lithvanicæ militiæ regimen, sed simul mox Collegam accipit, VincentiumGonsievium, qui cum thesauri simul Lithvanici gereret curam, hoc nervo rerumDuci majori interdum gravis, semper æmulus esse visus est. Gliscentesq; inter hos simultates plurimùm Reipubl. obfuêre: *re omnibus seculis testatissima, malè certari in hostem, ubi qui bella regunt, mutuis inter se odiis, negotium quodammodò hostis agunt.* Hîc utiq; Moschus validissimo exercitu Lithvaniam ingressus, diu nullum obicem reperit, copiis Lithvaniæ tum minoribus, quàm ut opponi tantæ potentiæ possent, quæq; erant, in diversa à Ducibus trahebantur. Ita hostis Polociam, Drohobuscum, Mscislaviam, Vitepskum, Mohiloviam nullo negotio capit. Smolenscum quoq; aliquamdiu obsessum, opinione omnium citiùs deditur obsessori, atq; ita perit cum validissimâ Urbe provincia amplissima, tanto moli-

molimine à Sigiſmundo & Vladislao Regibꝰ olim recuperata, defenſa & tot territoriis eidem Moſco ereptis, aucta. Rex de Lithvaniâ liberandâ Grodnæ deliberat, & auxilio cohortes prætorias Ductore Fromondo de Ludingshauſen Wolffio veteri Tribuno eodemq; rei armentariæ præfecto ſubmittit. Obſidetur Mohilovia, ſed inani conatu. Majora ex Regno ſubſidia deſiderabantur, commeant bus eâ in re gravibus Procerum Lithvanicorum & inprimis ſuſpecti ibi Ducis exercituum literis, nec minùs acribus in illum Primatis Andreæ Leſcinii reſponſis. Regni exercitus in Ukrainâ attinebantur, navabantq; iſtîc eo ipſo bonam adverſus Moſcos operam, cum Coſacos refrænârent, qui alioquin miſſis Moſco, Patrono tùm ſuo, ſuppetiis, res Lithvaniæ magis turbaſſent. Et recuperavêre tùm Regni Duces Buſſam, aliaq; loca, adſcitiſq; Tartaris, quorum nuper Chanus cum Rege fœdus mutuo juramento firmaverat, obſtacula, quà poterant, Coſacicis Moſcicisq; progreſſibus, poſuêre. Inter hæc vita exceſſit Chanus Islan Gercius, magna Poloniæ, dùm Coſacis patrocina-

trocina-

trocinaretur, pernicies, postremò Poloniæ reconciliatus, belliq; socius eidem & auxiliator, cum Cosacus Moschorum dominio innexus, non minùs damnum Tartaris, quàm Poloniæ minaretur. Et hæc cum Rege amicitia Chano etiam superstes mansit. Nam Successor ejus subindè postea laborantibus rebus, nostris succurrit: eò gratior Regi amicus, quod nunquam hostibus Poloniæ sociatus, nullas, ut decessor fecerat, à se illatas injurias, ope præstitâ expiandas habuit, & manum eo maximè tempore porrexit Regi Regnoq;, quo totus Septentrio in perniciem Poloniæ conspiraverat, cum deniq; nemo propemodùm afflictam sublevare auderet: Deo per sacræ fidei expertes populos ruborem incutiente Christianis, qui mutuis odiis, bellisq; profanæ barbariæ tum potentiam augent, tum opem ejusdem mutuò sibi faciunt necessariam.

FLO-

FLORI POLONICI

Liber VII.

VErùm cum non modicas Reipubl. Polonæ calamitates libris ſuperioribus memoraverim, futuras tamẽ ſi ſpectes, quæcunq; illa hactenus pertulit, nonniſi præludia fuerãt majorũ. Nimirùm flumina malorũ quodammodò ripis ſuis effuſa huc uſq; pauperiem hîc illîc feciſſe: nunc collectis ubiq; torrentibus totum undiquaq; Regnum inundari dixeris; ac jam mare ipſum quoq; fluctus ſuos in intima terræ illius viſcera infundere. Nec vano colore mare jam nominamus. Quos enim hactenùs Polonia experta eſt hoſtes, eos nonniſi terræ potentes, præcipuos etiam ipſa ſibi infelix mater in malum ſuum ſe progenuiſſe ſenſit. Nunc ſtratâ per illos viâ, & aperto velut oſtio, tranſmarinæ etiam gentes, ceu declivi ſolo ſeſe injiciunt. Bellum Suecicum innuo, quod ut omnium triſtiſſimum funeſtiſſimumq;, nunc tangere verius,

verius, quàm curatè describere aggredior. Exacta enim ejus historia implebit librum peculiarem: & præter me non unus argumento huic, gravi sanè & tractatu aspero admovit manum, vel admovebit. Primùm autem belli originem aperiam. Ingens super hæreditate Regni Suecici inter Sigismundum Regem & Carolum patruum ipsius, controversia olim orta, & dein armis diu disceptata, sumptâ per inducias respiratione, ultra mortẽ utriusq; ad posteros transiit. Vladislaus Rex Sigismundi filius & successor, juris paterni hæreditatem titulo semper professus, belli inducias prorogavit, & posteà fato abreptus, rem integrã ad fratrem Joannem Casimirum transmisit. Inter hunc & Christinam Gustavi M. filiam illibata armorum quies mansit. Et horum Principum auspiciis de pace perpetuâ agi cœptum est, misitq; Polonia eo fine bis Lubecam Joannem Comitem de Lesno, & Sbigneum Goraiscium insignem utrumq; Regni Senatorem. Misit & Suecia suos. Sed stetit uterq; conatus intra disputationes de titulis Regum, & præliminaria, quæ vocant. Interea

tereà Christina sceptrum avitum, & post ingentia ditionum accrementa opimâ etiam pace felix Consobrino suo Carolo Gustavo, Principi Bipontino, spontè tradidit. Seu ut animum supra sceptra eminentem ostenderet, seu quod majorem ad Divinæ Sapientiæ studia libertatem vestigaret. Europa nondum in aperto exstantibus, quæ magnam Principem agitavêre, stimulationibus, magnoperè admirata est cœptum seculo inauditum, nec antehàc nisi paucissimis, & ferè talibus usurpatum, quibus fessæ ætatis, & molesti regiminis fastidia fecerant desiderium quietis. Ista Princeps in ipso & ætatis & fortunæ flore magnitudine se suâ exuit. Cæterùm Poloniæ multùm noxia hæc abdicatio fuit. Cum novo enim Sveciæ Rege novæ mox natæ sunt lites, & atrocissimum deniq; bellū. Nam quod in Succiâ Internuncius Regis Poloniæ Canasilius gente Gallus inaugurationi Caroli Gustavi reclamâsset, etsi id inscio Senatu & Republ. Polonâ factum videretur, violata tamen eo ipso induciarū pacta dicebantur. Classis prætereà pro Poloniæ Rege conficiendæ mentionem

in Hollandiâ & alibi fecerat quidam Regia negotia apud fœderatos Belgii Ordines agens; non quod ullum eâ de re mandatum à Republ. Polonâ haberet, sine cujus tamen scitu & consensu ardua istiusmodi non habentur rata; sed quod naves ejusmodi ex usu Reipublicæ fore, sibi & aliis persuaserat, talibus inprimis, qu hæc, ut pactis adversa, à Suecis, in causam belli raptum iri, minimè erant arbitrati. Regi ipsi utiq; & Reip. fide pactorum servandâ nihil erat antiquius. Nec sana profectò ratio svadebat, plura arcessere bella Regno, inter tot hostes jam distracto fatigatoque. Testando insuper animo benevolo, pacisq; studioso missus hoc tempore in Sueciam est ex intimis Aulæ familiaribus Andreas Morstinius tùm Dapifer Cracoviensis, postea Regni Referendarius, & tandem jam supremus ærarii Præfectus.

* Sed quod in fronte literarum Regiarum quas fidei conciliandæ exhibuerat delegatus, titulo Regis Sueciæ duæ notæ abbreviationis (&c &c) non tres appositæ, in fine porrò earundem literarũ, non

* 1655.

non Regni, sed Regnorum Joannis Casimiri annus adscriptus erat, id ita Holmiæ acceptum est, acsi Rex Poloniæ juri novi Regis Sveciæ detractum iret; & quasi idem Rex noster in Sueciam etiam scribens, titulo Regis Svetici, contra pacta Stumsdorffianæ conventionis uteretur. Quæ res etsi minoris momenti esse videri possit, quia tamen inter prætensas belli sequentis causas Principem penè locum obtinuit, curatiùs hîc exponenda videtur.

Cum anno 1635 inter Vladislaum Poloniæ Regem & Christinam Sveciæ Reginam induciæ annorum 26 fuissent initæ, aliquandiu illic circa titulos pactorũ instrumentis præfigendos disceptatum est, quia Sueci nolebant in illis pactis Vladislaum vocari Regem hæreditarium Suecorum, quo alioquin titulo Rex ille uti solebat. Litem istam finire tandem placuit factâ utrinq; titulorumRegalium abbreviatione, ita ut postquam Vladislao Regi datum esset nomen Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ, reliqua quæ addi cæteroquin moris erat, nonnisi triplici etcæteratione (ut vulgò dici solet) ap-

 positâ

positâ innuerentur. Similiter triplex etcæteratio addebatur Christinæ, postquam Regina Sueciæ, Magna Dux Finlandiæ nuncupata esset. Tales tituli pactis inscripti, & typis editi sunt. Rex deinde Casimirus, si quando Christinam Reginam Sueciæ compellaret literis, eas linguâ Gallicâ scribebat, atq; etiam Gallico more compendifacere solebat titulos. Postquam Carolo Gustavo Christina tradidisset sceptrum Sueciæ, ille literis ad Johannem Casimirum exaratis, tres illas &cæterationes adjecit; idq; vicissim à Joanne Casimiro in responsum observatum est. Sed cum postea amicitiæ ac pacis stabiliendæ causâ mitteretur Ablegatus, in literis fidei duæ tantùm &cæterationes titulo Regis Sueciæ fuerunt adjectæ, errore scribæ, qui malè correctum exemplar pactorum Stumdorfianorum in curiâ quâdam erat secutus. Scienter studiove offendendi id haud fuisse commissum nemo credere possit, qui noverit, minimè tum è re fuisse Poloniæ bello Moscovitico & Cosacico implicitæ, plures sibi inimicitias quocunq; modo attrahere. Ea tum res adeò offendit novum

vum

vum Sueciæ Regem, ut nec Ablegatum, nec literas, etiam errore correcto, admiserit. Postquam enim Ablegatus citatissimis itineribus Aulæ Polonæ causam negatæ admissionis significasset, aliæ sine morâ literæ submissæ sunt, in quibus tres &cæterationes expressæ, & in calce illud *Regnorum nostrorum*, quo pariter offensa erat Suecia, mutatum fuit. Sed prono in bellum Caroli Gustavi animo, inter alias etiam hæc levissima excusatio sufficiebat, nec ulla mutatio mutavit Poloniæ invadendæ cupidinem. Quam immotam ei sedisse, ex ipsis quoq; patuit sollicitationibus, quibus ElectoremBrandeburg. ad societatem belli concitare dudum studuerat.

Rex Poloniæ cum in Sueciam expediret Morstinium, per eum ipsum Majoris Legati adventum eidem Suecorum Regi promitti jusserat. Et destinatus jampridem illuc erat Sbigneus Goraiscius, Castellanus Kioviensis, vir spectatissimæ ad ardua agenda dexteritatis. Sed eum ob valetudinem, & alia obstacula cunctantem subita ab apoplexiâ sideratio abstulit. Interim venit Varsaviam

res Poloniæ exploraturus Kochius, hactenus res Suecorum Gedani agere solitus. Qui cum literas ad Senatum Polonorum scriptas Primati Regni Andreæ Comiti Lescinio porrexisset, responsum tulit plenum benevolentiæ affectûsq; pronissimi non ad inducias solùm integerrimè servandas, sed & ad pacem pangendam perpetuam. Quin simul ac luctuosa mors Goraiscii innotuit, designatus mox summæ autoritatis Senator Joannes Comes de Lesno Palatinus tùm Lenciciensis, ut in Sueciam cum plenissimâ pacem tractandi potestate, autoritate Comitiorum, quæ XIX. Maji Rex habuit, confirmatâ, proficisceretur. Additus eidem ex Lithvanici Statûs ministris Collega Daniel Narussevicius, postea sigilli Minoris Lithvanici, uti & Comes Lescinius Polonici, curam adeptus. Ivit simul Regni Vice-Instigator Joannes Tonski vir magnæ & prudentiæ & facundiæ Legationi à Secretis. Inter arcanorū conscios etiam hujus historiæ autorē Comes Lescinius ex consilio Primatis & aliorum adsciverat. Holmiam Legati venêre incunte Julio sub ipsum prope finem Comitiorum Svetico-

ticorum, in quibus bellum adversus Poloniam jam erat decretum. Parùm igitur tempestivum videbatur de pace istîc agere. Nihilominùs consensum utrinque est, ut aliqua fierent tentamina, ne Legati prorsus irritũ iter tanto sumptu suscepisse viderentur. Atq; ut tempori parceretur, convenit inter partes, ut citra solennitatum præliminarium ambages, ad ipsa negotii capita accederetur. Venêre itaq; ad Legatos nostros Comes Ericus Oxenstiernius Cancellarius, Comes Magnus de la Garde tùm Thesaurarius, Gustavus Bielke Regni Senator, Laurentius Cantersteinius Secretarius Statûs. In primo congressu Cancellarius Sveticus pauca honori & benevolentiæ testandæ causâ præfatus edisserere cœpit omnia, quibus fides induciarum ex parte Polonâ rupta esse judicaretur. Primùm irruptiones violentæ à Bothio & Crocovio Ductoribus militiæ, in ditiones Sueticas olim factæ objiciebantur, item inimica aliqua machinamenta in Oesaliâ Insulâ, ad hæc consilia cum Ordinibus Belgii fœderati de classe parandâ inita, deniq; usurpatus à Rege Poloniæ Regni Suetici titu-

 lus.

lus. Ad singula Comes Lescinius Palatinus Lenciciensis breviter reposuit: *Primùm Bothius, si quid aliquando tentaverit, factum id esse inscio & inconsulto Senatu Polono, ejusdemq; ut fidejussoris interventu omnem illam Bothianam fabricam in herbâ oppressam. Krocovium eo tempore, quo per Poloniæ fines Pomeraniam invaserit, Cæsari Germanico militâsse. Transitum verò ejus Poloniæ prorsùs fuisse inopinatum. Ac pactis equidem Stumdorfianis cautum olim esse, ut neutra pars hosti alterius auxilietur, sed neutri tamen injunctum, exercitum perpetuò dare, qui ad quævis vicinorum molimina excubaret, subitasq; ejusmodi irruptiones transitionesq; prohiberet. Si transgreßûs tales in causam belli trahere liceat, habiturum etiam Imperatorem, quod Poloniæ objiceret, cum quo initis olim pactis similiter cautum sit, ne pars alterutra hostes alterius juvet. At transiisse per Poloniam Majorem Banieri Ducis Suetici conjugem mille ducentis militibus comitatam. Omnes hos nihil hostile in Poloniâ expertos, ab aliquibus etiam comiter habitos esse. Cæsarem tamen nunquam eo nomine de Polonis questum,*

ſtum, multò minùs pactorum violationem iis objectâſſe. De Oeſaliâ quod oggeratur, prorſùs inauditum ſibi antehac: neq; adeò rem, quæ aut nulla ſit, aut adeò obſcura, ut & præcipuorum Regni Senatorum notitiam effugerit, in cauſam belli ſufficere. Cum Ordinibus fœderatis, ſi quid unquam agi cœptum eſt, id à Regni Ordinibus nunquam approbatum, adeoq; irritum fuiſſe. Quæ autem Poloniæ Regno imputare quis velit, ea Rege & Senatu autore, ab Ordine Equeſtri juſſa eſſe oportere. Secus enim in hoc Regno nihil ratum haberi. Cæterùm quod Rex Poloniæ jus & titulum ad Regnum Sueciæ ſibi vendicet, id nec mirum, nec vitio vertendum eſſe, cum naturâ omnibus mortalibus inſitum ſit, eo non libenter cedere, quod ſibi deberi videatur. Præcipuè autem de titulis non adeò eſſe laborandum. Reges etiam alios, etſi Regnorum ſuorum & autoritatis pertinaces, circa hæc inania haud quaquam eſſe difficiles. Titulum Franciæ à Regibus Anglicis uſurpari, Galliâ ideò bellum non movente. Regni Gothorum & Vandalorum titulum tàm Daniam, quàm Sueciam ſibi vindicare, ſalvâ tamen utriuſq; Regni pace. Henricum

Valesium non Galliarum modò, sed & Poloniæ se Regem vocari voluisse, etiam cum Polonia alium jam Regem haberet. Polonos tamen inane hoc nominis blandimentum illi haud quaquam invidisse. Regem Poloniæ, Dominum suum, longè validius ad Regnum paternum sibi jus esse arbitrari, & tamen, cum re ipsâ id non possideat, nominis saltem honorem non ægrè illi permitti posse. Cæterùm his quæ nonnihil acerbitatis forsan habeant, omissis ad ipsam negotii quasi arcem sibi accedendum videri. Et si Legati partim de his sine mutuæ offensæ metu agere non posse putentur, Mediatorem adhibendum, qui rerum tractandarum asperitatem verborum mollitie castigaturus sit. Cancellarius Sveticus respondit: *Non esse nunc de his, quæ mutuò animos exulcerare possint, operosius disputandum, sed missâ objectorum responsionumque reciprocatione, ad ipsum, quem Legati habeant, scopum accedendum. Et fieri id optimè posse citra Mediatorem. Ejus enim interventu multùm temporis perdi, cujus angustia, Rege abitum minante, omnia compendia quærere jubeat. Moderati autem animi ea utrinque jam data specimina, ut*

mitiore

mitiore modo agere negotium nec Mediator fortaßè poßit. Cùm hoc dixisset Comes Oxenstiernius, visus est expectare, ut fidentius tandem Legati exponerent desideria sua, ob quæ venissent. Illis nondùm penitus e re esse videbatur animum nudare. Non abstinuêre tamen, quin innuerent *armorum Sveticorum societatem contra Moschos gratam Poloniæ, Sueciæ ipsi non inutilem fore. Notas esse gentis istius injurias, & quid ab illâ polliceri sibi Svecia debeat, vel ex bello Lithuaniæ præter ullum fas illato, tractisq; ad obsequium suum subditis Regni Cosacis disci posse. Hostem istum amplissimis ditionibus & immenso hominum numero pariterq; opibus pollere, & nihil non in alios etiam ausurum, si quod fata prohibeant, sinistris Poloniæ successibus potentiam auxerit.* Cancellarius Sveticus, etsi Legatos nostros nondùm penitùs sensa animi sui detexisse perspiceret, ea tamen, quæ dicta essent, ad Regem sibi & Collegis suis referenda dixit. Postridie Rex Sveciæ cum Senatoribus Regni sui habuit consilium, in quo quid constitutum sit, effectus posteà explicuit. Exin verò iterum iterumq; iidem illi Sue-

ciæ proceres cum Legatis noſtris, de præcipuis capitibus, jure inprimis, quod Rex Poloniæ in Sveciam, Polonia in Livoniam habere ſe aſſerat, utrinq; multâ cum curâ, citra tamẽ verborum acrimoniam, agitatum eſt. Et ita procedebat negotium, ut & animis odiũ, & odiis anſa magis magiſq; detrahi videretur. Nec dubitabant Legati noſtri, paucis diebus magnum quid effici potuiſſe, ſi Rex ad bellum quàm pacem paratior, aliquam moram itineri ſuo injici ſuſtinuiſſet. Verùm is eundi certus, apertè teſtabatur, ſuam apud exercitus præſentiam omninò requiri. Interim tamen vel inter arma etjam de pace acturum ſe, ſi Legatis ſecum in Pomeraniam ire luberet. Legati negabant ſe injuſſu Regis & Reipubl. ſuæ ſequi poſſe Principem, arma Poloniæ jam inferentem. Interim ne & pacis negociationem aſpernari viderentur, conſenſerunt, ut menſe ſequenti rediretur ad cæpta pacificationis tentamina: ſimul ingeminantes, rem æquam facturum armatum Regem, ſi ſaltem eo uſq; deſtinata bellica differret. *Melius ſub clypeo induciarum, quàm inter ſtrictos gladios de pace*

agi posse. Sed Regi adeò belli amor sedebat, ut nulla penè celeritas festinanti satisfaceret. Re igitur aliò rejectâ, Rex cum classe multo milite & impedimentis gravidâ in Germaniam, Legati verò Gedanum suis, quibus venerant, navibus, cumRex adornatissimam frustrà iis obtulisset, contendêre.

Cæterùm à RegeSveciæ præmissus jam erat Wittebergius cum multis millibus armatorum in Pomeraniam, quos dein ordinatos auctosq; rectà in Majorem Poloniam duxit, mirificâ, non inani spe, omnia istîc prona sibi pollicitus. Et levi ad Notesium amnem paludosum dimicatione mota sunt prima provinciæ capita, ut sese, & amplissimos duos Palatinatûs protectioni Sveticæ, scriptis certis legibus submitterent; Equitatu, quem ad defensionem conduxerant, ex ordineNobilium conflato, qui pedestribus copiis junctus, bonas operas edere potuit, solus verò Sveticæ militiæ robur non diu sustinuit. Pedites autem ex certis Reip. agris conscripti, & modici numero & rebus ad bellum necessariis malè instructi erant. Nimirùm spes pacis per Legatos

in Sueciâ protrahendæ pleroſq; hîc & alibi ſecuros reddiderat; nec niſi pacem, ipsâ hâc armorum oſtentatione à Suecis quæri, ſubdoli aliqui perſuaſum iverant populo. Æmulatio porrò inter præcipuos Poloniæ Magnates, tùm & inter ipſos belliDuces ſimultates, jamdudùm iſtîc conſilia publica, & nunc apparatum belli, progreſſumq; rerum turbabant. Nec leves quorundam Principum contra Aulam offenſæ intervenerant. Unde & oblatas ab Electore Brandeburgico in Noteſi præſidium cohortes, alii cenſuerant ſuſcipiendas, alii ut ſuſpectas ſpreverant. Deniq; cum ubiq; omnia in Regno laborare viderentur, deſperatio ſubiit, & ultrò creditum quibuſdam, cæteris perſuaſum eſt, ſatius eſſe maturè amplecti protectorem Regem, quàm victori poſtea legibus iniquiſſimis ſubjici. Aderant ſciti talium ſuggeſtores, ambitûs aut vindictæ cupidine flagrantes. Cæterùm omnia hæc cum in Pomeraniâ audiret Rex Sueciæ, tantis fortunæ auſpiciis lætus, eo magis ſibi approperandum cenſuit, ut præſentiâ ſuâ inclinatas Poloniæ res impelleret. Alterumq; adeò exercitum nuper
ex

ex navibus in terram expoſitum, non lento agmine, alio tamen, quàm quo Wittebergius irruperat, itinere in viſcera Regni duxit; & mox acceſſione Wittebergii ad Colum oppidum factâ, perſequi cœpit Regem cognatum. Hic inopinatâ celeritate iſtâ, quâ imminere ſibi jam ſentiebat Regem, quem nondum hoſtem esſe crediderat, nec minûs defectione Majoris Poloniæ perculſſus, ſiſtere ruentem, quà paciſcendo, quà armis nitebatur. Et contraxerat ex proximis Palatinatibus non exiguam Nobilium manum, cui ex veteranis & prætoriis inprimis cohortibus tria admodùm millia robur addiderant. Nam ordinarii Reipubl. exercitus cum Ducibus alibi detinebantur: Coſacis in Ruſſiâ, Leopoli, Moſchis Lithvaniæ Metropoli imminentibus. Hi ſinguli minimùm ſexaginta millia pugnatorum ducebant in Polonos; & totidem millibus, quoties vellent, augere poterant exercitûs ſuos. Nunc Sueciæ Rex minorem quidem, ſed compoſitiorem invehebat exercitum, & ſpe ambituq; immenſo incenſus, cor ac caput ipſum Poloniæ Varſaviam & hinc Cracoviam petebat.

tebat. Ac primæ felicitatis blanditiis augeſcebat indies exercitus Sveticus. Accingebantur pariter Poloni in Palatinatibus quiq; ſuis, & aliqui, ut memoravi, ad Regem apudLoviciam caſtra figentem acceſsêrant, ſed ſparſim & tumultuariè magis, quàm ut in juſtam mox aciem educi poſſe viderentur, præſertim in hoſtem apparatiſſimè inſtructum. Hunc igitur pacificis conditionibus mollire, curſumq; rerum hoſtilium utcunq; retardare cupiens Joannes Caſimirus, natalibus & militiâ ſpectatiſſimum in Republ. Virum miſit, qui tali oratione Carolum Guſtavum allocutus eſt: *Mirari ſatis non potuit Sereniſſimus Rex ac Dominus meus Clementiſſimus Johannes Caſimirus & Senatus Regni accepto primo nuncio, intrâſſe exercitum Majeſtatis Tuæ Duce Wittenbergio fines Regni ſui, tum verò ſtupere magis cæpit, cum & perſonam Regiæ Majeſtatis Tuæ alio exercitu ſtipatam veniſſe intellexit. Me igitur tam Sereniſſimus Rex meus, quàm & Senatus ad Tuam Majeſtatem ablegare voluerunt, ſcire cupientes, qvis ille ſit affectûs & animi impetus, qui Majeſtatem Tuam eo uſq; impulerit. Vehemen-*

hementem enim esse oportet, qui nullis hucusque modis, nullis de pace tractatibus, nullis Legationibus in Sueciam missis, nec sacris fœderum & induciarum vinculis cohiberi potuit. Ad iram & indignationem non satis causæ videmus. Quod enim tantum facinus vel Reges nostri, vel Respubl. commiserunt, ut tam inexpectatâ ultione illud vindicare Majestas Tua in animum induxerit. Nos, Deo teste, nihil tale scimus, inducias semel factas sanctissimè semper coluimus. Suecis in Germaniâ bellum gerentibus, licet multoties in societatē belli contra ipsos, rebus nostris florentibus, invitaremur, nunquam publicè nocere voluimus. Antiquior enim nobis semper fuit fides, quàm utilitas. Quodsi privati aliqui rebus Cæsaris favebant, multi etiam fuerunt, qui Suecis operam suam navârent. Tot Borussi, Livones, Curlandi Regni Poloniæ subditi, tùm & ipsi Poloni, nemine prohibente, in castris vestris militârunt. Testis vel Frater meus Germanus benè Majestati Tuæ notus, & jam tristi hoc bello nostro nuper à Barbaris extinctus, vel ego ipse, qui non tantum sub signis Gustavi illius Magni, Avunculi Majestatis Tuæ tyrocinia mea exer-

exercui, sed non ita pridem etiam Galliæ Regi, Regi Sueciæ Confœderato, non contemnendam Polonorum manum ad expugnationem Dünkerkanam adduxi, nec inutilem, ut credo, per triennium operã præstiti. Cancellariæ etiam errores, vel alia minutiora non tanti fuêre, ut armis vindicari deberent. Est igitur aliquid aliud. Dicerem esse cupiditatem divitiarum. Sed scimus hoc animi vitium longè à naturâ Majestatis Tuæ abesse: & Regno tàm misero à tot hostibus conjuratis lacerato vastatoq́; quidjam amplius extorqueri potest? Octennium est, ex quo Regnum bellis atrocissimis affligitur, & quot anni, tot ferè clades numeratæ, tot exercitûs vel cæsi vel dissipati, totq́; iterùm reparati. Quod tandem est Imperium, quod tantis calamitatibus non succumberet? quales thesauri, qui non exhaurirentur? Intrâsti, Rex potentissime, provinciam cæteris opimiorem, majorem nempe Poloniam, illam ab incommodis belli remotiorem feliciorémq́; cæteris. Nonne tamen hic incolarum pauperiem vides? nonne indè de aliis longinquioribus, sed quæ mala belli propiùs senserunt, vel adhuc sentiunt, judicas? Nullæ hic Urbes o-

pulen-

pulentæ, non mercatores divites, non auri & argenti fodinæ; divitiæ nostræ annui fructus sunt, & pecora campi, quæ omnia si ab exercitibus tàm Majestatis Tuæ, quàm nostris consumentur, agricultura cessabit, nec ulla unquam tributa speranda: imò metuendum ne & nobis, & exercitibus Tuis fame pereundum sit: Non satis igitur causæ habes ad iram, sed nec irritamenta ad cupiditatem. Suspicari cogimur, Majestatem Tuam aliis stimulis adactam, ut nobis bellum inferret, famâ nempè & gloriâ, vanissimis ingenii humani oblectamentis. Sed quæ hæc gloria? dum nos cum tot hostibus immanissimis pro salute & vitâ nostrâ decertamus, Tu, Rex potentissime, ultrò & improvisò nos armis invadere sustines? Si gloriam vis veram, quære. Vera autem erit, si aliena non expetes, suum cuique tribues. Plura tum quoq; addidit vertigine illa rerum & necessitate publicâ excusata, hosti conducibilia, si animo & fortunæ suæ frænum imponere scivisset. Rex Sueciæ, quæ pro tempore esse videbantur, respondit: & mox literas simul dedit, quibus Regi Poloniæ omissas pacis maturè tractandæ occasiones expro-

probrabat: ſimul tamen innuens, neque nunc ad pacta, ſed qualia præſens rerum ſtatus poſceret, difficilem ſe fore. Deſignandum locum, mittendos Legatos, omnibus neceſſariis rectè inſtructos. Sed undiq; patebat, non placere ipſi tractatum pacis, qualem res Poloniæ requirebant celerem æquumq;. Lentum is quærebat, in quo pro ſucceſſu rerum adducere & laxare conſilia pacis poſſet. Intereà fortunæ ſuæ inſtare decreverat, acrior Regni, quâm pacis Candidatus. Certum eſt eo tempore hoſtem paciſcendo opimiſſima quæq; impetrare potuiſſe, qualia deindè tot millium hominum ſanguine, tot populorum miſeriis, terrarumq; vaſtitatibus, ſuæ denique vitæ impendio non
" obtinuit. *Sed incerta fortunæ pa-*
" *rum penſi habent, qvi nonniſi faventem*
" *ſunt experti, & enormi plerumq; ſpe me-*
" *tam belli nimis altè ponunt, quibus po-*
" *nendi fiduciam fortunata initia dedêre.*
Spretis igitur conſiliis pacis ad arma mox reditum eſt, & congreſſi cum equitibus Sueticis Poloni, Duce Stephano Czarnecio Caſtellano tùm Kiovienſi ſatis oſtendêre, abundè ſibi animi & virium ad be-
nè &

nè & feliciter pugnandum esse. Sed peditatus, qui Suetico opponi posset, deerat. Sine quo impediri phalangum hostilium progressus nequibant. Itaq; tentatâ aliquot velitationibus fortunâ Czarnecio, versus Regni caput Cracoviam ducere copias libuit morâ & majore subindè Nobilium accessu sumpturas augmenta. Ita Varsaviâ citra pulverem & sanguinem potitus Rex Sueciæ, atq; ibi præsidio militari, tùm Cancellario suo rebus constituendis relicto, citatis mox itineribus ad Wittebergium, qui Polonos sequi jussus erat, redit. Interim illi ad Opocznam progresso, circumvolitans undique Polonorum equitatus multum facessiverat negotii. Et postea cum Rex accessisset, aliquæ intercessêre velitationes, non sine mutuâ jacturâ. Ex solâ enim Legione Ponti de la Garde, confessione ipsius hostis, desiderati sunt ducenti amplius equites: Captusq; tùm fuit Forgelius Tribunus, juniorq; Königsmarckius, ac Suleoviam uterq; deductus ad Regem nostrum. Sed tandem peditatu & tormentis gravior nostris extitit hostis, & pulsos ad Metropolin dein Regni Craco-
viam

viam ſecutus eſt. Deliberatum ibi, num incolumitas Regis credenda eſſet loco nec multùm munito, nec commeatum neceſſarium ad tolerandam obſidionem habenti. Sed Proceribus viſum eſt validam manum militarem imponendam Urbi, Regi aperta potius tenenda, undè liberius, quæ è re publicâ eſſet, diſpiceret. Relictus igitur ibi Czarnecius Caſtellanus & Fromondus Volfius prætoriæ cohortis Ductor. Rex Weliciam primò, locum ſalinis celebrem, indè Viſniciam ſplendidam Alexandri Lubomierſcii tum Stabulo Regni Præfecti poſtea Palatini Cracovienſis arcem, exin Sandecum, quod alter frater, Præfectus loci, tuebatur, & deniq; Czorſtenum contendit. Intereà abeunte Rege ſuburbia Cracoviæ exuſta à noſtris. Sueciæ autem Rex, præmiſſo explorandi causâ Sultzbacenſi Principe: cum hic occupatis nullo negotio ſuburbiis, ex incendio adhuc fumantibus, omnia circa Urbem patere nunciâſſet, cum exercitu & ipſe acceſſit, ſtructiſq; ſuggeſtibus in mœnia detonare cæpit: dimiſitq; ſimul legiones aliquot, quæ reſtitantes in montibus illis copias Polonas ſcrutarentur,

tur. Ubi non pauci utrinq; ceciderunt. Sed Rex Joh. Casimirus prævalente ubiq; hoste, non aliud securitatis asylum superesse duxit, quàm ut in Ducatum suum Oppaviensem, quo & Regina jam præiverat, secederet, dum procellæ transirent, quæ averti non poterant. Certè eo tempore omnia malorum genera conspirâsse videbantur in hoc Regnum. Lithvaniam vim Moschi effugere quærentes præcipui Proceres Magno Comiti de la Garde Regis Sveciæ, vices in illo Septentrione gerenti, perpetuo fidei & obsequii nexu subdiderant. Quantumvis aliqui Procerum Nobiliumq; huic submissionis sacramento refragati sint, & sinistra multa autoribus ejus objecerint. Fideles illi, præeunte Paulo Sapiehâ constantissimo patriæ libertatis defensore, versus Poloniem duxêre copias, quas habebant. Sed periculum Reipubl. conjunctione virium avertere laborantes, ubi salutem reperire speraverant, non minus periculum adiêre. Nam & prævalidos ubiq; Suecos, & obsessam Regni metropolim Cracoviam & totum Regnum capite suo destitutum repererunt. Nec defuêre Sueci per subordi-

ordinatos militi promittere ſtipendia, ſicque in partes ſuas pertrahere. Ac tandem, tranſeuntes etiam Duces ipſi urgentibus, ut rebantur, fatis Regi Sveciæ ſubmisêre ſe certis conditionibus. Cracovia à Czarnecio Caſtellano Kiovienſi & Wolfio toto penè menſe defenſa, tandem defectu commeatûs & ſpe nullâ auxilii, dedita eſt Wittenbergio. Victor Rex in Pruſſiam contendit, ipſis jam veteranis proh dedecus! Poloniæ ſtipendiariis eum comitantibus quaſi Regẽ ſuum. Venientẽ Primarium Pruſſiæ clauſtrum Thorunium non vi, ſed ſuaſionibus victum, nullo negotio admiſit. Elbinga deindè domi diffidens, quorundam dudum obnoxiorum ſtudio ad obſequium Sueticum relapſa. Gedanum in aliud tempus rejecit hoſtis, claſſe tùm portui appoſitâ commercia intercluſiſſe contentus. Poſtea in Electorem Brandeburgicum omne robur ſuum convertit. Qui dudùm equidem Pruſſiam cum exercitu ſat valido ingreſſus, Ordines Provinciæ ad ſocia ſecum arma vocârat. Et in aliquas mutuæ defenſionis leges, præſente Internuncio Regio Johanne Tonſcio Vice-Inſtigato-

ræ Regni convenerat apud Rinſcum illuſtris viri MichaëlisDzialinii hæredium. Sed animorum diffidentiâ, aliiſq; defectibus irritum, aut non diu ſervatum fœdus omnia in Pruſſiâ facilioraSvecis reddidit. Non enim Thorunium modò, & Elbinga præſidio juſto deſtitutæ, ut memoravi, ceſſerunt, ſed & Mariæburgum oppidum, Electorali primùm milite inſeſſum, cùm hunc revocâſſet Elector, ab oppidanis deditum eſt hoſti, Arciſq; licet munitisſimæ periculum intendit. Elector copias ſuas diffundere veritꝰ, omnes Regiomontum, Principem Prusſiæ ſuæ Arcem, contraxit. Rex Sueciæ ſuąs quoq; admovere cæpit, & alicubi ad mutuas incurſationes deventum eſt: ſtipendiariis inprimis Polonicis omnia pasſim pervolitantibus. Ex Lithvaniâ quoque jam Suecis ſubditâ Comes Magnus de la Garde indies propiùs imminebat. Elector nullâ ope, nec ſpe opis erigebatur. Undè adeò tandem cum Rege CaroloGuſtavo tranſegit. Quod necesſitate equidem extortum, poſteà eo inprimis excuſatum fuit, quod non modo ſeceſſu Regis è Regno deſertus, atq; adeò à fidei nexu abſolu-

absolutus videretur Vasallus; sed & à septem millibus Polonorum militibus, qui ad Carolum Gustavum defecerant, sollicitatus esset ad transigendum. Non multò post Mariæburgensis quoq; arx à Comite Stenbockio, Barone de Dohnâ, Hornio, omni conatu bellico diu oppugnata in potestatem Caroli Gustavi Regis cessit, factâ cum impedimentis exeundi potestate Jacobo Veihero Palatino, qui & Fratris sui Ludovici Palatini Pomeraniæ intra Arcem obsessam mortui cadaver secum asportavit, Sigismundo item Guldensternio Baroni, Regiæ Oeconomiæ administratori eidemq; Præfecto Stumensi, aliis deniq; Nobilibus viris, quos belli hæc tempestas in nominatissimum Prussiæ propugnaculum compulerat. Solum in Prussiâ Gedanum supererat, quod nobili in Dominum suum etiam extorrem fide, postquam omnia jam ubiq; per Poloniam, paucis exceptis, in verba Suecorum Regis transierant, immotum stetit, & cum fortuna Joannis Casimiri conclamata erat, novo se illi sacramento obstrinxit, posteaq; Suecos non modò non admisit, sed & constantibus armis, sumptu maximo, quà

mo, quà potuit, terrâ mariq; magnâ multorum invidiâ, at apud bonos laude propulsavit. Rex Sueciæ Urbis portum navali classe, Duce Vrangelio, circumvenisse contentus, ipsam, ceu coronidem, cæteris suis victoriis, vel sponte vel levi negotio accessuram crediderat. Nunc verò ad extrema omnia paratam armis, quantumvis ubique tùm formidatis aggressurus haud dubie erat, nisi novi in Poloniâ motus alio illum vocâssent. Istic enim fortuna, conversâ velut rotâ, Joannem Casimirum, quem nupèr Poloniæ subduxerat, revehere in solum & solium suum jam moliebatur; * Et ipse Caroli Gustavi in Prussiam discessus postliminium Regi exuli aperuit, relictis in Poloniâ animis erga hostem ubiq; ægris & in jugi excutiendi occasiones intentis. Restabantq; aliqui Optimatum, qui frænum nunquam receperant. In Carpathiis præcipuè montibus Georgius Lubomierscius Regni supremus Mareschalcus, idemque Præfectus Cracoviensis, & se & fratres suos & magnam Senatûs partem, multosq; alios ex præcipuis Nobilium à

* 1656

communi tùm labe intactos servaverat, ipsum deniq; Regis diadema, quod Alexander Wolfius tùm Regius Aulicus, post Abbas Pelplinensis, ex Arce Cracoviensi summa inter discrimina extulerat, secum habebat: Ita ut quicquid Reipubl. integrum tùm superesset, penes hos maneret. Certè ex arce illâ Lubomlianâ, quâ reliquias istas libertatis pauci illi tutabantur, commeabant subindè literæ ad Regem in Silesiâ agentem. Pariter Joannes Comes de Lesno tùm post mortem Christophori Opalinscii, Posnaniæ Palatinus, securitate Legati adhuc usus, non desinebat animis, quaquà ibat, seu veternum seu stuporem excutere, ipse de Republ. etiam cum deplorata videretur, nunquam desperans, eoq; aptior ad spem aliis adspirandam. Ipse ego sæpè ex illo, afflictissimis Poloniæ rebus, hanc audisse vocem memini: obruere nunc hostis nos potest, retinere aut subjugare non potest. Nec minus illi, qui in Majore Poloniâ, apud Costinum, Fridericum Hassiæ Landgravium occiderant, Duce Zegocio, Præfecto tùm Babimostensi, remittebant spiritus. Celebre miraculis

cœnobium Częstochoviense strenuè contra Duces Suecicos Monachi, antesignano ipsorum Præfecto, tùm loci religione & virtute suâ animosi fortissimè defendère. Nec procul inde Dancovianam arcem possessor loci Stanislaus Warszicius Castellanus Cracoviensis à molitionibus hostium intactam tenuit: Idemque Pilczam oppidum tutatus est. Miles hostilis per Palatinatus dispositus, avarè & superbiùs agebat: Ita ut passim Poloni spoliata templa, juraq; omnia Divinâ & humana violata quererentur. Sensimque conspirare tacitis consiliis, & mox publicè habito ad Tissevicias conventu conjurare in jugi externi excussionem ac libertatis vindicias cæpit pars exercitûs, & ingens Nobiliū multitudo, præside conventûs & consiliorum Stanislao Potocio Palatino Cracoviensi eodemq; exercituum Duce. Leopolin paulò ante obsidere cæperat Chmelnicius; quam cum fortiter defenderet Christophorus Grodzicki, rei tormentariæ Magister; Obsessor Cosacicus Suecicam potentiam formidans, evocato ex urbe Grodzicio, miserationem erga exulem Regem ostendere, & o-

pem ei restituendo promittere cæpit. Supervenit Chanus Tartaricus cum ingente exercitu, & minùs jam reluctantēChmelnicium totumq; exercitum Cosacicum in verba JoannisCasimiri adegit: simul mox literis ad Duces Polonos missis, venisse se indicat, ut auxilietur oppresso Regi, extrema simùl omnia iis minatur, qui manum illi adversus externum Principem non porrigerent. Omnia ista, milites quidam sponte, alii àGrodzicio missi, exactissimè autem magnus Mareschallus Georg. Lubomierscius, & qui cum eo erant Senatores nunciabant Regi in Silesiâ hærenti, ad reditum simul eundem exhortantes. Ille in tam inexpectatis auxiliis Dei dexteram agnoscens, incitante simul Reginâ, capessit animum revertendi in Regnum, & magnis mox per montesCarpathios itineribus, ineunte anno 1656, comitante M. Cancellario Coricinio, & aliis Aulæ ministris, Leopolin contendit. Relicti in Poloniâ militiæ Svecicæ Rectores, Duglassius inprimis, turbas orientes consil o manuq; compescere quidem quæsiverant, sed labentibus dispositu fatali rebus impares, Regem deniq; ipsum,

Mariæ-

Marieburgi cum Reginâ, quæ ex Sveciâ tùm accurrerat, inter ante erecta tot trophæa, lætantem, ad parta tuenda excivêre. Qui interiora Poloniæ denuò cum exercitu ingressus, sensit mox, malum diuturnitatis custodem esse metum servitutis, nec stare firmiter dominatum, qui nullo justitiæ fundamento innixus, impetu tantùm creverit. In Poloniâ, inprimis, ubi *quot equites, tot libertatis filii: quibus generosa mater sui amorem tam altè insevit, ut exui non possit, nisi cum vitâ.* Quàcunq; igitur incederet hostis, infesta ubiq; omnia habuit. Et non multo post ii ipsi etiam stipendiarii Poloni, quos in Prussiam antè secum duxerat, ubi in patriam reversos, cœli & libertatis Polonæ aura rursùm afflaverat, ab externo Rege ad suum redière. Euntem porrò hostem perpetuis incursationibus lacessebat magnus ille bellator Stephanus Czarnecius, qui exilium quidem, sed agillimarum copiarum ductor, patriæ Civibus signa sua ubiqve ostentans, animos omnibus addiderat; hosti verò eâdem celeritate instans cedensq; nocuit plurimùm. Huic enim necessitas injecta

est, ire semper prælio paratum majore damno, quàm fructu, quia nec excurrere, commeatûs aut prædæ causâ, nec justâ aliquâ victoriâ potiri poterat. Circa Vepri & Vistulæ confinia intercessit certamen, Sueco quàm Polono felicius. Sed ibidem lapsu equi sauciatus Frater Regis Adolphus curandi cruris causâ, non campum modò deserere, sed ingravescente vulnere, extra Poloniam quoq; opem quærere coactus est. Rex Carolus trajecto Vistulâ Lublinum perrexit. Quò comitatus illum Comes Valdemarus, Christiano IV. Daniæ Rege, ex impari matre genitus, in hoc bello Chiliarcha Sueticus, vivendi finem fecit. Sveciæ Rex Zamosciam Urbem benè munitam armis aggredi non ausus, Dominum Urbis adornatis in speciem verbis expugnare tentavit, sic compendio potiri sperans loco, qui à nullo Poloniæ hoste hactenùs subigi potuit. Sed Zamoscius ad blandimenta & minas æquè invictus, fidem suo Regi debitam intrepidè servavit. Rex Joannes Casimirus Leopoli res suas, ancipites adhuc, quà poterat, firmare quærebat. Ejus consiliis turbandis, & velut rena-
scentis

ſcentis fortunæ primordiis, omni niſu occurrens hoſtis Jaroslaviam & Premisliam uſq; auſus eſt progredi, Leopoli ſi poſſet, excuſſurus reducem Regem. Sed conſiliis & conatibus ſuis metam divinitùs eſſe poſitam, ex eventu didicit. Premisliam enim infeliciter aggreſſus, plurimos ſuorum perdidit: & tergo ſuo tot & antas copias inſtare comperit, ut jam non de augendâ fortunâ aut gloriâ, ſed de ſalute ſibi contendendum videret. Interim enim non modò Polonicæ copiæ, magno undiq; numero, ductu Procerum, concurrerant, ſed ex Lithuaniâ etiam egregium exercitum Viſtulæ admoverat ille, quem ante nominavi, Paulus Sapieha, Palatinus poſteà Vilnenſis, vir magni animi, & qui aliis patriæ ſuæ Ducibus, metu Moſchorum, Suecicum regimen ſequiore conſilio, amplexis, nunquam acceſſerat, ſuis verò & defuncti Vice-Cancellarii, patruelis ſui, opibus, adversùm omnes patriæ ſuæ hoſtes ſeſe hactenùs, rebus etiam deſperatis tuitus erat, nunc deniq; Regi ſuo, adductis inſperatò copiis, manum alacer, etſi eminus porrigebat. Summo itaq; periculo progreſſurum ſe

sentiens Carolus Gustavus, reditum moliri cæpit, antequam is sibi penitùs præcluderetur. Nihilominùs sic quoq; difficillimum habuit, & cum à Polonis undiq; terrâ infestaretur, beneficio inprimis Vistulæ, quo pars peditatûs & impedimenta deportabantur, ægerrimè elapsus est. Periculi magnitudinem vel indè conjeceris, quod ipse Rex in assiduo Martis pulvere & sudoribus continuis, vestem per dies viginti non exuit. Recedente autem illo, multa in Urbibus præsidia intercepta perierunt. Sincklerum Tribunum submissæ aliquot Suecorum alæ ægrè defendêre. Quæ Sendomiriam cum desererent, pulvis tormentarius, hostili dolo, in turri relictus, subeuntes sine metu Polonos non paucos in aërem explosit. Sed his plurimi Suecorum in improspero hoc recessu parentavêre cæde suâ, & eodem incendio cadaver Vallerstedii Secretarii Suetici rogum in nubibus reperit. Festinârat Regi laboranti in auxilium Fridericus Durlaco-Badensis Marchio. Sed in itinere ad Varcam à fortissimo Czarnecio oppressus, copias, quas optimè instructas ducebat, capitum plus quam
trium

trium millium, amisit universas .Ipse ægrè cum fratre Regis Gustavo Adolpho, Schlippenbachio, & aliis Czirscum primò, ubi in ruderibus arcis per triduum jejunus delituit, ac dein Varsaviam elapsus est. Penè eodem tempore totidem millia Suecorum non procul Lovicio à Polonis & Tartaris circumventa, & internecione cæsa sunt, ita ut nec nuncius cladis indè evaderet. Istiusmodi cladibus Carolo Gustavo altera hæc in Poloniam expeditio constitit. In Prussiam cum fesso & lacero exercitu reversus, ex Lithvania itidem deterrimos accipit nuncios. Nam Samogithæ occulta conspiratione, quicquid Suecorum in Provincia repertum erat, Crispino, qui postea Thesauro Lithuanico præfectus est, Rybicio aliisq; ductoribus ad internecionem usq; jugularant; exterorum odio, & amore libertatis ad immite injuriarum, quas à Suetico præsidio patiebantur, remedium delapsi. Intereà etiam Moschus bellum à Polonis in Suecos ex Lithuania in Livoniam transtulerat. Dudùm ille Regis Suetici fortunam, nimis splendidā ægris oculis intueri cæperat. Et cum Palati-

nus Vilnensis idemq; Dux exercituum, Vilnâ hostis arbitrio relictâ, Episcopo Tiskevicio, aliisq; non paucis Procerum, Panico terrore & svadâ hostili eodem inductis, se & Lithuaniam Sueco subdidisset, Moschus victam à se, ut rebatur, provinciam tali Suecorum patrocinio sibi eripi indignabatur. Eò faciliùs in armorum interstitium, quod nomine Reipubl. Polonæ Joannes Casimirus Crassinius Palatinus tùm Plocensis, posteaRegni Thesaurarius, tùm & Wiersbowski, post Palatinus Siradiensis cum aliis quærebat, interponente se Imperatoris ministro Alegrettio, consensit. Quæsita mox belli inSuecum causa, & facile inventa est, quantumvis etiamnum vera dissimularetur. Paulò post arma Mosci in Livoniam illata distraxêre Suecos, & Sapiehæ nec non Gonsievio Lithuanici exercitûs Ducibus commodum adversus illos agendi campum aperuêre. Eo quoq; tempore majorPolonia lacertos denuò contra hostem movit, Ducibus Petro Opalinscio Palatino Podlachiæ, Palatino item Inovladislaviensi, nec nonGrzymoltovio, Castellano nunc Posnaniensi tum Succamerario Calissiensi

lisſienſi, & aliis. Qui hoſtium vires paſſim accidêre, & oppida aliquot liberârũt. Triſtisſimam tunc fortunam experta fuit Leſsna, celebre exulantium ob disſidia in religione Bohemorum Sileſiorumq; aſylum. Creverat oppidi incolis cum opulentiâ invidia, & ex religione odium, quod nunc eò acrius erupit, quando qui in oppido rerum potiebantur, non receptum modò, ſed & conſilia hoſti commodâſſe credebantur. Ac primùm quidem ſuggreſſas Polonorum cohortes, non Sueci tantùm, ſed & cives, hortatore præ aliis terreſtri Judice Wſchovenſi, violentâ eruptione repulerant. Sed ortâ poſteà formidine ſubitâ, & propugnatores, & incolæ omnes, fugâ miſerabili, res ſuas atq; oppidum ipſum prædæ Polonorum, & incendio deniq; expoſuêre. Exuſti unà cum ædibus multi homines ſeu ætate, ſeu morbo invalidi. Conflagravit ibidem cadaver eximii olim & apud exteros etiam clari bellatoris, Chriſtophori Arciſſevii rei armentariæ, olim in Poloniâ Præfecti. Sed is munere iſto depoſito, ſucceſſorem nactus Sigiſmundum Przyemſcium, de quo ante, quietem, quam in

vitâ privata quæsiverat, nec in morte quidem invenit. Neq; enim more usitato tumulari potuit, sed cum casu dilatæ exequiæ essent bustum in cinerib9 oppidi reperit. Ad Coscianum deindè oppidum perrexêre victores, multis Ductoribus Sueticis insessum. Qui Palatini Inovladislaviensis & Succamerarii Calissiensis turmas mille ducentis militibus suis 8. Maji aggressi, memorabilem cladem passi sunt. Complura istîc signa adempta hosti. Captus est inter alios Vossius Tribunus. Ex Polonis Sucossevius, Bronicovius, Donbrovius, Przysiecius, aliiq; nonnulli periêre. Rex Poloniæ, contracto undiq; exercitu sat numeroso, Leopoli movit; Lublinumq; primò, indè Varsaviam petit: quam mille quingenti admodùm præsidiarii Suetici insederunt. Erant ibidem multi ex præcipuis Suecicarum rerum Ductoribus toga sagoq; claris. Securi omnes, seu fiducia præsidii, seu quòd Polonos ad obsidia nec pronos nec aptos judicarent. Sed circumfusa Urbi ingens hominum multitudo omnia externa munimenta perrupit, extremumque expugnandi periculum poposcêre sibi *lixæ*, inscensu-

ſcenſuri mœnia, ſimulatq; Rex annuiſſet. Sed hic gnarus illorum hominum audaciæ nihil invium, pariterq; à furentium ſævitia, tùm & avaritia nihil tutum aut ſalvum in Urbe manſurum, comitèr obſeſſos monuit, ut ſponte ſe potiùs dederent. Illi visa magnitudine periculi, permiſerunt ſe fidei Regiæ. Educti Urbe Comes Vittenbergius, primus Poloniæ hoc bello impugnator, Comes Ludovicus Löwenhaupt, Joannes Vrangelius, Adamus Veiherus excubiarum præfecti, Erſkenius, Laurentius Canterſteinius, Conſiliarii intimi Regis Sueciæ, Buſſius, Schlangfeldius, Hamerſchildius, pace Regia abire poterant. Sed fremens multitudo reclamavit, & periculum erat, ne per tumultum occiderentur, cum eos Regis clementia ſalvos vellet. Nec ſervari aliter tùm poterant, quàm ſi tuto loco ad tempus attinerentur. Undè adeò Zamoſcium poſteà deducti ſunt. Fæminis abeundi poteſtas & ſecuritas, addito comitatu facta eſt. Gabriel Oxenſtierna Comes, ægritudine, qua tùm affligebatur, libertatem, cæteris negatam, retinuit. Suecorum Rex, antequam iſta in Polonia

fie-

fierent, in Prussiam reversus, literis publicatis, rebellii crimen iis, qui ad Regem suum redierant, acerbè exprobrans, revocare eos ad datam sibi fidem conabatur, aliis porrò literis, subditos agrestes in cervices Dominorum sub Suecicum regimen redire negantium, magnis autoramentis concitabat, ausu inglorioso, quiq; animos Nobilium vehementer exulceravit, acerbumq; nonnullorum calamum elicuit. Violata enim ita videbantur gentium benè moratarum jura, quibus venena & sicæ seruiles ne in hostes quidem permittuntur. Gedanenses quoq; violentius tùm, quàm unquàm hactenùs, hostis aggressus est. Nam & propugnaculum in territorii Urbani finibus erectum abripuit, fusis quingentis militibus, quos Vinterus Urbis Tribunus, ad defensionem Dersaviæ oppidi miserat. Et tulit casus, ut hæ non in Suecos primùm, sed in Electorales, qui fortè tùm Dersaviam transibant, inciderent, invectæq; in illos, tergo mox instantes Suecos habuêre. Ita cæsi istic plurimi, major tamen pars per uligines sparsa, in Urbem posteà rediit. Hostis deindè occupavit Hauptum, occiso istic,

ſtic, cui loci tutela commiſſa erat, Dilgero egregio Ordinum Ductore. Hauptum autem ab hoſte magno opere poſteà munitum, Viſtulam commerciis intercluſit; Suecis contra Inſulas Urbis, apertas obnoxiaſq; reddidit propè ad finem uſque belli. Sub ipſa deindè pacis tractatuum primordia, idem Hauptum expugnatum haud parùm momenti & facilitatis negotio pacis addidit. Sed porrò acerbâ & minaci Otthonis Steinbockii rei armamentariæ Magiſtri, & deindè Regis ipſius epiſtolâ acriter culpatæ ſunt Civitatis actiones, quibus illa rebus Suecicis officere laboraret. Reſponſum eſt omnibus, qui ſcripſerant, inprimis & Regi ipſi prolixè. Cumq; illa reſponſio à Clariſſimo Urbis Syndico Vincentio Fabricio concepta, multa contineat ad hiſtoriam pertinentia, non piget huc eam annectere. Ita autem habet: *Sereniſſima Majeſtas Veſtra ex ſanctiori tabulario ſuo, & iis, quæ extant, hiſtoriis, jampridem ſufficienter erit informata, quantoperè majores noſtri à primâ iſtius Civitatis origine maximè verò ab illo tempore, quo ſub imperium inclytorum Poloniæ Regum conceſſit, & cum*

Regno

Regno illo per incorporationem coäluit, id sedulò curaverint, uti inclytis quoq; Sueciæ Regibus debitam reverentiam omni cum submissione exhiberent, atq; eorundẽ commoda atq; incolumitatem, non adeò considerantes difficultates quamplurimas, sumptûs immensos & extrema pericula pro captu suo promoverent: Quâ de re inprimis tempora Caroli Canuti & Gustavi primi luculentissimum dabunt testimonium. Clementissimè pariter Majestas Vestra recordabitur, quod omni tempore id nos quoq; obnixè operam dederimus, tàm constantèr in eo persequi majorum nostrorum vestigia, quam simul cum Sereniß. Reg. Majestatis Vestræ Regnis, ditionibus ac subditis, perseveranter colere atq; alere mutua communibusq; salutaria commerciis officia. Quemadmodùm porrò ex adverso Majores nostri, & Nos quoq; retroactis temporibus, inclytorum Sueciæ Regum gratiæ atq; clementiæ uberes fructus tulimus; ita summæ nobis voluptati fuit, quod Serenissima Regia Majestas Vestra statim circa Regni feliciter aditi augusta auspicia dignata est per literas clementissimè scriptas de propensissimâ suâ gratiâ atq; benignitate pro conser-

vatione

vatione commerciorum, statusque nostri, efficacitèr ac planè Regiè securos nos reddere. Antequã verò ulli tam clementis sponsionis effectus ad nos pervenire possent, inciderunt proh dolor hæc infelicia & calamitosa tempora, cum Regiæ Majestatis Vestræ exercitus Clementissimum Regem ac Dominum nostrum, Regnumque Poloniæ magnâ vi invasit, plurimumque exindè Christiani sanguinis effusum, neque paucæ præclaræ Provinciæ ac Civitates desolatæ atque funditùs excisæ sunt. Cujus fuit consequens, ut calamitas bellica statim à primordio hanc quoque attigerit Civitatem, nunc verò magis in eandem magisque incumbat. Apparuit hoc non solùm ex hostili & copiosâ impressione in ea bona, quæ ad Civitatis istius territorium pertinent, factâ, sed verò præcipuè ex Regiæ Majestatis Vræ die 14. Maji juxta Calendarium Julianum Stibilaviæ datis, & per ejusdem tibicinem transmissis literis apertis intelligere fuit, quod nisi subitò de accommodatione transigamus, extrema omnia nobis expectanda sint. Actiones porrò nostræ & consilia extremè culpantur, perque exprobrationem aliquam expectatione nostrâ acriorem insimulamur, ac si sponte

te culpâq; nostrâ imminentia isti Urbi hoc tempore discrimina provocaverimus. Nos inter ista nihilominùs memores sumus debitæ venerationis & respectûs, quibus nos uti erga Sereniss. Reg. Majestatem Vestram, Principem tam eminentē, licet tot circumventos adversitatibus, constantèr oportet. Atq; ideò arbitramur, neq; consultum esse, neq; verecundiæ nostræ congruens, ut cum Majestate Vestrâ de omnibus & singulis, quæ in suprà memoratis Regiis literis continentur, prolixè controvertamus. Propositum quoq; nostrum non est inquirere, an illi, qui Majestatem Vestram ad hoc bellum gerendum perpulerunt, tanti cœpti sufficientes atq; idoneas terrarum Orbi rationes ediderint: Sed potiùs ejus, qui justè judicat, gentiumq; cordatarum & inclytæ posteritatis judicio id decernendū relinquimus. At enim verò ut Regia Majestas Vestra de consiliorum processuumque nostrorum ad conscientiæ regulam directâ integritate aliquantò intimius informetur, omittere non possumus, quin eidem aliqua momenta perobservanter atq; humillimè proponamus consideranda: si fortè Deus misericors & benignus id nobis gratiæ concedere velit, ut

Sere-

Sereniß. Reg. Majeſtas Veſtra probè illa in ſublimi Regioq; animo perpendens, quam nullo nitantur fundamento delatæ ad Regias aures de nobis detrectationes, dijudicet, benignius de nobis ut bonis fidiſq; hominibus ſentiat; atq; exindè per minas jam intentata contra hanc Civitatem extrema in effectum deducere pro ſublimi gratiâ Regiâ clementer ſuperſedeat. Principio ſperamus illos, qui Regiæ Majeſtati Veſtræ ſiniſtra omnia de rebus actionibuſq; noſtris imprimere hactenùs aggreſſi ſunt, id ſaltem nobis conceſſuros eſſe, etiamſi fortè in plurimis deficiamur conſummatâ facultate Civitatem exactè gubernandi, & ſalubria perpetuò inſtruendi conſilia, quod nihilominùs per benignitatem Supremi Numinis ſatis intelligamus, quantum nobis & Urbi iſti populoſæ ſitum ſit in ſummorum Principum atq; inter eos Sereniß. Regiæ Majeſtatis Veſtræ conſtanti Regiâq; gratiâ, & quantoperè ad illam obtinendam tuendamq; rationes omnes, quæ modò excogitari & honeſtè uſurpari poſſint, conquirere meritò debeamus, quo pacificè vivamus, & commercia, quibus iſta Civitas dedicata eſt ac dedita, quæq; almâ pace maximè indigent,

in vigore ac flore suo conserventur. Atque indè non facile quis nos tam perversè animatos præsumpserit, acsi turpiter projicientes tantum, & tam perspicuum interesse nostrum, per protervіam, fastum, ambitionem, aut alium quemvis affectum Majestatis Vestræ præpotentia arma ultrò lacessere, & Civitatem hanc in illa, quæ nunc ipsam circumstant, pericula conjicere consulto destinaverimus. Nos sanè ab istius modi affectibus immunes præstat conscientia nostra, ac desuper ad Deum omnium cordium scrutatorem sine scrupulo ullo, atque adeò animosè provocare possumus. Quia autem nihilominùs non levia Civitati huic incubuêre pericula, quæ putamur per tolerabiles & aliquoties nobis vltrò oblatos modos, præcavere ac divertere potuisse, ingenuè equidem fatebimur, fuisse omninò causam, quæ acceptare modos illos non permiserit, & porrò nos ad hasce angustias, in quibus modò versamur, redegerit. Cæterùm omnibus accuratè exactèque examinatis, atque perquisitis, etiam illi, quibus maximè sumus exosi, aliam neque reperient neque producent, quam quod prohibemur religione subjectissimæ debitæque fidei, quibus

Cle-

Clementissimo, & per legitimam electionem à Deo nobis concesso Regi nostro, Reiq; publicæ Polonicæ, respectivè vigore tam juramenti Regi præstiti, quàm ultra duo jam secula cum Republ. perdurantis unionis adstricti sumus: quodq; ideò ista nos oppresserit calamitas, quia exempla honesta laudatorum Majorum nostrorum secuti, rectæ coram Deo conscientiæ, & famæ honestæ coram Orbe terrarum illibatam sinceritatem tueri studuimus. Uti igitur propter tanti momenti causas, licet inviti adacti fuimus ad quædam defensionis media procedere, & quantum in nobis esset, periculis summis paulatim in nos ingruentibus occurrere; ita haud dubiè in proclivi erit defensio eorum, quæ circa illa, subnascentibus, ut fit, occasionibus acciderunt. Omninò certi sumus, dummodò Regia Majestas Vestra clementer dignetur acta nostra eorumq; causas perpendere, quod nos inter Regii pectoris penetralia jam absolvet, & uti Rex Christianus nolet permittere, ut propositum bonorum subditorum supremo Magistratui suo fidem incorruptam præstandi (quod inprimis Evangelica doctrina à quovis sincero Christiano exigit) ipsorum ruinam &

exi-

exitium operetur, aut Majestatis Vestræ præpotentia arma executioni intentatorũ nobis malorum commodentur. Benignè & clementer consideret Regia Majestas Vestra, si qua calamitas hujusmodi, qualis proh dolor Clementissimum Regem nostrum ejusq; Regna & ditiones corripuit, in ipsam Regnaq; ejus & ditiones recidat, & inter illas infelicitates Status, aut Urbs aliqua constanter Domino suo legitimo adhærere decernat, nec licet oblatis benignis & ad salutem temporalem pertinentibus mediis, à fidei suæ debito se demoveri patiatur, non attentis maximis indè exorientibus damnis atq; incommodis, annon Regia Majestas Vestra tam honesti propositi, constantiam & ipsa laudatura, & paritèr judicatura sit, factum id ut potè laudabile & deprædicandum ab ipsis quoq; hostibus, & quibusvis aliis vero suo precio debere æstimari, etiamsi acrioribus adhuc processibus, & vehementioribus, quàm quales hactenùs nostri necessario fuerunt, isti impetus prorupissent. Sincerè porrò declaramus, quod si fortè paucula quædam ædificia circa Derschaviam & Fürstenwerder à quibusdam nostrorum militum incensa fuerint, id & invitis nobis,

nec jubentibus militiæ nostræ præfectis accidisse, atq; adeò quantoperè displiceant nobis talia, per severas prohibitiones, ne quid inposterum istiusmodi intentetur, abundè nostris fuisse denunciatum. Novit prætereá, qui omnia novit, Deus, nunquam placuisse Nobis calumnias & libellos famosos, & constat publicè, nos Præconsules & Consules, quoties tale quid fuit evulgatũ, seriò inquisivisse in Autores, & in Typographos facinoris compertos animadvertisse. Prodierunt sanè, quæ vocantur novellæ, de variis eventibus, sæpè non absq; favore partium, aliquando contra quam se res haberent. Sed neq; nos illas producimus, uti ipsa Regia Majestas Vestra per se satis intelligit, neq; prout nunc sunt tempora, ordinarii Magistratus commode mutare ea, quæ ita fiunt, aut prohibere possunt, gestientibus utrinq; partibus faventium animis, quod ipsi optant ac cupiunt, sparsis prosperis rumoribus præsumere, affectumq; suum declarare. Id quod palam notum est Elbingæ, Regiomonti, Stetiniq; toto die fieri. Postremò non possumus, quin Nos, qui istius Civitatis Senatus sumus, de eo conqueramur, quod Sereniss. Majestati

Vestræ

Vræ quidam sunt persuadere conati, quasi quæ nomine Majestatis Vestræ ab ejus ministro vel aliàs ad hanc Civitatem fuerunt delata, non sincerè retulerimus ad cætera Collegia, ex quibus consilium istius Civitatis publicum compotesq; in aliam speciem sponte nostrâ transformaverimus. At verò nos pro ratione officii nostri, omnia ac singula fide optimâ per omnes in utramque partem circumstantias proposuimus, & cum cæteris Ordinibus sollicitè expendimus atq; examinavimus. Cui rei testimonium solenne nos cæteri Ordines Senatui nunc perhibemus. Atq; post illa omnia humillimam absolutamq; fiduciam in misericordia ac bonitate benignissimi Dei reponimus, non dubitantes, quin velit clementer hanc Civitatem protegere, & paternâ suâ gratiâ disponere animos tam Clementissimi Regis ac Domini nostri, quàm Sereniß. quoque Majestatis Vestræ, omniumq; eorum, qui utrinq; à ministeriis & consiliis sunt, quo sincera ac mutua hinc indè amicitia rursùs stabiliatur, almaq; pax cessante cruento isto bello reducatur. Neq; dubitamus, qvin Regia Majestas Vestra inter ista Christianè & clementer id actura sit, ne res E-

vangeli-

vangelicæ Religionis aliquid detrimenti capiat, neve, quod maximè formidamus, bello ulterius progrediente, animisq; supra modum exacerbatis, in ea præcipitetur pericula, ex quibus illam eripere difficile fortè erit. Deum precamur, ut malum tantum clementer avertat! Nos quoq;, & tota Universitas semper erimus, salvis iis, ad quæ per juramenti & fidei nexum tenemur. Tali modo Magistratus Gedanensis Regi Carolo respondit. In Majore Poloniâ Duces Suetici passim cum Proceribus & Nobilitate Provinciæ, tùm & inprimis cum Stephano Czarnecio variâ fortunâ luctabantur; qui, more suo, pro re natâ, nunc cedebat, nunc, quà poterat, denuò carpebat hostem. Cracoviam Regni Ensifer Zebrzydovius, & inprimis Lubomierscii fratres vicinorum Nobilium ope obsidere cæperunt; tametsi alter horum Regni Mareschalcus, datus à Rege Ductor Equestri Ordini, non uno loco consisteret, sed circumlato per provincias, quas hostis tenebat, terrore, postremò quoque Regi in recuperandâ Varsaviâ operam adnavavit. Carolus verò Gustavus inter tot adversa solicitus, nova fulcra nutanti

potentiæ ſuæ quærebat. Neq; aliud præſentius & validius quàm ab Electore Brandeburgico ſibi pollicebatur. Eum itaque omni ſtudio ad jungenda ſecũ arma pertrahere conatus eſt. Effectumq; tandem per Internuncios, ut Hollandiæ, Pruſſiæ Ducalis oppido, conſilia Rex cum Electore conferret. Ibi arcanis inter præcipuos utriuſq; partis Miniſtros colloquiis, leges novæ ſocietatis ſcriptæ: & exercitus utrinq; mox Golubum, quod oppidum ſeptem leucis à Thorunio diſtat, movere juſſi. Elector verò quod Regi Poloniæ illaturus erat, bellum per literas Regiomonti primo Julii ſcriptas denunciavit. Quibus non ſine ſtupore lectis Rex, prout res præſens & ratio poſcebat, indignabundus & jura feudi, veteraq; beneficia prolixè objectans vigeſimo quinto Jul. reſpondit. A literis deventum eſt ad arma, quæ lethalem maximè ictum intulêre Poloniæ. Et omnis melior orbis indoluit, cùm Regem Joannem Caſimirum, ab exilio noviter reverſum, & collapſæ fortunæ tabulas demùm colligentem duo exercitus Svecicus & Brandeburgicus aggreſſi ſunt.

Poſita

Posita erant castra Regia apud Pragam oppidum, Varsaviam contra situm, nec indè ampliore spatio distans, quàm quod interfluentis Vistulæ alveus occupat. Circumjectus exercitus Urbi, ita ut hujus unum latus Vistulâ, alterum castris latè porrectis protegeretur. Et castra ipsa satis munita videbantur, operibus, quà opus esset, adstructis. Militum quoq; plus satis aderat: Etsi Nobilitas, quæ nupèr adfuerat, tædio morarum, seu defectu annonæ domum redierat. Hostes inter Vistulam, Bugum & Narvam amnes aliquamdiu morati; Trajecturi credebantur cum ad Zakrocimum ripas fluminis ponte junxissent. Sed iis cis Vistulam subsistere, Polonis trajicere, hostiq; occurrere placuit. In campis igitur, Pragæ oppido adsitis explicatæ sunt cohortes. Hostibus, cum provocâsse ante, nunc provocari viderentur suborta dubitatio, nùm prælio committenda res esset, ubi si infelicitèr fortè pugnaverint, totius belli fortuna erat periclitatura. Et Gallicus Legatus ancipitem aleam Carolo Regi pugnaturo cum curâ proposuit. Sed jam eò deventum videbatur, ut ad conflictum

non animus solùm Regius, sed & necessitas ipsa hortaretur. Diutius enim illis campis stare exercitus hostilis non poterat citra extremæ famis periculum, cùm gregarius jam tùm toto biduò jejunâsset. Potiùs igitur pugnandum, quàm aut cedendum, aut inediâ pereundum videbatur. Proindeq; in aciem uterq; Princeps eduxit suos. Dextræ alæ præerat Carolus Rex & frater ejus Adolphus Princeps, Philippus Palatino-Sultzbacensis Comes, Carolus Marchio Badensis, Gustavus Comes Oxenstierna, Duglassius, Hornius, Bulovius. Sinistram Elector, Comes Valdecus, Sparrius, Cannebergius curabat, quibus à Rege, Carolus Gustavus Vrangelius, Tottius, Bötticherus adjuncti. Polonicum exercitum præcipuâ post Regem autoritate regebat Stanislaus Potocius, Dux supremus, Landskoronscius Campiductor, & Czarnecius, qui tamen infelice consilio aliò mox missus pugnæ non interfuit. Lithvanicas copias adduxerat Paulus Sapieha Palatinus Vilnensis, idemq; exercitûs Lithvanici Dux: eximiam haud dubiè operam in hoc campo præstiturus Regi & Reipubl., nisi tristis casus prælio

illum exclusisset. Quo enim die antecursores Suetici ostendere se cæperant nostris, ille prælium imminere sentiens, Ductores Ordinum tumultuario convivio exceptos ad nobiles belli ausus velut sacramento adegerat. Cum mutuam sibi laudabilis operæ fidem dedissent, insonat rumor, adesse hostem. Ille ardens cum suis evolat. Sed incautius festinanti, gravissimo equi lapsu, cruris dextri os diffissum est. Ita saucium vulneris curandi causâ Varsaviam deportari oportuit. Ex acie Polonâ primi omnium hastati in hostem invecti, duas ferè turmas Suecicas protrivêre. Quos si cæteri pari alacritate secuti essent, haud dubitatum, eo die penes Polonos mansuram fuisse victoriam. Incursu enim illorum dirupti hostium Ordines nec sine multo negotio restituti sunt. Et adeò penitùs in aciem hostilem se immerserant præsultores illi, ut unus ex iis ipsum Regem Sueciæ hastâ aggressus, penè dejecerit equo. Sed is à nullo suorum sublevatus, Suecico deindè sclopo trajectus est. Tartaricæ alæ terga hostium circumire & illac irrumpere tentavêre. Sed cum omnia ibi peritiâ Du-

ctorum prævisa munitaq; reperissent, non ausæ sunt tonantibus undiquaque machinis se objicere. Peditatus Polonus imperata non impigrè faciebat. Non minùs quoq; pars nonnulla equitum. At in multis aliis par alacritas est desiderata. Rex ipse satagebat rerum suarum, & ubique obequitans voce indefessâ animare conabatur suos; ipse periculi nec fugitans, nec expers, cum non procul ipso Subpræfectus Nadorowski caderet, necnon famulus Andreæ Trzebicii, qui tùm Vice-Cancellarius Regni, Regem fido obsequio, etiam prælantem comitabatur. Regina quoq; animosa Princeps ex adversâ fluminis ripâ non spectabat otiosa prælium, sed astans machinis grandioribus, jussa militaria dividebat. Cæterùm hostes singulari sagacitate occurrere insidiis, eludere impetus, stationes, prout res posceret, mutare, bono ordine laborantibus succurrere, machinis ubiq; se tueri, iisdem oppositum equitatum, talium insolentem, terrere & avertere periti, & tùm insuper, velut desperationis quodam æstu, ad contendendos omnes virium & solertiæ nervos compulsi, etsi plu-

res suos amisissent, quàm trucidâssent Polonos, deniq; prævaluêre. Sed utriusq; partis confessione certum exploratumque habeo, quod ante dixi, longè difficiliorem incertioremq; futuram fuisse victoriam: si in primo conflictu aggressores Poloni à suis sublevati, si & tormenta tormentis opposita fuissent: & denique ad nutantem fortunam restaurandam noctis beneficio usi nostri, die sequenti ad prælium rediissent. Nam apud hostem & milites & equi fame jam deficiebant; victu Polonis liberaliter suppetente. Sed hi perditâ vincendi fiduciâ, noctu, urgente nemine, ultrò abiêre. Cum pro magnitudine prælii pauci sanè cecidisset, paucissimi etiam & penè nullus ex primipilaribus captus esset. Neq; aliud difficillimi periculosissimiq; congressûs solatium habuerunt hostes, quàm quod Prapam oppidum eo die, sequentibus verò Varsaviam desertam obtinuêre. Urbs commissa Bülovio est. Rex Sveciæ cum expeditissimis suorum Cracoviam ire decreverat, opem ei loco laturus adversus circumfusam Nobilitatem. Sed cum Radomum pervenisset, monitus est, diffici-

lem ſibi ad ſuos regreſſum fore. Polonico exercitu, qui ſoſpes & integer ceſſiſſet, facilè illi itinera intercluſuro. Itaq; Varſaviam rediit, atq; illinc in Pruſſiam profectus, cum Mariæburgum peſte infectum reperiſſet, Reginam ſuam Frauenburgum duxit. Ubi tùm ei Cancellarium Ericum Oxenſtiernium virum, ſi provixiſſet, magno Patre non futurum minorem, febris acuta abſtulit. Elector cum copiis ſuis ad Bugum amnem nonnihil moratus, exercitum morbis haud parùm imminutum reduxit in Pruſſiam ſuam, quam tùm Gonſievius alter Lithvanicarum copiarum Dux incurſare cæperat. Atq; idem paulò poſt cum Comite Valdeco ad Lycum oppidum feliciter congreſſus, fuderat Electorales copias, & qui interfuerant, Suecos. Captiq; iſtîc ab auxiliatoribus Gonſievii Tartaris Iſraël nominatiſſimus Suecorum tribunus, Engelius item, Brunellus, Kok, Scharenbergius, aliiq; quidam in Tauricam captivitatem acti, in quâ multos annos miſerè contriuêre. Captus ibidem Dux Boguslaus Radzivillius ſtabuli M. D. L. Præfectus. Sed benigniùs cum eo egit

fortu-

fortuna, quæ ex Tartarorum manibus ereptum, Gonſievianæ cuſtodiæ tradidit. ex quâ deindè, cum Stenbockius Comes in Livoniam tendens Gonſievio incauto ſuperveniret, elapſus eſt. In Livoniâ interim *M*oſchus ingentes fecerat progreſsûs: occupatiſq; locis compluribus caput Provinciæ Rigam 19 Auguſti cæperat obſidere. Ubi in primis initiis equitatus Suecicus Moſcho ſe auſus objicere, ad villam Bartholdi multos ſuorum amiſit, atq; inprimis ipſum DuctoremComitem Turritanum & Cronmannum pro-Tribunum. Comitis deindè caput à cadavere abſciſſum viduæConjugi Moſchus remiſit. Exin à I. Septemb. uſq; ad V. Octobr. quotidianis grandiorum machinarum fulminationibus fatigata Urbs eſt: defendentibus illam Comite Magno de la Garde, Gubernatore Livoniæ, Simone Helmfeldio, aliiſq; Ductoribus, quorum virtuti Magiſtratûs & gnaviſſima civium Rigenſium opera feliciter reſpondit. Undè tandem, quam vaſtiſſimo exercitu & maximâ tormentorum ad deditionem compelli non poſſe hoſtis videbat, deſeruit; hyemem inprimis ingruentem veritus,

ritus, quæ victum jumentis, tantæq; hominum multitudini difficilem redditura, tùm & opera sua circa Urbem structa aquis corruptura videbatur. Dùm hæc in Livoniâ aguntur, Ordines interim fæderati Belgii classem Rectore Opdamio, Sub-Præfectis Reitero & Trompio, ad portûs Gedanensis littora misêre, pro libertate portûs istius excubituram. Miſit eodem quoq; suam Rex Daniæ. Nec multò post mirificum fortunæ facinus magnū Bellatorem Comitem Königsmarckium à suis proditum in manus & captivitatem Gedanensium tradidit. Rex Poloniæ Varsaviâ nupèr Lublinum regressus, collecto denuò exercitu hostem in Prussiâ ipsâ quærere non dubitavit. In itinere Laucicia armis expugnata est, & oppidanorum major pars furore militari trucidata. Præsidiarii in arcem se recepêre, sed vi & fame ad deditionem compulsi sunt. Captus ibi Schöneckius Electoralis Tribunus, tùm Boninus, eidem Electori à consiliis intimis, atq; hi in Prussiam secuti sunt Regem victorem. Qui dein prætermisso Thorunio, quod moram & vim majorem requirebat, Choiniciam aggressus

gressus est, insessam tùm præsidio Svetico, sub ductu Johannis Georgii Principis Anhaltini. Hîc inexpectato aggressu deprehensus, se tamen & oppidum duabus illis legionibus, quibus præerat, impigrè aliquamdiu defendit. Sed potentiæ Regiæ impar, cùm honorificas à Rege conditiones impetrâsset, suos omnes in Pomeraniam cum impedimentis, securitatem itineris præbente Regii militis comitatu, deduxit. Tam benignum se Joannes Casimirus ubiq; etiam hostibus præbuit. Eodem quippe tempore dedita est Calissia, factâ præsidiariis Sveticis Thorunium eundi potestate. Ita ovantem Regem fortuna deduxit Gedanum, ubi maximis post tot rerum vices lætitiæ indiciis exceptus, non obscurè vicissim ostendit, quanti constantem Urbis fidem æstimaret. Et omnium confessione certum est; hanc si Urbem Svecorum Rex arbitrio suo obsequentem habuisset, maximum illi indè stabilimentum ad retinendam potentiam fuisse accessurum. Nam nec nervus rerum, nec supplementa militum tam nobili portu fruenti defuissent; & in Polonos convertere ille totũ

exercirum potuisset, cujus non spernendam partem, Urbem à tergo positam respectans, in viciniâ ejus coactus fuit relinquere. Cæterùm Regem Poloniæ in Prussiam comitati erant Duces Stanislaus Potocius & Landskoronius, cum exercitu benè valido. Sed hic inclementiæ hyemis diu obluctatus, cum & victûs inopia instaret, ad liberiora hyberna, relicto circa Urbem peditatu, discessit. Hostis diu hactenùs in Mariæburgensi Insulâ nocendi occasiones speculatus, misit expeditissimos suos, qui abeuntes sequerentur. Et nonnulli incautius agentes non procul Choiniciâ oppressi sunt ab Aschenbergio; non inulti tamen, cùm plurimi persecutorum in manus Stephani Czarnecii inciderent: eum antequam vicinum cognovissent, præsentem clade suâ experti. Opportunè enim ille Choiniciam cum copiis suis venerat, deductâ illuc Reginâ, quæ ad Regem tendebat. Rex interim Gedano Ignatium Boncovium Succamerarium Culmensem, postea Pomeraniæ, nunc Mariæburgensem Palatinum, virum grandi ingenio, rerumq; usu ad ardua aptissimum, in Moscoviam ablegavit, proro-

prorogandis induciis, quas ille cum Republ. Polonâ antehac initas, tùm quidem adhuc servabat, bello Livonico occupatus, & in spem adductus, fore, ut Successor viventi etiam Regi eligeretur. Quod nec certò promittere Respubl. voluit, ne libertatem eligendi infringeret, nec apertè negare, ne ambitiosum Despoten tali tempore offenderet. Sed dexteritate Succamerarii, & qui eum secutus est Sumovii, tùm Commissariorum alibi cum Legatis Moscicis agentium effectum est, ut amicitia inter Moschos & nostros tùm adhuc incolumis maneret. Accessit alia illic belli remora, pestis atrocissima, quâ innumera hominum in Moscoviâ multitudo extincta est. Regem verò ambigua tùm tenebat consultatio, cum pacem sibi perpetuam aut cum Moscho, aut cum Sueco necessariam videret, utra præferenda esset. Legati Gallici Avangurius & Antonius de Lumbres ad Svecicam hortabantur, & prolixam illuc operam offerebant. Alii & inprimis Procerum Lithvanorum pleriq; pacta cum Moscho continuari maluissent. Sed Rex, cum ad æquam & optabilem pacem neutrubi satis

tis matura omnia videret, novas armorũ ſocietates & ſubſidia quærebat. Atq; ad Cæſarem inprimis Germanicum jam dudùm miſſi fuerant Legati, qui opem iſtîc ſolicitarent, oſtenſis periculis, quibus per Reipubl. Polonæ ſtragem, aditus ad provincias Auſtriacas ſtrueretur. Rem eam magno inprimis ſtudio egit Joannes Comes de Leſsno Palatinus tùm Poſnanienſis, Joanne Wielopolſcio, Caſtellano tùm Voinicenſi, poſt Palatino Cracovienſi, viro magno in Republ. comitatus. Sed Ferdinandus III. Cæſar, diu cunctabatur, veritus ne inſtans ſuis terris periculum propiùs ad ſe attraheret. Nec niſi morti vicinus decrevit rem Polonam seriò ſibi adjuvandam. Mors deindè ſuperveniens cæpta opis ferendæ conſilia interrupit. Neq; enim è re filii Cæſarei viſum eſt, ſubitò ſe bello externo implicare, antequam res domi ſuas, quæſitis etiam alibi fæderibus firmâſſet. Occultè itaque commeavêre conſilia, quibus major plurium Principum ſocietas adverſum Poloniæ hoſtem ſtruebatur. Et Rex Joannes Caſimirus proximi ſibi Electoris amicitiam, eo tempore, ut maximè neceſſariam,
requi-

requirendam duxit. In quâ conciliandâ jamdudùm arcano labore occupabatur Venceslaus Comes de Lesſno, Epiſcopus tum Varmienſis, poſteà Regni Primas creatus. Cui ut Principi tanti operis architecto alii ſubſervierunt; inter quos me fuiſſe, fiduciâ veri fretus, profiteor. Et ſucceſſiſſet tùm opinor negotium, niſi novum è Transſylvaniâ obſtaculum intervenisset. Et Rex ipſe Suecorum, circa Hollandiam oppidum cum Electore congreſſus, blandiente ſuadâ Principem hunc ita ſibi illigaverat, ut tum quidem ab eo auelli nequiverit: cumq; ad illum ego, qui hæc ſcribo, ſub id tempus ideò miſſus eſſem, ut vadum compoſitionis tentarem, poſt longam ſatis moram id tandem reſponſum accepi, fortunam necdum videri res Poloniæ ad æquam pacem maturaſſe. Intereà autem Lithvanici exercitus Pruſſiæ Ducalis agros & oppida in finibus ſita, igne & ferro vaſtabant. Et hoc tempore à Paulo Sapiehâ Pala ino Vilnenſi expugnatum eſt Tykoczinum, quod ſitu & arte munitiſſimum, obſeſſores diu eluſerat. Cæſi iſtîc ab expugnatoribus plurimi ex iis, qui contra Patri-

am

am consilia & arma hosti commodaverant. Accepta etiam ingens præda, cum illi hostium socii pretiosissima quæq; huc intulissent. Eâ tempestate Rex Sveciæ novo & atroci ultionis genere suam in Gedanenses iram effudit. Perfossâ enim parte aggeris illius, quo depressius solum contra Istulæ vim defenditur, aquas fluminis in subjectam Urbi Insulam immisit. Ita multi cultissimi agri inundati, ex quibus hactenùs opima tributa miles Sueticus hauserat. Obruta & sata, & pascua, & vasto adeò circa Urbem æquore effecto, egestas longè sparsa est. Incolæ enim subitò aquis circumdati, ægrè se & sua subduxêre periculo, & cum primum aliqui sub tigna confugissent, posteà tamen, ubi hiatus aggeris indies major, plures identidem aquas, nullam verò spem remedii admitteret, in vicina dilapsi sunt. Plerosq; novum illud æquor, inhumanum iratæ potentiæ opus, in Urbem devexit: Nam ad ipsa usq; mænia stagnabat fluvius, magnoq; aliquando impetu per cataractas in Urbem illapsus, humiliora ad Motlavam loca perfudit, metumq; majoris diluvii Civibus injecit. Sed intra Urbem

bem quidem nihil tristius posteà fluvio licuit. Cæterùm extra mœnia, toto amplius lustro vastissima terrarum circumjectarum spatia usui solito inepta reddiderunt aquæ. Neq; enim agger nisi post bellum reparari potuit, & cùm deindè maximis Urbis impensis reparatus esset, aquarum & glaciei violentia opus recens destruxit: nec nisi alter & eò gravior labor & sumptus fluvium coërcuit, ut veteri more innocens & commodus accolis esset. Sed jam novam Poloniæ calamitatem ex Transsylvaniâ natam exponere aggredior. Provinciæ enim illius Palatinus Georgius Racocius contractas longo molimine copias in Poloniam deniq; infudit: dudùm ad id à Rege Sveciæ, & Cronvellio Anglici Dominatûs invasore solicitatus, tùm aliis quibusdam pravi consilii Magistris impulsus. Nullâ is unquam injuriâ læsus fuit à Rege vel Republ. Poloniæ. Quin imò multis benevolentiæ pignoribus obligatus tenebatur utriq;. Nam & antehac bello Valachico, cujus suprà facta mentio, copias ei suas submiserat Rex, & posteà eundem Civitate Polonâ donatum, omnium Nobilitatis

litatis jurium, ſummorumq; adeò honorum, autoritate Comitiali fecerat capacem. Bello prætereà poſtremo amiciſſimis identidem literis Rex & Reſpubl. opem ejus quæſierat, ſpe etiam factâ, adipiſcendæ olim, poſt fata Regia Succeſſionis. Sed is invadere Regnum, quàm mereri, & eripere, quàm expectare maluit. Venit igitur in Poloniam, ingentem non Transſylvanorum tantùm, ſed Moldavorum Valachorumq; exercitum (triginta millium capitum pleriq; fuiſſe aſſerunt) trahens: juxtaq; magnam Coſacorum multitudinem, quàm jamdudùm occulto fœdere & pretio adverſus hanc Rempubl. autoraverat. Atq; ut animos ſibi Polonorum faciliùs molliret, ſpargi paſſim juſſit, venire ſe animo Poloniam ſervandi. Artem Cromvellianam tùm nimis uſitatam ſecutus, quâ oppreſſuri Regna, blandè, & velut protecturi, alas expandere cernebantur. Et aliquibus ſane fallaci hac ſpecie impoſitum eſt. Rex Gedano feſtinatis itineribus in Poloniam properat, curâ hîc rerum ad breve tempus relictâ penes Joannem Sobieſcium Regni Vexilliferum, qui tum juvenis militiæ &

in Aulâ prægratiosus, summarum Virtutum meritis ad primarias postea in Rep. dignitates, & ipsum deniq; sceptrum Poloniæ pervenit. Regem Gedano deduxit Stephanus Czarnecius, qui hostibus mirè circumductis, alicubi etiam profligatis cum expeditissimis suorum ideò accurrerat, ut ituro Regi esset præsidio. Czestochoviæ habentur consilia, loco jamdudùm miraculis celebri, sed qui hoc bello felicissimâ ac planè mirificâ sui tutelâ famam sub Cordecio Cœnobiarchâ plurimùm auxit. Verùm quia quæ istîc hac tempestate gesta sunt, singulari commentario complexus est illustris Senator Stanislaus Cobierzicius Palatinus Pomeraniæ, qui idem antehac Vladislaum Principem curatissimè composuit; nolim huc intexere, quæ ibi recens edita prostant. Viennæ mox cæpta ante de auxiliis Poloniæ ferendis consilia eò jam magis recalescebant, urgente inprimis Boguslao Comite de Lesno Regni tùm Thesaurario, qui cum plenâ tractandi facultate in aulam Cæsaream missus, inter alia salisfodinarum Cracoviensium reditus in stipendia militis Germanici publicâ Regni
fide

fide promittebat. Et successit tandem negotiatio, obtentusq; est ab Austriâ decem millium peditum, sex equestrium exercitus. At Racocium prius monendo avocare à bello conatus fuit Cæsar, misitque ad illum Hungariæ Cancellarium, qui cæpti iniquitatem, & malos eventûs Principi ob oculos poneret. Sed in fata sua ruentem nulla suada, nulla auctoritas retinuit. Ingressus Poloniæ fines rectà petiit Cracoviam, quam tradere ei Rex Sueciæ promiserat. In eâ Urbe jamdudùm tenebatur obsessum Sueticum præsidium, rem ibi curante Georgio Lubomierscio, Magno Regni Mareschallo. Sed novo hosti occursurꝯ abstraxerat indè copias, & posteà injurias à Racocio, Poloniæ illatas, in provinciis ipsius, comitante Joanne Sobiescio Regni Vexillifero, de quo paulò antè, ultus est: latè sonantibus per aspera illa montium armis Polonis, famâq; ipsâ Ducũ, quibus & Majorum decora & virtutes suæ magnum jamdudùm nomen in illis etiam oris, pepererant. Racocium verò obvius cum copiis suis Sueciæ Rex & Comes Valdecus, Electoralium turmarum Ductor Cracoviam deduxêre: nullo

nullo impediente, quia non erant in promptu vires, quæ tanto & ex tot gentibus in unum conflato exercitui opponi possent. Undè feroces potentiâ hostes longè latèq; mox per Provincias vim sævam diffudêre. Et quod Brestiam Lithuanorum conficiendis cum Moscho pactis destinatam noverant, eò iter verterunt, incredibili violentiâ ubiq; pauperiem facientes. Brestiâ nullo negotio occupatâ, Varsaviam progressi sunt, & Sedi Regiæ junctim omnes, sed præcipuè Muldavi, Cosaciq; immanitèr insultavêre. Et tùm inprimis direpta ferro, juxtaq; flammis vastata sunt, quibus antehac Sueci Germaniq; pepercerant. Sed & hi à sociis barbaris velut contagione infecti corruptiq; nihil hic crudelitatis omiserunt. Quodq; juncti hi omnes populi fecerant, separati etiam posteà facere perseverârũt: singulis libidinem & avaritiam explere cupientibus, quasi sentirent, nunquam deinceps huc se redituros. Mox enim ut ipsi inter se divelli, ita res omnium mutari cæperunt. Sueciæ Regem Dania trahebat, quæ bello tùm indicto, antiquitùs ablata à Suecis repetere voluit. Svecus

cus ad sua defendenda festinans in Prussiam primò, deindè per Pomeraniam ad Albim, porroq; in Holsatiam ivit. Ubi quas utriusq; sortis vices expertus sit, ex aliis disci Scriptoribus potest: Sed & à nobis aliquandò, Deo volente, uberiùs exponetur. Nunc Racocianæ fortunæ periodum absolvere juvat. Postquam Palatinus iste à Rege Sueciæ secesserat, Cracoviam repetere statuit. Sed dùm in itinere est, Cæsareum exercitum cum Polonicis junctum, non procul ab illa Regni Principe Urbe abesse intelligit. Quæ res quò provisa minùs, eò vehementius illum conturbavit. Nam agitari quidem inter Cæsarem & Polonos conjunctionem dudùm animadverterat. Sed tam citò coalituram & in effectûs tam properos erupturam, sibi non persuaserat, solito *in perniciem ruentium fato, ut contemptu sibi accelerent periculum: quodq; prudentiâ vitare potuissent, inconsulto impetu ultrò incurrant.* Cæterùm ille Cracoviam, ita jam circumseptam non ausus reverti, Sendomiriam progreditur: exercitu ejus indies minuente. Qui enim secuti ipsum erant Moldavi, Valachi, & similis notæ,

cum

cum rapinis ſeſe onerâſſent, de his aſportandis ſoliciti jam erant, de Racocio ſecuri, nec niſi ad proſperam ejus ſocietatem proni, malorum conſortium abnuebant. Ita à multis jam deſertus, eò citius recedendum ſibi cenſet, ne propiore hoſtium ſuorum acceſſu trepidatio cæteros quoq; abriperet. Itaq; apud Zavichoſtiam abjectis impedimentis tranat Iſtulam flumen, inſtantes Polonos apertâ formidine jam fugiens. Copiæ Regiæ fœderatis junctæ, Cracoviæ vicina repetunt; Sed Ducibus Polonis Lithuaniſq; nec non Palatino Ruſſiæ Czarnecio datum negotium eſt Racocium perſequendi. Pari omnium & velut æmulâ alacritate, quanquam viis diverſis, inſtatur fugienti. Primus eum ad Magiroviam aſſecutus expeditiſſimus ille Czarnecius, Sapiehanis turmis, quas Polubienſcius nunc Mareſchallus Lithvaniæ ducebat, comitatus magnâ clade deprehenſos affecit, cæſis eorum quàm plurimis: præſertim Coſacis, quos tergo ſuo prætenderat Racocius. Machinæ tùm ablatæ ſuprà viginti, captivorum multa millia liberata. Exin tantò magis dilabi cœperunt non Moldavi tantùm, ſed &

ipsi Cosaci, quorum robori plurimùm hactenùs confisus erat Princeps, & in terra ipsis notissima fugere volentibus viarum, quibus se subducerent, compendia facilè patuêre. Postremi eorum, apud Miedzibozum fugam orsi, aggere transfosso, ut Polonos instantes morarentur, Racocio ipsi, quem à tergo jam reliquerant, iter præcluserunt. Eò proniùs assequi illum Duces nostri & undiquaq; cingere potuêre, per diversa itinera in unum denique congressi. Nam & Magnus Mareschallus Lubomierscius, qui superiore mense Racocium, ditiones ejus vastando, ex Polonia evocare studuerat, per arduas montium salebras reduxerat interim milites suos, quanquam difficillimo & equis inprimis periculoso itinere lassos. Extremis itaq; periculis se tandem circumventum sensit Racocius. Nam perpetuò jam ejus castra Poloni Lithuaniq; undiquaq; solicitabant. Superandus erat Hypanis fluvius, cujus trajectus recessum ejus non parùm erat moraturus, Neq; ignorabat is fronti suæ Tartaros imminere, quos fama belli à Racocio in Poloniam moti contra ipsum exciverat, Turca minimè id prohi-

prohibente, quem iſta Principis Vaſalli audacia non parùm offenderet. A tergo cum Rege Joanne Caſimiro exercitum Auſtriacum ſequi, fama ſtudiò â noſtris ſparſa ferebat, quæ apud trepidos facile fidem invenit. In præcipiti igitùr conſtitutus Racocius, pacem orare conſtituit, miſitq́; Mikeſſium Cancellarium ſuum. Qui interrogatus â noſtris an paratus eſſet Racocius omnia Divina humanaq́; in Poloniâ â ſe violata, & magnam partem in cineres converſa, auro vel ſanguine penſare, reſpondit: Aurum non dabimus, dum ferrum tenemus. Subjunxit Palatinus Ruſſiæ Czarnezius; *Racocio inſtant extrema, nobis verò ſangvis jam penè proſilit venis, pro Rege & fortunis noſtris effundendus.* Quæ prolocutus proripuit ſe loco, ſuoſq́; milites tubarum clangore convocatos illicò ducere cœpit in hoſtem. Quem pari alacritate ſecutus eſt Polubinski cum Lithvanis. Quæ res non Mikeſſium modò, ſed & cæteros, qui in caſtris hærebant, perterruit. Undè & Januſſius Keminus copiarum Racocianarum Dux prælio paratos videns noſtros, per Druskevicium ad pacem tractandam ſpatium oravit.

Impetu itaq; fortissimi Czarnecii blandè inhibito de conditionibus actum. Quas victores primùm numero novem, omnes duriusculas imperavêre. Sed Mikessius homo facundus & agilis â generoso Ducum animo moderationem earum obtinuit. Deniq; ergò in has leges conventum, ut deprecetur Poloniæ & Ungariæ Reges & ingentem pecuniæ summā exercitui numeret, renunciet amicitiæ Sueticæ, captivos omnes, & deniq; Cracoviam Brestiamq; Lithvanorum, quantum in se sit, reddi faciat. Sancitâ pactione, datisq; obsidibus, St. Abassio & Georgio Gerossio, copias ille suas per mediū exercitum Polonum duxit. Ipse cum Ducibꝰ nostris eodem deindè curru vectus, multa familiaritèr de belli sociis questus, Cosacorum inprimis sublestam fidem accusabat, suam verò uti liberaret, misit extemplo internuncium ad Janussium Betlehemum, quem Hungaris in præsidio Cracoviæ relictis præfecerat, jubens, ut milite indè educto, Regi Poloniæ tradat Urbem. Ac Bethlemus quidem Racocio Domino suo, at non item Bethlemo Sueticus Gubernator Paulus Würtzius paruit.

Nam

Nam is obſidione demùm ac Cæſareani Ducis Hatzfeldii tractatu ad deditionem Urbis iſtius flecti potuit; tandemq; 24 Auguſti cum milite ſuo impedimentis omnibus, & opimis ſpoliis in Pomeraniam, deductus eſt, multis Polonorum conditiones, quas nimiùm laxas ab Hatzfeldio obtinuerat, ægrè admodùm ferentibus. Racocius verò vix dum finibus Regni egreſſus in majora mox diſcrimina incidit. Facilitati Polonæ ſatisfeciſſe videbatur pro illatis injuriis, at minimè Divinæ Nemeſi. A quâ in Scythicas manus traditi ſunt, qui Polonas effugerant. Tartari enim, qui jamdudùm cæpta iſtius Principis ægris oculis aſpexerant, nunc perculſum & oppreſſu facilem conſpicati, loco ſibi opportuno circumdedêre exercitum ejus, eundemq; haud multo negotio victum, unà cum Ducibus, Tribunis, & Ordinum Ductoribus in *T*auricam abduxerunt: cedentibus ſic in prædam barborum iis, qui modò Poloniam barbarè deprædati erant, ſuaq; adeò facinora fœdiſſima ibi ſervitute expiavere. Neq; Racocius ipſe eadem vincula effugiſſet, niſi, juſſu Ducum, à Joanne Sapieha exercitu-

um Regni Notario comitatus, & ab aliis Polonis viâ Tartaris ignotâ ſupremo diſcrimini fuiſſet ſubductus. Ad eum modum qui nupèr plusquam triginta milſibus ſtipendiariis cinctus, in Poloniam irruperat, nunc vix quinquaginta hominibus ſtipatus, ſummâ cum trepidatione, & ſalvis vix dentibus, in Patriam ſuam rediit atq; ita rediit, ut poſt ea vî Ottomannicâ non ſolum honore & poſſeſſionibus ſuis omnibus ſed & vitâ exueretur: Magnum & illuſtre Principibus documentum, *non eſſe appetenda bella iis, quibus pace ſine injuriâ frui licet: & de ſuis ut plurimum periclitari qui improbè inhiant alienis.* Svetici Regis in Holſatiam diſceſſus, ruina Racocii, & Auſtriaca auxilia cæptum diudùm cum Electore Brandeburgico reconciliationis negotium nunc tandem acceleravêre. Cum præter Epiſcopum Varmienſem, quem ante huic operi invigilâſſe diximus, Vincentius Goſievius Theſaurarius & idem Campiductor Lithvaniæ, cum aliquibus Miniſtrorum Electoralium, qui arma cum Svecis juncta minùs probaverant, inprimis Barone Overbequio, rem validè ageret. Et ingens momentum ad-

debat

debat Franciſcus Baro de Liſolâ à Rege Hungariæ & Bohemiæ in id miſſus, ut Electorem ab amicitiâ Sveticâ avulſum, Poloniæ reſtitueret, eidemq; ſocietati, quam Patre orbus, & Imperii Germanici jam Candidatus Leopoldus nuper cum Rege noſtro & Republicâ inierat, innecteret. Reſpondit labori ſucceſſus & Labiaviæ primùm Compoſitionis leges ſcriptæ, poſteà verò Bidgoſtiæ mutuo Principum ſacramento ſancitæ ſunt. Splendidæ ſatis illæ in partem Electoris, Polonis graviores ſemper viſæ, niſi eas tempori datas excuſaret neceſſitas. Gaſievius interea in Livoniam movit. Ubi ei proſperè primùm res ceſsêre, adeò ut Rigam quoq; ipſam circumſidendi caperet animum: quamvis non immemor, eam nupèr à Moſcho majore longè exercitu fruſtra oppugnatam fuiſſe. Cæterùm cæpto obſidio, dùm ipſe alibi gravibus negotiis attinetur, malè rem egerunt Ductores. Quorum præcipuus dum ægrotans alteri regimen ſtructo convivio tradit, ſuperveniunt obſeſſi, & quicquid ibi militum fuit, diſſipant, cæſis non paucis, captis compluribus. Ita ſoluta eſt obſidio,

dio, neq; quicquam magnum posteà in Livoniâ geri potuit. Paulopost verò in Curlandiâ pensata est labes, quam circa Rigam Gasievianis copiis culpa paucorum conflaverat. Germaniam verò his temporibus ingressus est Czarnecius tantâ celeritate, ut famam sui Dux longè latè que celeberrimus anteiret. Vigorem Martiamq; sagacitatem Viri jamdudùm, audiverant remotissimi etiam populi, nunc vicini vident, hostes extra Poloniam quoque sentiunt. Ille consilii sui obtegens, invictus laboris, ad pericula intrepidus, militi suo carus æquè ac venerabilis, omnia ex voto ubiq; agit. Flumina etiam maxima & quæ alioquin pontibus longè quæsitis, vel suppaginibus lento opere contractis trajici solent, tranat, ipse prævius suis. Pomeraniam Sveticam cum intrâsset, urbes munitas præterit, oppida, pagos, & quicquid passim patebat, diripit, vastatq; ut ostenderet hostibus, quid in Poloniâ peccâssent; Simùl & nervos Regi Sveciæ in propriis ipsius terris incisurus. Sed antequam hæc fierent, Rex Poloniæ Bartholdum Rautenfelsium Secretarium ad Electorem Saxo-

Saxoniæ miſerat, qui arma Polonorum in Germaniam tranſeuntia excuſaret. Non enim mirum cuiquam videri debere, hoſtem Poloniæ ubivis quæri à Polonis. Nec ideò pacem cum Imperio initam lædi, læſamq; eam potiùs à tot Germaniæ Principibus, qui ſub auſpiciis Sveticis ſuos exercitus in Poloniam ducere ſuſtinuerint. Cauſam quoq; Poloniæ apud fæderati Belgii Ordines agebat, miſſus Regio nomine Pinoccius Nobilis Italus, poſtea Regni Indigena, Coricinio Poloniæ Cancellario intimè carus, quod viri ingenium negotiis gerendis aptiſſimum cognoverat. Sed Ordines illi ſuæ in Mari Balthico libertati commerciorũ Elbingenſi Tractatu conſuluisſe rati, ultrà tùm non proceſsêre. Angliam idem Hieronymus Pinoccius juſſu Regio adiit. Verùm iſtîc omnia hoſti amica, Polonis adverſa reperit, Cromvellio inſiſtente conſiliis, quæ cum hoſtibus noſtris inſtigante Enthuſiaſtarum ſpiritu jam dudùm inierat. Polonis autem, ſicut Racocii collapſa fortuna & Electoris ad amicitiam reditus, ita Danicum etiam bellum non leve adjumentum attulit. Id enim

Regem Sveciæ ita attinuit, ut nec reverti posthac, nec justum exercitum mittere in Poloniam potuerit. Atque istîc quoq; perindè ut in Poloniâ fortuna illum primum successu blando ad summa evexerat, sed ut postremò desereret. Principio quippè Holsatiam impunè ingressus, mox sine multo negotio ad ipsam Daniæ metropolin penetravit, patente per maris sinum itinere, cum rigidissima hyems, insolitis frigoribus, ita durâsset glaciem, ut exercitus armatos & impedimenta ferre posset. Ita improviso hostis accessu oppressus Daniæ Rex in pacem consensit, qualem subita necessitas expressit. Sed mox reditum ibi ad arma est, etiam antequam pax effectum sortiretur. Denuò præter opinionem circumventus ille Rex, & non modò aliis ditionibus, sed & inclytâ illâ tùm Regni sui, tùm totius maris clave Cronenburgo exutus, atq; intra Regiam sedem Hafniam obsessus est. Cæterùm ad unam hanc Urbem fregit impetum & vires suas Rex obsessor. Nam & gravissimo insultu plurimos suorum, inq; iis longè fortissimos viros amisit: & mora obsidii spatium dedit Daniæ amicis, ut opem

opem possent submittere. Misit fœderatum Belgium classem, quæ ducente Vassenario Thalassiarcho, claustrum freti Codani perrupit, & non sine magno periculo quidem, quippè quod duos Pro-Præfectos classis Vittium & Florissium, & multas naves absumpsit, cum classis Svetica, Duce Vrangelio Comite, vehementissimè obniteretur, ad Hafniam tamen pertigit, Regiq; & Daniæ, quæ tota in unâ Urbe pericitabatur, auxilium tulit. Terrâ quoq; accurrêre Cæsareæ, Polonæ, & Electorales copiæ; quarũ illis Comes Montecuculi, istis duo insignes Palatini, Russiæ Czarnecius, Podlachiæ Petrus Opalinius: omnibus verò Elector Brandenburgicus cum laude præfuit, nihil eorum, quæ à vigilante & prudente æquè ac forte Duce requiri solent, in se passus desiderari. Quid verò istîc actum, quamq; virtuti Ducum militumq; nihil tum defuerit, præter naues, quibus trajicere maturè, ad hostem Insulis immorantem, optabant; non à nobis tantùm si fata permiserint, sed & ab externis scriptoribus tradetur. Certè Polonos istic, inprimis ad inaccessam Alsen, ad Coldingam, Fri-

dericodeum, nusquam non fortiter rem gessisse, fassi sunt hostes ipsi, & agnovit præter alios Princeps optimus Fridericus III. Rex Daniæ, uti vel ex Epistolâ apparet, quam ad Czarnecium scripsit, dignam meo judicio, quæ & hic iis verbis, quibus scripta est, legatur, in testimonium virtutis Polonæ, quæ in Czarnecio, tanquam in primario hujus expeditionis Duce celebratur: Ita autem habet illa:

Singulari favore ac benevolentiâ nostrâ Regiâ præmissis, Illustriissime Domine, sincerè grateq; Nobis dilecte, maximâ cum existimatione Nobis relatum est, quomodò Illustr. Vestr. diversis conflictibus, novissimè etiam in occupatione Insulæ Alsen, sitorumq; in eâ Castellorum, inter alia hostis copias, numero militum, plusquam triplo suis fortiores, præeunte suo agmine profligando, virtutem suam verè Heroicam, cum laude & admiratione omnium exercuit. Quemadmodùm Nobis semper de Illstr. Vestr., ut pote Duce rebus suis gestis præclaro, gratulati sumus, affectumq; Serenissimi Regis Vestri fraternum in auxilium armorum nostrorum Illustr. Vestram submittendo abundè deprehendimus: Ita benevolentiam

lentiam nostram Regiam, quam meritis suis etiam apud Nos Illustr. Vest. acquisivit, contestari hisce voluimus, ex animo optantes, ut felicissimis quibuscunq; successibus fama Illust. Vestræ non solùm Patriæ, sed exteris etiam cognita, universo Orbi, præsertim huic Arctoo magis magisq; innotescat. De cæteris certò sibi persuadeat Illustriss. Vestra, nos quicquid officiorum Nobis præstitum fuerit, grato animo, omniq; favore Regio cum DEO & tempore agnituros. Dabantur in arce nostrâ Regiâ Hafniæ die 24. Decembr. Anno 1658.

Hoc anno (ut togata quædam intermisceam) post fata Petri Gembicii, infulam Cracoviensem adeptus est Andreas Trzebicius, gesto magnâ prudentiâ utroq; Regni Sigillo, Legatione etiam ad Imperium Germanicum dexterrimè obitâ, alisq; multorum annorum meritis, Regi ac Reipublicæ dudum cognitus. Premisliensis, quam is hactenus gesserat, data est Stanislao Sarnovio, cujus eximias virtutes in Supplicum libellorum magisterio, seu Referendariatu ita Rex adamaverat, ut & Sigillo Regni dignissimum judicaret. Sed is dato Episcopatu con-

tentus, multos ibi annos inter varia pericula, à Scythis præcipuè, transegit, donec postea ad Vladislaviensem infulam citra ambitum, & ferè invitus à Rege Joanne III. est evectus. Jam ad arma redeo, quæ dum prospere & gloriosè in Holsatiâ & ultra hanc peregrinabantur, Rex Joannes Casimirus interim pestes, magis magisq; eliminare nititur. Ac magno inprimis studio id agit, ut Cosacos à Mosco ad se & Rempubl. retrahat. Curæ istius particeps fuit Regina, nec pepercit sumptibus, sine quibus res tantæ molis perfici non poterat. Ministri operis præcipui fuêre duo Stanislaus Binievius, Castellanus tùm Volhiniæ, posteà ob egregià merita Palatinus Czerniechoviæ nominatus, alter Casimirus Ludovicus Jevvlassevius, Palatinus posthàc Bresciaenensis. Stimulatores & simul proxenetæ, sed armati erant Tartati qui nec cessabant, infestare, quà poterant Cosacos, & istiusmodi vim hostilem perpetuam fore minabantur, nisi ii ad priorem Dominum reverterentur, à quo ad Moschum, æternum Tartarorum hostem defecissent. Agitari hæc cæpêre, cum Chmelnicio Cosacorum Duce. Et acclinare is aures

animumq; visus est bonis consiliis. Sed hominem non dignata sunt fata consummati operis istius honore. Extinctus est inter prima cæpta, homo inquietus quietâ tamen & siccâ morte: mirante non uno, qui tot turbarum in Regno autor, tot hostium externorum concitor, non modò supplicium effugerit, sed & honori, opibusq; integris sit immortuus. Verùm *justitiæ Divinæ tabulas rimari anceps & illicitum: cui judiciorum suorum constat ratio, etsi hominibus obscura aut ignota sit.* Moriturus Chmelnicius convocaverat Tribunos exercitùs, iisq; filium suum duodecennem commendârat; pueri tutelâ speciatim commissâ Kovalevio & Lesnicio. Sed Cosacorum alii & tutelâ illâ & regimine exercitûs digniorem existimavêre Vihovium, qui jamdudum Chmelnicio administer, rerum Cosacicarum rationes pernoverat. Legatus Moscicus Mattevicius hæc se inscio facta indignatus, Pereaslaviam convocat Cosacos, atq; ibi clavam deponente Vihovio, publicè rogat, quem Ducem velint. Post longum omnium silentium gregarius quidam Vihovium laudare incepit. Nusquam evidentiùs emicuit, quantum pos-

ſit prima vox. Succlamavêre mox alii, & non alium ſe velle Ducem teſtati ſunt; Ita clavam, quam modò poſuerat, Vihovius recipit: Matisſevicio Moſco conſentiente quidem, ſed ſimul mox leges addente, ut novus Dux nuncium remittat Regi Poloniæ, & omnibus externis Principibus, contra autem ad Czarum Moſcoviticum profectus fidem ei obſequii jurejurando præſtet. Sed Vihovius Moſco ſe ſuſpectum eſſe noverat: adeoq; ſecuritati ſuæ proſpecturus, mittit ad Regem Poloniæ Internuncium Theodoſium, hominem in Aulâ ob fidem jamdudùm cognitum, compoſitionem offerens, quæ ante deliberata magis, quàm cæpta fuerat. Suboleverat de his Moſco, adeoq; variè inſidiatus Vihovio, & apertè deniq; eum perſequi cæpit, Coſacorum regimine in Puſcarenium quendam translato. Mittitur, eodem Moſco machinatore, ad Inſulas Zaparovianas Barabasſius, ut vetuſtisſimum quemq; militiæ Coſacicæ in Vihovium concitet. Sed hic dum ad Puskarenium cum non exiguâ manu tendit, interceptus à Vihovio, atq; in patibulum actus eſt. Idem Moſcus alium

deindè

deindè Tribunum Dziadzalium occultis ſermonibus, magnisq; invitamentis corruptum in caput & vitam Vihovii ſubornat. Qui eò periculoſior huic, quò familiarior. Suggreſſusq; aliquandò noctu cum paucis tentorium Vihovii, haſtis lectum ejus transfodit, Vihovium ſe fodere ratus. Sed ille maturè excitus, eadem, quâ illi ingreſsi fuerant, ſolertiâ, ſe in equum proripuit, & ad Karazbeium Tartarorum Ductorem, qui non procul indè cum exercitu ſuo ſtabulabatur, profugit. Puskarenius interim cum ſelectis, propius ſe caſtris Vihovii admoverat, de eo, ut cæſo, jam triumphans. At vivere illum nec ii, qui vivum maximè vellent, ſciebant, donec à Karazbeio poſcentibus oſtenderetur incolumis. Eo fortiùs poſtea contra Puſkarenium & Dziadzialium pugnatum eſt. Obtinuitq; ibi victoriam Vihovius, & ſuam inter Coſacos autoritatem aliquantum ſtabilivit, hoc inſuper ſolatio potitus, quod Dziadzialium inſidiatorem ſcelus ſuum vitâ luere vidit. Intereà miſſus antehac Theodoſius, & poſteà hunc ſecutus Tettera, Vir egregius, & in Regem optimè animatus, effecerant,

rant, ut Duum viri illi, quos jam ante ad negotium compoſitionis Coſacicæ deſignatos dixi, adventarent. Qui Vihovium in caſtris ad Hadziacum poſitis repererunt. Iſtic res difficillima agi mox cæpit magno molimine. Nihil mediocre popoſcêre Coſaci & annuerunt FæcialesRegni: cum Reſpub, tot adhùc bellis implicita quovis pretio exercitum hunc Coſacicum reconciliare ſibi ſtatuiſſet, iturum alioquin ſub Turcarum dominium, vel ad Moſcos rediturum, pari Reipubl. Polonæ periculo & damno. Ac Polonia quidem ut antehac plurimum ſemper libertatis illecebrâ potuit, ita nunc eâdem hâc Coſacos præcipuè traxit. Cum nimirùm ad pariaCivitatis jura primarios milites, Ducem verò eorum ad Palatini Kiovienſis dignitatem, Græci ritûs equites, ad munera præcipua, ejusdem ritûs præſules, atq; inprimis Metropolitam Kiovienſem ad ſedes Senatorias admiſit. Vihovio præter Palatini honorem data eſt in feudum Oeconomia Lubomliana. Nieczaio autem Bobroiſcenſis præfectura, quam utramq; hactenùs Regina tenuerat. Multa prætereà alia tum

Religio-

Religioni, tùm Provinciæ Russicæ, Duci item & militiæ Cosacicæ concessa, quæ in volumine legum Poloniæ legi possunt. Illi enim inserta sunt, postquàm, quæ hic placita fuerant, à totâ deindè Republ. in Comitiis anni sequentis confirmari oportuit. Cæterùm simul ac eo pacto transactum fuit apud Hadziacum, missi illicò à Vihovio sunt nuncii, qui nomine totius exercitûs Regi ad Thorunium agenti dixêre sacramentum: simùl verò exercitum sex millium Polonorum Vihovius à Rege impetravit, subsidium adversus Moscos, & ipsi inprimis Duci, adversum perfidiam suorum, asylum securitatis. Eum exercitum mandante Rege duxit Andreas Potocius, Castrorum tùm Præfectus, posteà Palatinus Braclaviensis, vir ad magna natus, & ad maxima perventurus, si diutius vixisset. Tum quidem Ukrainæ tuendæ præfectus, rem strenuè & vigilanter gessit, impigros expeditionis comites nactus Stanislaum Jabłonovium tùm vigiliarum Præfectum, postea Palatinum Russiæ, inclytum meritis virum, & jam Poloniæ Campiductorem, Jacobum item Potocium, Castellani olim

&

& Ducis exercituum filium, Eustathium Tiskevicium Præfectum Zytomiriensem, Thomam Karczevium, Georgium Ruscicium, Josephum Lacinium & alios. Sed quæ hic Poloniæ favit fortuna, alibi Curlandiam eidem abstraxit, Ducemq; ejus Jacobum unà cum conjuge, Sangvinis Brandeburgici insignisque prudentiæ Principe, cumq; septem liberis in vincula Svetica miro & miserabili orbis spectaculo compulit. Optimus ille Dux, lege feudi, Polonæ Reipubl. innexus, à Rege tamen jamdudùm impetraverat, ut à belli Svetici consortio immunis, atque adeò utrique dimicantium amicus maneret, quia pactis Stumdorfianis paci inter partes conciliandæ destinatus pararius, non miscendus jam armis videbatur: & dubiis Poloniæ rebus consultius fuit, intermediis ejusmodi studiis incolumem servari Provinciam, quam, bello implicitam, Regni arma, alibi distracta, ægrè defendissent. Ac diu equidem sic se & res suas circumspectione suâ ut cunq; sustentavit Dux quanquam ab injuriis belli haud quaquam immunis. Nam subindè utriq; parti & pecunias & victum suppeditare

coactus fuit. Plurimùm tamen Svecis dederat, quia illis in locis diu hactenùs præpolluerant: & hoc ipso Septembri, quo in potestatem Duglassi cum omni familiâ suâ, citra culpam suam devenit, viginti millibus Imperialium, multoque commeatu pacem redemerat. Sed ante transactionem hanc acceperat Duglassus à Rege suo mandatum, Ducem, quà posset, corripiendi. Causas tam asperi mandati Svecia peculiari posteà scripto dixit, sed easdem alio Ministri Ducis refellère. Duglassus exequendi mandati occasionibus jamdudùm intentus, postquam tributa ante memorata impetraverat, reditum in Livoniam simulavit, & in eum finem à Duce navigia per Spensium Tribunum poposcit, avehendis flumine, quod arcem Mitoviensem alluit, militibus, quorum plurimos haberet ægros. Consensit Dux, etsi ægro & præsentiente jam sinistri moliminis animo. Non tamen auctæ excubiæ, aut quicquam contra vim præparatum. Prid. Calend. Octob. prima navigia non procul arce conspici cæpêre, quibus ceu ægrum militem vehentibus, alimenta præberi optimus Dux jussit. Atq;

illa

illa quidem ſine noxâ tranſierunt. Secuta deinde paulatim alia, numero quadraginta, cuſtodias eò facilius fefellêre, quod fortè tùm obſcura nubes Lunam offuſcaverat. Expoſitus ſine morâ miles, arcem nemine obſtante, inſcendit, ac tormenta vallis impoſita invertit. Neque vim, in primo aggreſſorum impetu, pretioſisſima Principis effugêre. Ducem Arnfeldius, Optio legionis Sveticæ, bono animo eſſe jusſit; adfuturum mox Duglasſium & rationes facti iſtius expoſiturum. Interim cuſtodiæ circumpoſitæ, quæ exitum præcludebant. Simul verò & oppidum Mitavienſe ab Ixelio occupatum. Ita intra arcem ſuam captus Dux, capta cum ſex liberis conjux, Brandeburg. Electoris Soror, quæ & partui tum proxima, octavo poſt die maſculum peperit; captivum, antequam naſceretur, & exulem, antequam patriam ſuam nôsſet. Nam ſequenti mox Octobri, die 28. idem Dux cum puerperâ ac omni familiâ Rigam, & paulò poſt memorabili inhumanitate, Iwanogrodiam, locum cœlo & nomine ipſo horribilem deductus eſt. Provincia tanto Duglasſii facinore, in Vindicias

Ducis

Ducis & suæ libertatis, arrecta impigrè quidem arma corripuit, sed exiguo profectu, quia regimen & concordia defuit. At eadem, anno sequenti, Lithvanici exercitûs ope, ex manu Sveticâ liberata est. Nunc series temporum Thorunium, cujus paulò ante mentionem injiciebam, me vocat. Eam Urbem simul ut occupata à nostris erat Cracovia, aggredi Rex statuerat. Sed citra Germanicum peditatum, frustrà se rem tantam videbat tentaturum. Dux autem Cæsareus Vir militiâ inclytus, at annis fessus, maturè hyberna respicere, quàm Urbem oppugnatu arduam alieno tempore adoriri maluit. Rex tamen præmisit Joannem Sapieham, exercituum Regni Notarium, qui eminùs circumpositis turmis commeatum Urbi & præsidiariis accideret. Cui posteà Suchius Generalis in exercitu Cæsareo magister excubiarum accessit; nec non alius copiarum Germanicarum Ductor Hesterus, nuper carcere Marieburgensi elapsus astu. Maturandæ oppugnationi missus quoq; à Rege est Christophorus Grodzicius, Castellanus Camenecensis, rei armamentariæ per Poloniam magister. Tandem

dem & Rex ipſe unà cum altero exercituum Polonicorum Duce, eodemq; Regni Mareſchallo GeorgioLubomierſcio ſecutus eſt. Tum demùm arctius undiquaq; circumſepta Urbs,& fortisſimè oppugnata eſt, Gubernatore Svetico Bülovio, magnâ vigilantiâ ſolertiaque locum defendente, plurimisq; ſubindè excurſionibus carpente obſeſſores. Rex violentiæ armorum benignitatis ſubindè teſtimonia interponebat, ſcriptisq; literis æquas obſesſis conditiones pacis offerebat, urbem nimirùm integram potiùs, quàm mutilatam ab hoſte recuperare optans. Sed præſidii Gubernator magis de famæ ſuæ, quàm Urbis alienæ integritate ſolicitus, à noſtris vim majorem, à ſuis auxilium opperiendum ſibi ducebat. Aut certè morari quærebat obſeſſores, dùm hyemis incommoda interrumperent labores obſidii. Rex Joh. Caſimirus clementiâ nihil profici conſpicatus, generali aggresſione Urbem adoriri ſtatuit, quâ ſi ultra profici nequiret, exrerna ſaltem opera, quibus mænia Urbis protegebantur, hoſti eripi poſſe ſperabantur. Cum omnia ad oppugnationem illam parata eſſent, ex ſtatione Giziâna, in quâ Dux Lubomier-

ſcius erat, ſignum datum eſt. Inſonuêre mox nimbi lapidei, ignibus mixti, ac volare ſimul cæpêre lapides molares, quos ex ſtatione Grodzicii jaculabatur Gödkantius, Vir in arte pyrotechnicâ incomparabilis. Incubuêre ſimul undiq; cohortes, ſingulæ in propugnaculum aliquod hóſtile, prout ordinaverat Dux, acerrimo impetu luctantes, fortiter ubiq; præeuntibus Ductoribus. Sed vehementisſima omnium circà primarium ſuggeſtum, quo hoſtis occidentale Urbis latus, & ſimul Viſtulæ, eâ parte, dominium tuebatur, conflictatio fuit, & ultra quinq; horas duravit. Ubi Giza Tribunus ducentos primùm milites emiſit, ut palos lateri ſuggeſtûs præfixos convellerent. Qui ponte portatili foſſam transgresſi, imperata feliciter effecêre. Secuti mox alii, qui jactis ſubito opere aggeribus tutiorem cæteris oppugnationem facere tentabant. Sed horum plurimi ictibus globorum interempti aut fauciati. Et dubitari cæptum fuit, an tanto periculo continuanda eſſet oppugnatio. Sed Dux Lubomierſcius inſtare operi jusſit, miſitq; novos ſubſidiarios. Et mox redintegra-
ta

ta vi datus in hostem impetus est, eo successu, ut hostis omisso hoc maximi momenti propugnaculo, in Urbem refugeret. Eòdem tempore aliud propugnaculum feliciter occupavit Boccamus prætoriæ cohortis Tribunus. Sed hostis ne in mænibus quidem ipsis jam hærenti obsessori cedere velle videbatur: nisi orta lues Sceletyrbica præsidiarios præter opinionem jugulare cæpisset: ita ut morbus deniq; vix trecentos relinqueret intactos. Rex quoq; etsi ad iterandam oppugnationem cuncta haberet parata, gregariam verò multitudinem à violento mænium aggressu ægrè contineret, denuò tamen cives & præsidii inprimis Rectorem per literas monuit, ne inani morâ & suum, & Urbis fatum acerbius redderent. Consensum est in colloquium mutuum, spatiumq; datum, ut obsessi mittere aliquem suorum possent Marieburgum, ubi Princeps Adolphus Regis Sveciæ Frater degebat. Neque enim ulla transactio valitura erat, nisi quæ consentiente ipso fieret. Quippè quem ad Danicum bellum profecturus Frater rebus Prussicis præfecerat. Ille fortunâ Urbis intellectâ deditionem

ditionem morari amplius non ſuſtinuit. Et paulò poſt obſeſsi fæciales popoſcêre, quibus cum de Urbe tradenda tranſigerent. Miſsi à Rege viri præſignes Joannes Andreas Morſtin Regni Referendarius, poſtea ærarii ſummus præfectus, Vladislaus Rey Reginæ Cancellarius, deinceps Palatinus Lublinenſis.

Horum opera ſcriptæ deditionis leges, æquæ admodùm & multam Regis victoris clementiam ſpirantes. Urbi utiq; non venia modò data admiſſorum, ſed et jura omnia conſervata. Thorunio occupato Regem cura Comitiorum, Varſaviam; Ducem Lubomierſcium, commiſſio militaris Lublinum; exercitum in hyberna tempeſtas anni & neceſſaria poſt tot labores quies vocavit. Præſidia Urbis noviter recuperatæ Paulo Cellari, excubiarum Magiſtro Generali, Pruſſiæ totius tutela Chriſtophoro Grodzicio Caſtellano Camenecenſi commiſſa. Sed huic exiguæ militum copiæ; hoſti contra novæ ex Pomeraniâ ſuppetiæ Ductore Wûrtzio adfuêre. Quâ occaſione correpta ab illo Choinicia, Culma, Derſavia, Stargardia, in Ducali Pruſſiâ Lipſtadium, Salfeldum,

Gedano quoq; se admovit Würtzius, & tùm literis satis asperis, tûm ignibus in proximo accensis atrocia minatus est Urbi. Sed hæc majora jamdudùm, pro fide in Regem suum, experta, tentamina hæc, ut levia, animo immoto transmisit. Varsaviæ interim Comitia haberi cæpêre, in quibus Ordinis Equestris consiliis vir summa experientia & multis legationibꝰ illustris Johannes Gninski Succamerarius tum Pomeraniæ post Palatinus Culmensis insigni dexteritate præfuit. Multa ibi ardua tractata negotia: Sed duo inprimis diutissimè animos tenuêre ambiguos. Unio ritûs Græci cum Romana Ecclesia, quæ olim Anno 1595 sub Clemente VIII. Pontifice, Poceio & Terlecio autoribus, coäluerat talis, ut Rutheni dogmata & ritûs Græcos retinerent, Romanum tamen Pontificem pro capite venerarentur. Eam Cosaci, & quotquot inter Russos antiquarum consvetudinum retinentiores, vehementissimè sempèr oppugnarunt. Neq; aliud efficacius telum habuerunt ad concitandum adversus Rempubl. populum rudem, nec adeò momenta rerum, quàm inania nominum expen-

expendentem: ubi inprimis ſacerdotum, qui Popi iſtic vocantur, zelus præivit. Eandem unionem Hadziacenſibus quoq; pactis Coſaci ſublatam voluerant. Neq; viſum fuit committere, ut ad vadum iſtud utilis Reip. negotiatio obhæreſceret. Nunc cum autoritate Comitiali lex confirmanda eſſet, operosè de aptâ aliquâ ejus contemperatione actum eſt. Altera difficultas conſiliis publicis objecta fuit â ſtipendiario Reipubl. milite. Cui quod ſtipendia ob inopiam publicam malignius proceſſerant, orti indè fremitus, in hybernis coitiones, & manifeſta obſequii Ducibus negandi primordia. Nam etiam aliud caput ſibi conſtituerant. Egêre cum illis Viri â Reipubl. ſelecti. Sed cum inſtituto in id conventu Lublinenſi nihil effectum eſſet, ad Comitia res rejecta. In his ſtipendia equidèm ſancita, qualia præſtare Reſpublica exſucca videbatur poſſe: Sed miles majora poſcebat: nec ullâ ratione avocari â propoſito poterat, pars tamen ejus novo capite repudiato, legitimos Reipubl. Duces ſequi maluit, & ſub his non poſcere tantùm, quod reliqui efficiebant, ſed & porrò mereri ſtipen-

dia, publicè in Comitiis, ore Stephani Nimericii Succamerarii Kioviensis, polliciti sunt. Istâ secessione multùm imminuta conjuratio, tùm quidem citra majora Reipubl. detrimenta desæviit: sed mansit sub cineribus flamma, cujus periculosissimos æstus sequentes anni viderunt. Interim qui â contage illâ integri manserunt milites, egregias Reipublicæ operas præstitêre. Nam primùm illi, qui procul â finibus Regni in terrâ Cimbrorum sub regimine Electoris Brandeburgici militabant, fortitudine suâ nomini Polono non mediocre decus addere pergebant, copiis GermanicisCæsaris & Electoris Brand. per Holsatiam, Alsen, Fioniam ubiq; comites, plerumq; etiam prævii. Certe ad clarissimam illam victoriam, quæ Fioniam & propè omnem fortunam Daniæ Regi restituit, plurimùm contulêre mille bellatores Poloni, quos revertentes in Patriam cum Czarnecio Ductores nostri, penes Cimbros reliquerant. Sed eadem illa victoria, uti ingenti legionum Sveticarum clade, ita Casimiri Piasiecinii, viri & genere & bello inclyti, sangvine nobilitata est. Is enim fortiter istîc pu-
gnan

gnãs occubuit. Non minùs quoq; gnaviter operaMartia domi procedebant. Nam etſi major exercitus aut abnueret penitùs, aut ſerò reciperet imperia Ducum, vigilabat tamen Potocius ſupremus exercituum Dux, ne quid in Ruſsiâ detrimenti caperet Reſpublica & alter Potocius Andreas, caſtrorum tum Præfectus, nec non Jablonovius & alii, quos eo loci adgubernandis Coſacorũ rebus dixi relictos, robur iis & conſilium adverſum Moſcos magnâ vigilantiâ & dexteritate addebãt. Sed maximi omnium momenti expeditio Pruſsica Lubomierſcio Duci demandata fuerat. Excuſſus quippè aliis Regni Provinciis Svecus, in Pruſsiâ nihil præter Thorunium amiſerat. Hîc ille munitiſsimarum aliquot Urbium usq; pertinax, uſum inprimis Viſtulæ, & commerciorum cuiſum Poloniæ intercludebat. Ad liberandã igitùr Provinciam magno ſtudio ferebatur Lubomierſcius. Sed, cunctanter tùm adhuc Imperia Ducum audiebat miles, lentè etiã, & præparcè ſuppeditabantur ea quæ ad oppugnationes Urbium neceſſaria erant. Sic attinebatur Dux, donec ſuis ferè nervis ea, quæ aliundè negabantur,

 ſupple-

ret. Comparatis quantùm tempora ferebant omnibus, Grudento admovet exercitum. Quod inter minores Prussiæ Civitates, commodo ad Vistulam situ, commerciorum opumq; non expers, tum ab hostibus super vetera munimenta novis operibus & quingentorum militum præsidio adversus Regem suum erat firmatum. Structis suggestibus quatiuntur mœnia, & undiquaq; immittuntur ignes, illo inprimis machinarum genere, quæ globos primùm integros, sed in plurima mox frusta dissilientes jaculantur. Undè tecta ædium passim fracta, oppidum totum periculis infestum fuit. Obsessi partim per contumaciam non intelligebant periculum, partim dissimulabant metum, ne suspecti redderentur aliis obstinatis. Tubicen utiq;, qui dedentibus se veniam à Mareschallo offerebat, spretus est. Acrius indè vis oppugnantium exarsit, cumq; fortè globi aliqui in fænum sub tecto quodam servatum incidissent, concepta ibi flamma fumo se mox prodidit. Instantibus mox undiquaq; pyrotechnitis, flammæ ita tandem invaluêre, ut oppidum brevi tempore in rogum converteretur.

retur. Diſtractis circa incendia oppidanis & præſidiariis, eluctatur in propugnacula & mœnia miles, & oppidum ingreſſus, nihil earum rerum omittit, quas facere ſolent expugnatores Urbium. Nonnulli hoſtium civiumque cum occupata mœnia viderent, in arcem ſeſe receperant; quæ alto monti antiquitùs impoſita & firmiſſimi operis muris circumdata eſt. Sed à Cæſareanis legionibus, quas ſub ductu Gotfredi Heiſteri excubiarum Magiſtri Generalis ſecum habebat Lubomierſcius, negatus ad amnem aditus, refugis aquas primùm, mox animos eripuit. Cumq; Tribunus, cui oppidi & arcis cuſtodiam Svecus commiſerat, ſponte ſe poteſtati victorum permittere nollet, apertâ ab aliis portâ admiſſus eſt miles: & Tribunus ille, qui interim in turri quadam ſe abſtruſerat, cum viginti aliis primipilaribus, gregariis centum octoginta, tormentis triginta quatuor traditus eſt Lubomierſcio. Ille brevi tempore, nec magno ſangvinis impendio loco tam memorabili potitus, eò fidentioribus animis verſus Mariæburgum proceſſit. Ea Cruciferorum olim præcipua ſedes, nunc Svecis

primarium dabat receptum: ingenio ſitûs & prodigioſæ molis operibus contra vim firmata, & inter uberrimas Inſulas poſita, alimentis abundabat. Antequam munimenta aggrederetur Dux, Inſulam majorem occupandam judicabat, ut ſuo militi cederent, quæ hoſtem hactenùs ſaginârant. Initumq; eâ ſuper re conſilium eſt, ut aliâ parte Gedanenſes, cum Wilhelmo Bütlero Generali excubiarum Præfecto ſociati, aliâ Electorales ſub Hillii ductu irrumperent, caput Inſulæ Montovienſe, Dux ipſe cum ſuis adoriretur. Benè ceſſit res & locuplete illo penuario ſuo, omnium opinione citius, exutus eſt hoſtis. Ad Urbem indè & arcem Mariæburgenſem perrectum eſt. Sed utraque hæc longiſſimis ſpatiis ſecundùm Nogati amnis ripam extenſa, nonniſi à vaſto admodùm exercitu cingi poterat. Suum verò longè minorem ſentiebat Dux, quàm ut tam latè porrigi, ex & utraq; fluminis ripâ circumdari poſſet. Una itaque parte, quæ Viſtulam reſpicit oppugnationes cœptæ ſunt: atq; inprimis circa pontem, qui oppidum Inſulæ majori jungit, acerrimè dimicatum eſt; eodem illo Bülovio,

qui nupèr Thoruniū fortissimè, dùm licuit, à se defensum reddiderat Polonis, hîc nova bellicæ constantiæ specimina edente. Sed potiundi eo tempore Mariæburgi spes ipsi etiam Duci, qui nihil loco isti ad tolerandum longum obsidium deesse noverat, exigua erat. Itaq; eò summa consiliorum dirigenda videbatur, ut si minùs ea, quæ ad Nogatum amnem sita essent, eripi nunc possent hosti, Vistulæ saltem plena libertas redderetur. Id verò flumen, cum nonnisi ex Haupto jam frænaret Svecus, hoc ante omnia adoriendum videbatur Gedanensib9, quantumvis id grandib9 multis arduisq; superatu operibus vallatum esset, Mareschallus omne illuc studium suum auxiliumque pollicebatur, & mox, cum magnum opus aggrederetur Urbs, conferebat. Postquam enim Bütlerus, quo socio Gedanenses anteà in Insula pedem fixerant, rediisset ad Ducem, misit hic deindè Baronem Ratschinium & Joannem Montrimum cum valida Cæsareanorum Polonorumq; militum legione ad societatem cæpti obsidii, & ipse interim copiis suis, hoste intra Mariæburgum, Elbingamq; ita conclusos tenuit, ut

loco obsesso nusquam opitulari possent. Copias Urbis tam pedestres, quàm equestres autoritate omnium Ordinum Civitatis regebat Vir bello exercitatissimus Valentinus Vinterus Tribunus. Is bis mille octingentos milites (tot enim omninò ad obsidionem hanc adducti) ita distribuit, ut pars ex Insula Mariæburgensi sub regimine Valteri Siberti, cui Montgomerius & Brandesius Ordinum Ductores adjuncti, occupato Schönbergiano trajectu, hosti cum Mariæburgicis & Elbingensibus præsidiis commuicandi copiam eripere tentarent. Quod & feliciter effectum, etsi non sine acri conflictu & evidente periculo. A quinquagintis enim Svecis penè circumventi illi, ex horto quodam ita se defendêre, ut hostis plurimis suorum desideratis conatus sit recedere. Et alibi ab equitatu Cæsareo, Polono, & Gedanensi subindè acriter exceptus repulsusq; est. Ex Neringiâ Insulâ Vinterus Tribunus Urbis, majore mole Caput ipsum, structis viis obsidionalibus, suggestibusq; quà opus videbatur, aggressus est, strenuam addentibus operam Joanne Bobarto, præsidii Mindani Præfecto, Nicolao de Lindâ,

dâ, Salomone Brandeſio, Petro Fuchſio Dragonariorum Ductore, Davide Bredtio, Georgio Strakvicio, Matthiâ Hirſchio, ſubveniente etiam deindè Georgio Schurio, & Henrico Vechelto. Nihil hinc quà conſilio, quà manu, quà ſumptibus omiſſum eſt, quod ad juſti numerisq; omnibus perfecti obſidii opus pertineret. Sed & hoſtis ſatagebat rerum ſuarum: regimen loci multis jam annis tenente Nicolao Danckvartio Lilienſtröm, generali excubiarum inter ſuos Præfecto, cujus etiam præcipuè curâ caſtellum hoc multis admirandi operis vallis, foſſis, propugnaculis, citra & ultra utrumq; Viſtulæ brachium, jam dudùm, militum agreſtiumq; operâ adhibitâ, fuerat munitum: cum & ab ipsâ naturâ in illo aquarum Iſtularium divortio, adverſus vim externam ſatis firmatum, adeoq; oppugnatu difficillimū eſſet. Idem huc ingentem vim frumenti & omnis generis alimentorum convectârat, longo nimirùm tempore omni Neringanæ & viciniorum Inſularum fructu ad arbitrium ſuum pleniſſimè uſus. Militis præſidiarii, machinarum item bellicarum, pulveris tormentarii, aliarumq; re-
 rum

rum necessariarũ affatim habebat. Non nisi magnâ igitùr vi ad deditionem adigi posse videbatur. Eò acrius institêre operi cœpto obsessores. Et ab ineunte Octobri penè ad mediũ usq; Decemb. omni conatu eò laboratum est, ut propiore indies accessu arctiùs includerentur obsessi, & tùm via, tùm spes omnis auxiliorum præcideretur. Adempta violentis assultibus munimenta non pauca. Ex suggestibus undiquaq; immissa in ipsum Castellum machinarum ignita tonitrua non terrorem modò, sed in illis loci angustiis multùm subindè damni inferebant clausis. Tandem, quantumvis omni ope, & tàm lapidum, quàm pilarum jactibus continuis obniterentur obsessi, adeò propè ipsis interioribus Castelli vallis successum est, ut Danckvartius deniq; non putaret locum diutius defendi posse, ubi inprimis multi egregii defensores ceciderant, ex quibus præcipui Kühnius & Brandtius Vice-Tribuni, Littonus, Buschius, Ahlefeldius, Böcklingius Centuriones, Bütlerus Optio, Bötcherus Vexillifer, gregariorum verò dimidiam jam penè partem absumpserat obsidio. Et intra Castelli intimi-

timi etiam penetralia nihil â jactibus obsidentium tutùm erat. Ita ut istic filius quoq; Danckvartii ictu machinæ 14 Novembr. brachium & deniq; vitam amiserit. Inter hæc mittebantur â Vintero literæ, quibus monebat Danckvartium, ut cederet tempori & fato. Nunciabatur eidē, simul non solùm Pomeraniæ omnis â Cæsareo Electoraliq; exercitu infestatæ ærumnosa conditio, sed & ingens clades, quam RexSveciæ in Fioniâ novissimè acceplisset, ubi non modò uberrimam Daniæ Insulam sed & multa millia optimorum militum amiserat. Ut indè conjicere ipse Danckvartius posset, nullam subsidii spem sibi restare. Nam Mariæburgo ita acriter instabat Lubomirscius, ut loci Præfectus ægrè sibi tuendo sufficiens, de sublevandis aliis nec cogitaret; Elbingam paritèr idem miles Polonus, & aliâ parte Electoralis, sub ductu Boguslai Radzivillii, premebat. Metus prætereà erat, ne novæ Polonicæ copiæ sese jungerent obsessoribus: Undè majus periculum, certè difficiliores deditionis leges expectandas haberent obsessi. His etsi aliquandiu fidem negare videretur Danckvartius, tandem

dem

dem tamen ad credendum, magnitudine instantium discriminum, mollitus, inducias primùm poposcit: & cùm hæ spernerentur, omniaq; ad vim propiorem parata essent, in deditionem consentire cœpit. Dati invicem obsides, ex parte Gedanensium strenui & præcipuæ autoritatis Viri Nicolaus de Lindâ & Joannes Bobartus: ex parte Svecorum pariter duo. Maturando tractatui ingressus est deniq; Albertus Rosenbergius Consul: cujus operâ in conditionis leges, quæ, numero quatuordecim, publicè extant, conventum est. Non multò ante transactionem Rex, qui interim Gedanum venerat, non modò prætoriam cohortem in auxilium, si quà opus esset, submisit, sed & ipse Neringiam, deducente Valentino de Lindâ Consule, ingressus est; & cum Schivenhorsti, qui pagus est nobilium Brandesiorum, pernoctâsset, sequenti die castra Gedanensium lustravit, ubi à Vintero Tribuno, militari honore, mox & à Præ-Consule Bömelio, & cæteris consilii bellici assessoribus, convivio exceptus est: quod optatissimo fine exhilaravit & clausit Rosenbergius, deditionis intereà conclusæ,

paulò

paulò ante pararius, nunc felix nuncius. Jactura tanti Castelli non parùm perculit hostes, momentumq; addidit ad pacem, cujus suasor jamdudum erat Christianissimi Regis Legatus Antonius de Lumbres, Vir ingenio & facundiâ excellens. Neq; alienum se ab illâ Rex Poloniæ præbuit, etsi omnia jam sibi, quàm Svecis secundiora videret. Nam non modò in Prussiâ res benè cedebant, occupato jam & Haupto & Brodniciâ, quæ & ipsa inter validissima Prussiæ propugnacula habebatur: Elbingâ autem & Mariæburgo arctè clausis: Sed & Curlandiâ penè universâ, armis Comorovii, Alex. Polubinscii, Michaelis Pacii, aliorumq; Ductorum, tam Polonorum, quàm Electoralium, inter quos Boguslaus Radzivillius Dux fuit, ejecta erant præsidia Svetica. In Ukrainâ pariter Vihovius Cosacorum Ductor, adjutantibus tùm Scythis, tùm copiis Polonis, quas Andreas & Jacobus Potocii, Stanislaus Jablonovius, nunc Palatinus Russiæ, Tiskevicius, & alii ducebant, insignes aliquot victorias reportaverat de Moscis. Nam & Conotopum, & in eo obsessum Ulanovium liberârant, cæsis istîc quinde-

quindecim millibus Moſcorum, & ex Ducibus ipſis Pozarſcio & Leone Piotrowitz interfectis. Trubecium verò alterum Moſchorum Ducem in ipſos usq; fines Moſcoviæ, dicti ante ductores Poloni repulerant. Quò ſecuti deindè & Coſaci & Scythæ penè, ad ipſam penè Metropolin penetravêre, longè lateq; omnia populantes; & immenſam deinde hominum multitudinem, aliaq; ſpolia domum egêre. Contra Sveciæ Regi ubiq; ferè adverſari tùm videbatur fortuna, & cum multis in provinciis ſimul bellum gereret, penè omnes eas in buſta ſuorum militum ſentiebat converſas. Nihil certè læti ex Daniâ, Pruſſiâ, Curlandiâ accipiebat. A Stetino equidem virtute Vürtzii aliorumq; ductorum ſuorum repulſos obſeſſores gaudere poterat, ſed interim ibidem Damum, Demminum, Grifenhagum, & alia oppida perdiderat, Pomeraniamq; penè univerſam, à Cæſareanis, Polonis, Electoralibus, miſerrimis modis haberi non neſciebat. Undè adeò non difficulter Svecis perſuaſum eſt â Gallicis Miniſtris, ut pacem ſibi ſalutiferam & neceſſariam crederent. Sed cum utrinq; jam non

obſcuræ

obſcura ad paciſcendum propenſio videretur, multæ identidem, ut in re maximâ objectæ difficultates congreſſum fecialium retardaverunt. Nam de loco & tempore diu dubitatum eſt. Alia item, quæ præliminaria vocant, multum negotii faceſſivêre. Ac quod non cum Polonis tantùm, ſed ſimùl cum Cæſare & Electore Brandeburgico ut fæderatis Poloniæ, tractandum eſſet Svecis, incidebat controverſia de Mediatore. Etſi enim Gallum, tam Polonia quam Svecia acceptaret, eum tamen recuſabant fæderati. De loco tandem convenit inter partes, & nimirum. Olivenſe Monaſterium, uno lapide â Gedano diſtans, utrinq; delectum eſt. Non procul indè maris littori adjacet pagus Czopotenſis, multis Gedanenſium prædiis hortisq; amænus. In eo data facultas commorandi Legatis Sveticis, Cæſareis, Polonicis, Electoralibus, partim in Urbe Gedanenſi, partim in vicinis pagis deſignata hoſpitia. Legatus Gallicus Antonius de Lumbres, ut inter partes medius, intra ipſum Monaſterium degebat, utrinq; commeans, & obſtacula, quæ ſubindè interponebantur, magnâ inge-

nii dexteritate & industriâ removens. A Cæsareis & Electoralibus hactenùs is recipiebatur, ut nihil quidem coram illis proponeret, sed quæ is proposuisset Polonis, ea Poloni cum Fæderatorum Legatis communicarent, vicissimq; responsa eidẽ referrent. Verùm quia res magni operis & momenti hîc effecta est, pretium videtur operæ, nomina Legatorum cum titulis honorum huc apponere.

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS LEGATI FUERUNT:

FRANCISCUS CAROLUS S.Rom.Imperii Comes de Collavrath Dominus in Reichenau, S. Cæs. Majestatis Consiliarius, Camerarius, Majoris Judicii Provincialis Assessor Regius, Locum tenens Regiarumq; Appellationum Præses in Arce Pragensi.

FRANCISCUS DE LISOLA, â Thise & Marienfeld S. Cæs. Majestatis Consiliarius Cameralis Aulicus.

SACRÆ REGIÆ MAJES. POLONIÆ ET SVECIÆ UT ET REGNI MAGNIQVE DUCATUS LITUVANIÆ &c.

JOAN-

JOANNES COMES à LESZNO, Palatinus Posnaniensis, Sæ. Reginalis Majestatis Mareschallus, Generalis Majoris Poloniæ, Mariæburgensis, Corsunensis Præfectus.

GEORGIUS COMES IN VISNITZ S. Rom. Imperii Princeps, Supremus Regni idemque Campi-Mareschallus, Generalis Minoris Poloniæ, Cracoviensis, Sczepusiensis, Chmielnicensis, Nisinensis, Pereaslaviensis, Olstinensis, Casimiriensis Gubernator.

NICOLAUS IN PRASMOW PRASMOWSKI, Supremus Regni Cancellarius, Nominatus Episcopus Luceoriensis, Abbatiæ Sieciechoviensis perpetuus administrator, Præpositus Cracoviensis.

CHRISTOPHORUS PAC, Supremus Magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarius, Vilkoviensis, Kozericensis, Clesczelensis, Ostrinensis &c.

JOANNES ANDREAS MORSZTYN, de Raciborsco, Referendarius Regni, Covaliensis, Zavichostensis.

VLADISLAUS DE NAGLOWCE REY, Thesaurarius Curiæ Regni, Sacræ

cræ Reginalis Majestatis Cancellarius, Neocorcinensis, Libussiensis.

JOANNES IN GNIN GNINSKI, Succamerarius Palatinatus Pomeraniæ, Gnesnensis, Gubernatores.

ELECTORALES BRANDEBURGICI FUERUNT:

JOANNES AB OVERBEECKE in Euchmedien, Baranow, Geierswalde, Domkow &c. Dominus & Hæres, Serenisſ. Electoris Brandeburgici Consiliarius Statûs intimus, Electoratûsq; Dapifer Hæreditarius, Hohensteinensis Præfectus.

LAURENTIUS CHRISTOPHORUS A SOMNITZ in Grumsdorf & Drenow &c. Dominus & Hæres, Serenisſ. Electoris Brandeburgici Consiliarius Statûs intimus, & Orientalis Pomeraniæ Cancellarius, ejusdemq; Ducatûs Camerarius Hæreditarius, Lavenburgensis & Bitoviensis Præfectus.

ALBERTUS AB OSTAW in Narpken &c. Dominus & Hæres Serenisſ. Electoris Brandeburg. in supremo Prussiæ Ducalis Appellationum Judicio Consiliarius.

EX

EX PARTE SVECICA FUERUNT

MAGNUS GABRIEL DE LA GARDE, Comes in Lecko & Arensburg, Regis & Regni Sveciæ Senator & Thesaurarius; Generalis Livoniæ Gubernator.

BENEDICTUS OXENSTIERNA, Comes in Korsholm & Wasa, Regis & Regni Sveciæ Senator & Cancellariæ Consiliarius.

CHRISTOPHORUS CAROLUS SCHLIPPENBACHIUS, Comes in Schövede, Regis & Regni Sveciæ Senator & Consilii bellici Præses.

ANDREAS GULDENLAW, Regis Consiliarius Statûs & per Pomeraniam Regiminis ac Justitiæ Præses.

Aderat quoq; à Rege Daniæ Pasbergius: Sed impetrare non potuit, ut res Danicæ in hoc tractatu agerentur. Galliæ Ministris eâ in re manifestè repugnantibus Daniæ, quàm alioquin pleriq; proceres Poloni nolebant deseri. Neq; etiam Ordinum Belgii fæderatorum Legatus admissus est, quia Sveci eum nolebant, & Hagæ Comitis non ita dudùm cum Gal-

lis

lis & Anglis de Danico bello componendo, Ordines illi, omisſis rebus Polonis, egerant.

Cæterùm ubi ineunte Anno 1660, ad tractandi initium deventum eſt, undiquaque difficultates maximæ objiciebantur. Circa quas ultra quatuor integros menſes laboratum eſt, ſed quicquid hîc actum, peculiari commentario complexus ſum, juſſu Regio præſens omnium ſpectator & ad Secretorum conſcientiam admiſſus. Hic verò ſufficiat lætū laborioſiſſimæ negociationis exitum adjeciſſe. Etſi enim acerrimè ſubindè æſtuârunt conſilia, nonnunquam etiam non procùl abeſſe totius negotii naufragium videbatur, à Mediatore tamen Gallico, viro magni ingenii, atq; inprimis etiam Regis noſtri Reginæq; præſentiâ res ſubindè reſtituta in integrum eſt. Ne mors quidem Regis Sveciæ, quem Gotenburgi Comitia agitantem dira febris inter adverſos undiq; rerum ſucceſsûs hoc tempore abripuerat, turbavit curſum pacis, imò haud paulùm promovit. Nam cùm ille deceſſiſſet, qui res lapſantes magno & intrepido illo animo ſuo reſtituere potuiſſe videretur, eò faciliùs

faciliùs Legati Svecici in multa nostrorum & fœderatorum postulata consensêre. Tandemq; III. Maji plenè pax confecta; quâ Poloniæ restitutum est, quicquid post inducias Stumdorfianas ablatum, retentumq; hucusque erat à Suecis, sed & semina ulteriorum bellorum extincta; Rege inter alia hæreditarium suum in Regnum Sveticũ jus, Republicâ autem Livoniam, quantum ejus dudum possidebatur à Svecis, remittente. Ista autem omnia ante bellum impetrare à Polonis Svecia potuit: si Legatos Anno 1655. Holmiam Regni illius metropolin, missos audire sustinuisset. Sed Martii Regis immodica spirans animus, æquitati aures præcludendo, provocavit fatum, quo permittente ea, quæ per pacificum tractatum, tenui negotio ante obtineri potuêre, ingente sangvinis diluvio, & æquè grandi Ducum, atq; exercituum jacturâ, quàm provinciarum ac gentium pernicie empta sunt.

CALENDÆ REGIÆ
Seu
De auſpicatiſſimo
Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini
DNI. JOANNIS CASIMIRI,
Poloniæ & Sveciæ Regis, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ &c. &c.
In Obſesſum à ſe & Feliciter Recuperatum
THORUNIUM
Ingreſſu
Ipſis Calendis Januarii Anno M DC LIX.
Celebrato.
Intermixta alia complura ad præſentem Bellorum Polonicorum ſtatum pertinentia.

Qui ad scribendum autoritate legitimâ, vel aliis non adspernandis impulsi causis accedunt: ii, quanto magis cætera sibi præsidia deesse intelligunt, tanto curiosius luculentum ac plausibile circumspicere argumentum solent, ut quàm in se non inveniunt gratiam, à rebus dicendis mutuentur. Etenim oratio, quæ solis verborum freta coloribus, rerum pondere, & utilitate amœnâ non juvatur, facilè meritoque obnoxia est fastidio; nec quicquam citiùs vilescere cernimus, quàm facundiam sui securam, sui prodigam. Sed ea porrò, nisi in dilectu, explicatuq; rerum magna adhibeatur circumspectio, non modò gratiam non init, verum sœpè etiam incurrit offensam: præsertim ubi de publicis dicendum est negotiis, arduis ut plurimùm perspectu, tractatu lubricis, ipso etiam sœpe attactu nimisquàm delicatis. Adeòq; prout ipsa variam judiciorum aleam subeunt, ita qui de iis publicè disserere sustinent, quantumvis cautissimè agere videantur, vix tamen unquam æquas omnium frontes experiri, multò minus æquare spes ac vo-

ta

ta possunt. Nimirum prout cujusq; in id, quod dicitur, affectus est animus, ita Spartam suam ornasse orator scriptorve, ita parem imparemve argumento vim ingenii, judicii, eloquentiæ, ita & decentem veritatis curam judicatur attulisse. Istarum rerum cogitatio alium fortassis, antequam silentii securitatem dicendi consilio postponeret, in ancipiti deliberandi cura, & quodam dubitationum quasi æquilibrio aliquandiu teneret suspensum. Cæterùm ego, etsi ad scribendum minimè omnium præceps, & judicii alieni haud quaquàm profectò irreverens, jam tamen silere citra dedignationem obsequii, aut sequioris de rebus judicii suspicionem, haud possum. Quippe aut non digna laude credenda sunt, quæ his temporibus apud nos acta, publico famæ circumferuntur ore, aut rebus laudem merentibus illaudabilis desidia nostra decus suum patietur deesse. Eam notam quia vitare magis, quàm deprecari consilium est, age de novissimis rerum nostrarum successibus, quantum vires ingenii ferunt, & quantum licet per adversa, quæ subinde adhuc interstrepunt, dicamus

camus: præſertim quando ita volunt Patroni, quando dicendorum ſeges dignitasq; excitat, & ipſa deniq; anni tempeſtas impellit. Revertente enim ad nos magno illo luminis promocondo Sole, Soli æterno, ejusq; in terris noſtris Vicario ſideri, hoſtiam gratiarum, hoſtiam laudum, qualis decet Chriſtianos, mactare par eſt. Paſſim jam homines ſibi aliisque de ſuperatis anni prioris moleſtiis gratulatos vidimus, & in futurum nova proſperitatis voventes incrementa. Quod ſi autem comprecationes ejusmodi, bono & laudabili more, inter privatos percrebuêre, multo utiq; juſtius palatia Regum Principumq; iisdem circumſonant. In Principum enim ſalute ſita eſt populorũ ſalus, nec meliore compendio vota pro Republ. universâ fundi poſſunt, quàm ſi pro bono Reipubl. rectore fundantur. Quominus mirum eſt, ſi quæ nobis, ſub hunc novi Anni reditum, pro Sereniſſimo Rege & Domino noſtro, ſuſpiria ominaque animum implevêre, ea, cum præſens, ut conſtitueram, non poſſim, abſens qualicunq; ſcriptionis conatu in publicum

publicum evolvam. Quando inprimis ſingulari, & inſolito quodam fatorum diſpoſitu, ita pulchrè cecidit res, ut eo ipſo tempore Rex Sereniſſimus THORUNIUM tot menſibus obſeſſum victor ſit ingreſſus, quo Sol primum annui ſui curriculi ſpatium ingreditur. Non potuit meliore exordio Princeps optimus annum auſpicari, quàm iſta tàm illuſtri victoria; neq; auguſtius lemma inſcribere faſtorum ſuorum fronti, quàm titulum occupatæ tam magnificæ Civitatis. Quid autem dico, occupatæ? Servatæ dicere debebam. At neque hoc ad reï exprimendæ magnitudinem ſufficit: in integrum reſtitutæ dicere oportet. Occupavit Carthaginem Scipio Æmilianus, ſed ut eam funditus deleret. Occupavit Corinthum Mummius, ſed ut miſerrimè direptam, præcinente publicè tuba, dirueret, populumque omnem venderet ſub coronâ.

Alii alias urbes exitio deſtinatas, proximasve, eripuêre periculo, immortalem inde nominis gloriam aſſecuti. Atque olim ob unum etiam Civem ſervatum dari ſolebat corona Civica, coronarum

omnium, ut Plinius major judicat, non pretio, ſed honore clariſſima. Quanto illuſtrius decus eſt, Civitatem totam, Civitatem magnam & celebrem, Civitatem in extremo diſcrimine poſitam ſervaſſe? quanto major gloria, tot numero Cives, eosque aſperrima quæque expectantes, in gratiam ſuſcepiſſe? de ſalute denique anxiis, libertatem, jura & decora omnia reſtituiſſe? Inſtupeſcit Orbis tantæ manſvetudinis prodigio; ipſaq; Civitas paulò ante ad armorum Regiorum fragorem attonita, nunc ad tam inſolens beneficentiæ Regiæ ſpecimen hæret admirabunda. Apud eos, qui acceptam eminus tantæ rei famam uſitatâ judiciorum trutina ponderant, laborat propè narrantium fides, & incredibilis his videtur lenitas, cujus rationem non capiunt. Alii longius quoque progrediuntur, & rem, quæ conſvetudinem captumq; publicum exceſſit, modum etiam exceſſiſſe judicant. Indigni clementiâ homines, qui tam Divinam virtutem cavillari malunt, quàm vel candidis judiciis expendere, vel reverente ſaltem ſilentio venerari. Sed illos, quorũ animos aut res iſta minùs tangit,
pene-

penetratve, aut aliena ſemper Virtus feli-citasq; urit, ſuæ relinquamus ignorantiæ nebulis, vel intemperiis malignitatis. Tibi ô THORUNIUM, memorabile pro-fectò, & æternâ recordatione dignum hoc anni auſpicium eſt. Nunquam feli-ciùs Tibi in iſto Zodiaci ſpacio Sol luxit, nunquam lætius rediit, quam nunc cum Clementiſſimo Rege JOANNE CASI-MIRO. Nec quicquam profectò abſoni dicere videbimur, ſi ſimplicem aliis, Tibi geminum Solem, maximo Tuo emolu-mento, rediiſſe dicemus. Ac ſidereus ſa-nè Sol, qui omnibus lucet, Tibi etiam lu-cere nunquam deſiit, etſi tot calamitati-bus obrutæ non tam gratum fortasſis lu-men ejus fuit. Sed alterum Solem triſtis & miſeranda Eclipſis eripuerat Tibi, fortè ut ipſo hoc interceptu tanto liquidiùs pateret, quàm funeſta ſit abſentia ejus, & ut reditum ejusdem tantò impenſiùs deſi-derares. Verum de Te, ô THORUNI-UM, erit paulò poſt illuſtrior dicendi lo-cus: cum Sacræ Regiæ Majeſtatis labo-res, quos in Te recuperandâ inſumpſit, curatiùs memorabimus. Atq; eos qui-dem hiſtorico intexi peplo convenit: &

intexentur ſuo tempore. Nam quæ æternitati ſcribuntur, tardiùs procedunt, ipſa intimæ veritatis inquiſitione, quâ Hiſtoria omnis velut animâ reſpirat, aliquam temporis poſtulante moram. Mihi intereà primum animi fervorem, quo in hoc tam optato anni exordio incaluimus, liberiore ſermone, ſine cujusquam tamen injuriâ, fas erit effundere. Neque derogabit Oratorium hoc præludium operi hiſtorico, cum ut aliis, ita nobis quoq; non obſcurum ſit, alio hîc, alio illic opus eſſe & genere dicendi, & rerum tum delectu, tum ordine. Porro autem è re eſſe arbitror, ad grande hoc recuperatæ Urbis, clementiæq; Regiæ decus deprædicandum non ante accedere, quàm alia DEI libaverimus beneficia, quæ Sereniſſimo Regi, & inclyto Poloniæ Regno, anno proximè elapſo, & paullo ante contigerunt. Poſtrema enim hæc, quæ nunc attonitum tenent Orbem, dependent ex ſuperioribus, quæ niſi præcesſisſent, cœtera non modo non intelligi, ſed prorsùs nec ſequi potuiſſent. Commemoratis autem rebus anterioribus, apparebit tantò liquidius, quibus gradibus defer-

defervescere Numinis erga nos ira, hostiumque retro ferri potentia, Poloniæ verò felicitas, quod præfiscini dixerim, sensim reflorescere cœperit. Eo ardentioribus usque votis invocabitur supremum Numen, ut non tantum porrò nos vincere, sed victoriis etiam uti prius, quàm frui doceat: & inprimis, ut animos ad eradicanda vitia, verissimas scilicet malorum, quibus flagellati sumus, radices, magis magisq; excitet, atque inflammet: Quò tandem his suppressis, studia Virtutum, quibus felicitas Regnorum debetur, splendidiùs efflorescere possint. Cæterum in memoriam retrò actorum regredientibus haud altiûs jam narrationem nostram ordiri lubet, quàm ab illo temporum articulo, quo Dacica in regno nostro tempestas desæviit. Nunquam enim luculentius ultricem DEI manum hostes nostri sensêre. Nemo non intelligit, de Palatino Transsylvaniæ Racocio me loqui. Quem meministis, nexibus illis, quibus jam olim terra ejus Regno nostro arctissime devincta fuit, posthabitis, autoramentis præterea, quibus amicitiam opemq; ipsius studiosè inprimis quæsivit,

meruitq; Polonia, neglectis, non Dacos tantum suos, sed Valachos, Muldavos, Hunnos, & quod maximi momenti erat, turbidissimos quosq; Cosacorum in Rempubl. hanc commovisse. Tot gentium robora trahenti facile fuit, in corpore semivivo & non sangvinem tantùm, sed jam pene animam vomente, agere aliquantisper pro libitu suo. Itaq; magnam Poloniæ partem licentissimè pervastavit, ipsumq; Regni Caput Cracoviam insedit. Sed ut iniquissima ejus causa, ita vitrea fortuna fuit. Fracta est, cum splendere vix cæpisset. Postquàm enim Rex Sveciæ abiisset, hunc imparem ejus socium exercitus Austriacus magnitudinis suæ umbrâ illicò terruit, noster vero, sub Ducum Regni & Palatini Russiæ felicissimo regimine infestare, fundere, ac persequi non destitit, illatas etiam Regno injurias in ipsa Transsylvaniâ, Duce Magno Regni Mareschallo, comitante Castellani de Cracoviensi Joanne Sobiescio ac aliis præclaræ & stirpis & fortitudinis viris, ultus est non persunctoriè. Tandē miser à plerisq; llis populis, quos in perniciem Poloniæ attraxerat, desertus, postquam Aquilas

Polo-

Polonicas nullâ fugæ celeritate effugere potuit, circumsessus, atq; ad incitas redactus, miserabili pactione vitam, & abeundi libertatem redemit. Atq; ita rediit quidem ipse in Patriam, sed pene inermis, & Polono magis, quam suo milite stipatus. Hic enim in Scythicas incidit manus, & quam Poloniæ intentaverat, ipse in Tauricâ Chersoneso subiit servitutem. Quas deinde adhuc calamitates eidem Racocio, jam reduci, indignatio aulæ Ottomannicæ conciverit, & ut principatu suo exutus, alienis jam viribus collapsam restaurare quærat fortunam, qui suis antehàc amicissimo Regno, præter causam, impensè gravis fuit, nolo nunc referre. Qui & hæc, quæ dixi, nullâ alieno infortunio insultandi libidine à me dicta esse, ultrò & fidem testans, profiteor. Miseret enim me potiùs Principis, quem prava consilia opulentissimâ pace, quâ ad invidiam usq; frui visus est, exuêre. Ottomannici Imperii mentio, quam modò feci, revocat mihi in memoriam terrorem, quo ista Orientis potentia, vere superiori, cum nondum constaret, quem magnis illis belli apparatibus peteret, sol-

licitum habuit Regnum nostrum. Circumstrepebant fines nostros ingentes viciniorum Bassarum exercitus, & constans volitabat fama, arma ista stringi in nos, qui ob exhaustas vires alienis conatibus maximè videremur opportuni. Neque dubium sanè erat, in Aulâ Ottomannicâ ab hostibus nostris nullum non motum esse lapidem, qui ad nos opprimendos crederetur facere posse. Sed aliter rem direxit, qui corda Principum frænat flectitque pro libitu suo. Ejus potente nutu evenit, ut quæ nobis minata videbatur tempestas, in proximas gentes, & eas inprimis, quæ paulo ante in hoc se Regnum vi immani infuderant, decumberet, pœnas veluti exigens eorum facinorum, quibus, dum nos flagellarent, gravius ipsæ flagellum meruerant.

Turcis juncta, atq; obnoxia Tartarorum gens est, illorumque adeò arbitrio hæc pacem, & bella capessit. Jam vetera eorum, & non annis, sed seculis multis continua adversum nos bella quis ignorat? At iidem tamen postremis his temporibus, impensè in Regem, & Regnum nostrum benevoli, magnum profectò ad-

miniculum rebus nostris labentibus dedêre: mirè DEO rem adgubernante, ut adversum Christianos, cognatos, & nullâ injuriâ læsosPrincipes gens barbara, gens olim perpetuò inimica, Regem nostrum sublevaret. Neque enim tantum copiis identidem submissis terruit Poloniæ hostes, sed & apud aulam Ottomannicam cum curâ egit causam nostram, quodq; maxime omnium memorari meretur, Cosacos summo virium connisu eò adduxit, ut primùm manus abstinerent à Poloniâ, & deniq; novo obsequii nexu eidem illigarentur.

Nunc ordo temporis ad commemorandum aliud DEI beneficium me vocat, & id tanti quidem momenti, ut non minimam illi salutis suæ partem debere videatur Polonia. Loquor autem de Serenissimi Electoris Brandeburgici reconciliatione. Is Princeps uti virtutibus animi, & potentiâ inter paucos hodie nominandus est, ità cuicunq; se parti adjungit, huic ingens profecto, confessione omnium, pondus adjicit. Eo tempore, quo Poloniæ nihil non, atque etiam ipsa sibi adversabatur, transmarino autem

hosti

hosti fortuna velut sacramento dixisse videbatur, idem Serenisſ. Elector magno illo publicæ infelicitatis torrente eò quoque tandem impulsus fuerat, ut quas primum infringere quæsiverat, partes hostiles, fœderis deniq; nexu, & virium suarum accessu augeret. Ea societas quamdiu viguit, gravissimis sanè damnis ut Electori, ità Poloniæ constitit. Mutuis enim iisq; longè atrocissimis incursionibus provinciæ affines vexabantur. Ictibus iisdem pulsabatur utriusq; Principis animus, miserans, ut probos populorum Pastores decet, subditorum suorum fortunam. Ac multis insuper aliis tum domesticis, tum externis stimulis ad redintegrandam cum Polonia necessitudinem accendebatur Elector, ipseq; etiam Serenissimus Rex, missis aliis, atq; aliis internunciis, sinum illi pristini affectus magno studio pandebat. Ac dudum is annuisset, (conscius loquor) nisi novus ex Transylvaniâ intervenisset obex. Eo lapide feliciter tandem amoto, faciliùs Elector Serenissimus Regiis & Cæsarianis hortatibus, quibus ad pacem cum Polonia stimulabatur, cessit. Cessit, & ejuratâ

ratâ hostium nostrorum societate, ad pristinam amicitiam novis legibus, interposito utrinq; in congressu Bidgostiensi, sacramento rediit. Hoc conciliatu, etsi is magno Poloniæ constitit, plurimum eo tempore rebus, & Regni, & Electoris commodatum est. Nam primum mutuæ terrarum populationes illicò conquievêre, Copiæ verò, quæ adversus Electorem excubuerant, ductæ sunt adversus hostem communem. Moscus reverentius mox Lithvaniam, Poloniamq; tractandam sibi putavit, postquam ad Regem accessisse cognoverat eum Principem, cujus amicitiam solicitè semper, multisq; legationibus coluerat. Cosacis quoq; major Regni veneratio incessit, cum id brachio Electorali viderent subnixum. Quantum porro, & quàm benè ordinatum exercitum idem Princeps trahebat secùm? illum exercitum, cui magnam partem victoriæ Varsaviensis Sueciæ Rex debebat. Illos Duces, qui phalangem pedestrem phalangi, tormenta tormentis, ignem igni aptissimè nôrant opponere. Perspexerat id toties hostis, eò jam magis animo attonitus hæsit, cum quos, in nupero re-

rum nostrarum orgasmo, pro se, contra Polonos stare viderat, eos postea pro Polonis contra se stare sentiret. Jam illud quanti momenti, quòd redintegrata hæc amicitia portus Electorales obstruxit hostibus, iisdemq; omne maritimum in his oris commercium, omnemq; adeò auxilii spem, & ipsa quodammodo spiracula interclusit? Ad hæc cum latissimè pateant ditiones Electorales, ex omnibus penè istis ad primum hostis classicum, & multo magis deinceps ad magnum subitò exsplendescentis fortunæ fulgur plurimi accurrerant. Post compositionem avocati sunt isti, & divites illæ scaturigines, ex quibus militum copiæ affluxerant hosti, obturatæ, aut alio aversæ. Postremò quot quantosq; Principes, catena ista amicitiæ Electoralis traxit? Quam multi in Germaniâ utraque amiciùs æstimare cœperunt partes nostras, postquàm pro illis pugnantem viderunt Principem, sangvinis, sacrorum, alioque fœderum vinculo ipsis arctè innexum? Ut extemplò mutavêre nonnulli castra, nec committendum sibi putarunt, ut contra eos arma stringerent, cum quibus sua conjunxisset

Elector?

Elector? Tanti ponderis, tantiq; emolumenti conciliatio, longo labori, & singulari dexteritati VENCESLAI COMITIS DE LESNO, Episcopi tum Varmiensis, nunc Regni Poloniæ PRIMATIS DESIGNATI potissimùm debetur, cui eodem in opere, cura perpetua Fratris PALATINI POSNANIENSIS, sapientissimi, & de patriâ præclarissimè merentis Senatoris, etsi eminus, efficacissimè tamen, semper respondit. Autoritate porrò publicâ, illustrissimo Antistiti, magnus Thesaurarius, idemq; Campiductor Lithvaniæ VINCENTIUS GOSIEVIUS spectatissimi animi consiliiq; Senator, hoc in negotio, datus erat Collega. Enimverò prægrande ad eandem rem momentum attulit Augustissima DOMUS AUSTRIACA. Hæc jam antè laboranti Poloniæ Regno validum submiserat Exercitum, ipso impulsa vicini periculi intuitu, multoq; magnorum Virorum indefesso labore jam dudum excitata, postremò autem, ubi tempore res maturuerat, felicissimâ summi Viri BOGUSLAI COMITIS DE LESNO, tum magni Thesaurarii, nunc Vice-Cancellarii operâ,

ad

ad belli ſocietatē adducta. Ac fateri profectò oportet, rem maximi momenti tùm confectam, quia ipſa, quam novus ac tantæ molis Clypeus jaciebat, Umbra, etſi poſtea nonnullis apud nos minus grata, Tranſylvano tamen aliisque hoſtibus noſtris, multum formidabilis, & ut præſidio ſuo, ſic ipſo magnitudinis Auſtriacæ horrore impensè fuit damnoſa. Sed altero non minus illuſtri beneficio idem Imperator Rempubl. hanc devinxit, cum, ut dicere cœpi, miſſo experrectisſimi ingenii, & edecumatæ prudentiæ Legato, BARONE DE LISOLA, Sereniſſimum Electorem, & Regi noſtro, & ſibi, & toti huic cauſæ conciliavit. Utriusque negotii gravitatem vel ipſa effectûs lentitudo abundè oſtendit, & quæ intervenêre obſtacula, tam fuerunt grandia, atq; immania, ut non modo optatum diu ſufflaminarint eventum, ſed & ſpem ejus interdum prorſus interceperint. Mors præcipuè Imperatoris nonne ſcopulus ejusmodi erat, cui illiſa negotiatio ſpes omninò noſtras fruſtratura videbatur? Nonne enim ipſe ille rerum tranſitus, per ſe ſemper miris, atque inſperatis conatibus opportunus, novos hoſtibus animos,

cœteris novos afferebat metus? Nonne & ipsum Serenissimum Electorem, aliosq; idem negotium volventes, cum adversæ partis machinamenta inspicerent, justa suspendebat sollicitudo, ac timor, ne à domo Regnatrice aberraret electio? Quod si contigisset, nec ipsa Domus illa, nec Elector tutum sibi putasset, novo se & res suas implicare bello. Sed qui in alto res mortalium dispensat, ita consilia Germaniæ direxit, ut Septemvirale Collegium sumere Principem mallet, quàm quærere. Hoc prætereà effecit, ut de publico Germanici Imperii consilio ad hostem mitterentur Legati, honestis conditionibus suasuri, ut ex finibus imperii arma efferret. Nihil impetrarunt illi, & Holsatiâ, Jutiâque, provinciis Germaniæ, adeo hostis non excessit ultrò, ut annisus sit potiùs æternùm facere suas. Uno impetu potiores Holsatiæ urbes opprimere instituit, eodemque tempore Serenissimum Daniæ Regem, factæ novissimè paci fidentem, & jam penè inermem, calidissimo consilio, denuò invasit, ac omni propè Regno exuit. Intra unius Hafniæ fortitudinem stetit totius Regiæ Domûs, sceptrique Dani-

ci salus, quasi ostendere volentibus fatis, nullam esse tantam potentiam, nullam audaciam, quam virtus, ubi veris stimulis, & honestâ desperatione incaluerit, cælo auspice, sistere non possit. Stitit acerrimum Regem una Urbs, non tam vallorum circuitu tùm, quàm fortium, & Regi suo fidorum pectorum oppositu munita, sed inprimis protectore DEO, & Domini sui præsentiâ animosa. Stitit, inquam, Principem, quem non cætera Dania, usitatis nudata præsidiis, non hyems hosti nimirùm propitia, non flumina, non maria ipsa cohibuerant; exercitumq; nihil non domare posse creditum, invictâ constantiâ à mœnibus suis prohibuit, ingens hactenus scopulus fortunæ hostilis, & illustrem inposterùm Deo volente habitura locum, inter Civitates, præclarâ erga Dominos suos fide celebres, quales sunt, ut alias nunc taceam, Aurelia, Metæ, Vienna, Praga, Lovanium, Brunna, Freiberga, Dantiscum, Zamoscium. Neque passus est Deus periclitanti unà cum Rege suo Urbi deesse auxiliatores. Nam cum terrâ sei succurri à Principibus amicis, quantumvis nihil intentatum relinquentibus, non

non posset, mari classis Batava subvenit, & per infestas freti Danici angustias, per obstantes undique hostium acerrimè pugnantium ignes manusque, cruentâ quidem, nec parvo emptâ, magnificâ tamen victoriâ opem intulit; non sine eximiâ & æternâ laude Thalassiarchi Baronis Wassenarii, qui ejusdem classis Pro-Præfectis Wittio, & Florissio illic occisis superstes, non minus fortiter, quàm qui perierunt, sed magis feliciter dimicavit. Cæterùm dum hæc aguntur, tota interim commota Europa bello Dano-Polonico magis magisque intendit animos, & nullus pene Princeps, nulla provincia est, quæ hoc incendium ad se non putet pertinere. Quâ in re quomodo non reverentibus animis admiremur singularem DEI super Republ. nostrâ curam? quâ effectum videmus, ut causam nostram olim desertam, major tandem pars Orbis, facto armorum consiliorumq; concursu, agendam susceperit. Non est equidem pietatis nostræ, latiùs se indies spargentibus belli flammis lætari; potius verò calamitatibus, quas Dania fœderata, & tot aliæ terræ gravissimas patiuntur, ita, ut par est,

eſt, ingemiſcimus, atque ut honeſtiſſimâ tandem pace tam fœda certamina componantur; & improbus bellandi amor exterminetur, animitùs optamus. Attamē fateri neceſſe eſt, nobis multitudine hoſtiū variorum obrutis, longè graviorem futurum fuiſſe hunc Regem, niſi alibi reperiſſet, cui infringeret potentiæ ſuæ genuinū. Ubi vero tot populi in idem bellum conſpirârunt, noſtri interim Exercitus viam ſibi ſtravêre ad hoſtem ibi quærendum, ubi multis abhinc ſeculis pedem Poloni non poſuerant. Quas ô ſuperi! vices habent res mortalium! Nondum triennium effluxit, cum intimis regni noſtri viſceribus incubaret hoſtis; illudq; velut belli ſpolium inter Duces ſuos diſtribuere cogitaret. Brevi poſt excuſſum eſt cervicibus jugum, & ſurrexerunt Camilli, qui excitatâ veteri Sarmatarum virtute, vocatoque in libertatis vindicias fortiſſimo quoque, paſſim præter opinionem fatigavêre invaſores, & extremo virium conatu id effecêre, ut externæ potentiæ virtus à mediis Poloniæ præcordiis, in extremos ejusdem margines ejiceretur. Pauci tamen, in illo redeuntis fortunæ

quaſi

quaſi crepuſculo, tàm amplæ ſpei erant, ut brevi fulſurum crederent diem, quo Polonia hoſtem in cubilibus ejus, Livoniâ, Pomeraniâ, poſteà vero in ipſis Cimbrorum intimis receſſibus veſtigaret. Id tamen ecce fieri jam imò factum conſpicit, miraturq; Orbis. Senſit non ita dudum vim Sarmaticam Pomerania omnis, quæque anteà hoſtis apud nos peccaverat, illa maximâ clade ſuâ expiavit, fortasſis in poſterum etiam expiare perget. Non ſine ſtupore Germania, & Europa penè universa audit, Aquilas noſtras circumvolitare Cimbrici maris littora, ibique, præeunte fortisſimè Stephano Czarnecio, Palatino Ruſſiæ, & altero Podlachiæ Petro Opalinio cæterisq; Ductoribus, viris ſtrenuisſimis, ſummâ paſſim celeritate famam ſui anteire, admirabili audaciâ magna, & aliis invia flumina, ſine pontium beneficio, trajicere, incredibili alacritate difficillimas quasque belli operas ſibi ultrò depoſcere, maxima adire pericula, capere urbes munitas, inſulas nando invadere, atque occupare, hoſtes paſſim fugare, ſternere, perſequi, præclaris deniq; auſis gentis ſuæ gloriam latiſſimè per orbem diffundere,

Sed jam tandem ſermo ab extremis Balthici maris anfractibus ad Boryſthenem & ultimos Ruſſiæ fines trajiciendus eſt. Non neſcit orbis, primam inde tempeſtatem ſurrexiſſe Poloniæ, quâ ita concuſſa illa eſt, ut feſſa denique & propè nuda, miſerabili modo patuerit aliorum vicinorum libidini. Atque horum occulta quædam, & fortaſſe fatalis in nos conſpiratio fuit. Certè, quò diutius hæc Respublica vapularet, ſingulis, DEO permittente, velut per manus, tradita eſt flagellanda. Sed, ut innui modò prima virga, quâ caſtigati ſumus, agreſtis fuit, tantoq; adeò acerbior, quia famulâ manu infligebatur ingenuis, & in corpus tum adhuc integrum, delicatum & talium plagarum inſolens, inciderat. Facilis cuiq; conjectura eſt, de Coſacis me loqui, genere hominum duro, laborum tolerante, libertatis, & magis licentiæ avido, Reipubl. cum ad bona ſe vertit, præſidio egregio, cum ſecus, peſtilentiſſimo veneno. Nam ut adverſum Turcas, Tartaros, Moſchos, utilem ſubinde Regno præſtitit operam, ita facilè ſemper, quoties aut robore ſuo placuit ſibi, aut ſervitute diſplicuit, rebel-

lavit,

lavit, ſimulatque inprimis caput reperit pronum, idoneumq; ad res novas. Noviſſime Chmelnicium repererat, hominem à teneris innutritum militiæ, nec literarum rudem, aulæ vero noſtræ, & imbecillitatum publicarum, plus quàm expediebat nobis, gnarum. Is cum lite privatâ partem agri amiſiſſet, damni & contumeliæ impatiens, provocavit ad arma, & collectâ primùm intra ſcopulos Boryſthenis exiguâ ſui ſimilium manu, mox Scythas vicinos allexit, eorumq; miniſterio excubitores Regni exercitus, cum quicquid ibi Coſacici ſanguinis ſub ſignis Polonis militaret, corrupiſſet, repentè circumvenit, floremq; adeo militiæ Polonæ aut cecîdit, aut unà cum Ducibus in Tauricam miſit. Dein iis, cum durante Interregno pro libitu ſcrutatus eſſet matris Reipubl. viſcera, tandem exſplendeſcente novi Regis Majeſtate flecti ſe paſſus eſt, ut fortunæ ſuæ moderaretur. Sed quoties poſtea ſenſit, lacertos denuo Poloniam movere, vim illicò aut repulit, aut prævenit. Fuſus aliquando, ſed multitudine aſtuque ſæpius prævaluit. Pactis identidem Reipublicæ conciliatus, ſed

nunquam fidens, & in ipsâ ſemper quiete inquies, animos ſuorum perpetuò adverſum Poloniam tenuit armatos, atque externa inſuper fædera, quibus potentiam ſuam muniret, circumſpexit. Hæc porrò ipſa, prout rebus ſuis expedire videbatur, mutabat. Nam cum Tartari, quorum viribus ante surrexerat, in gratiam cum Rege & Regno noſtro rediiſſent, ille uni eidemque cum noſtris parieti inniti nolens, ad Moſci patrocinium confugit, ejusque poteſtati Kioviam, aliaq; præcipua illius Ruſſiæ oppida tradidit, in precium ſcilicet tutelæ, & fidei autoramentum. Atque iſtâ tanti exercitus, & tot munimentorum acceſſione animatus Moſchus, eò profundiùs ungues barbaros in Litvaniæ præcordia immiſit. Poſteà equidem ſubitò emicans potentiæ Svecicæ fulgor ſumpta in nos arma Moſcorum ſtitit aliquandiu; nihilominus pars Coſacorum, connivente Chmelnicio, ſtimulantibusque occultè aliis, Racocii Tranſylvaniæ Palatini adversùm nos robur auxit, eoque Duce, Poloniam fœdisſimè devaſtavit. Ita homo ille, utcunque ſimularet amicitiam, per abdita, & magis fida

ad

ad hoſtes inclinans, occaſionem nullam nervos Polonorum incidendi prætermittebat. Ac à Moſchici quidem Dominatus nexu haud temerè unquam is receſſurus videbatur, quia abjectâ ſolidæ cum Republ. conciliationis fiduciâ, ſacramento ſe obſtrinxerat Deſpotæ illi, neq; aliud firmius contra Tartaros æquè ac Polonos præſidium reperire ſe poſſe putabat. Unde vix ſpei quicquam ſupererat, vivo illo, Coſacos ad obſequium Poloniæ redituros. DEO autem, ut ex eventu didicimus, placuit reſtituere eos Reipublicæ, à quâ malo fato erant avulſi. Itaq; obices omnes amovere oportuit, & in illis ipſum quoq; Bogdanum Chmelnicium, quo ſublato in diverſa quidem ivêre Coſaci, potior tamen pars, Ductore VIHOVIO, homine ſagaci & intimorum defuncti Chmelnicii Ducis conſiliorum ſocio, Tartaris præcipuè inſtigantibus, in Poloniam reflectere cæpit animos. Nec præbenti ſe fortunæ defuit utraq; Majeſtas Regia: ſed per viros graviſſimos prudentisſimosque, quorum princeps STANISLAUS CASIMIRUS BINEVIUS, Caſtellanus Wolhiniæ fuit, ſurgentem in

illis bonæ erga Rempubl. propensionis affectum, ſolicitè aluit, fovitque. Interim verò, re magis magisque indies matureſcente, optimi, & ſinceriſſimi quique Coſaci Moſchicæ ſervitutis jugum quatere, atque excutere incipiunt: confeſtim etiã alios ſibi adverſos, Duce VIHOVIO, armis aggrediuntur, & ope Scythicâ ſubnixi, profligant, ipſum vero Ductorem, Puskarencum nomine, palo ſuffigunt, oſtentui cœteris, qui Moſchici regiminis pertinaces, libertatem oppugnare quàm defendere mallent. His certaminibus illi, quò magis apud Moſchum ſpem ſibi veniæ præcidiſſe viderentur, eò alacriùs aures præbuerunt Regiæ clementiæ promiſſis. Tandemque annitentibus utrinque delegatis, in certa capita, quibus illos in unum ſecũ corpus coaleſcere Reſpubl. voluit, conventum eſt: miſſiq; ad Sereniſſimum Regem, apud Thorunium, in Caſtris, tùm agentem, internuncii, qui VIHOVII, & cœteri exercitus Zaporoviani nomine, ſacramentum Majeſtati Regiæ, & Reipubl. dixêre. Magno equidem conatu, magno etiam rerum, quas Reſpubl. pro cariſſimis habuit, impendio,
nec

nec libertatis tantùm, sed summorum decorum suorum communicatione constitit ista conciliatio. Sed fructuum, quos eadem illa nobis promittit, ubertas solatur & pensat omnem precii magnitudinem. Ego nunc emolumenta ejus pacificationis omnia recensere hîc nolo. Hoc tantùm addo, quod in confesso apud omnes temporũ callidos est, magnum eo nomine beneficium DEO Poloniam debere: eumque porrò orandum, ut tanto muneri addat perennitatem, atque initæ conjunctionis nodum fortiùs indies adducat.

Tandem verò jam ad Te, THORUNIUM, redeo, quia, ut sermonis initium fuisti, sic ejusdem Te finem esse volo: ita tamen dictionem temperare meditans, ut minime fortunæ Tuæ insultare, sed potiùs de tam miti malorum Tuorum termino videar Tibi gratulari. Non enim lubet, nec decet acerbitate verborum gravem esse illis, quibus victor Rex tam voluit esse propitius. Quamquam tristioribus nonnullorum geniis, & nodum in scirpo quærentibus, nulla fortassis orationis mollities satisfaciet. Tales enim vel levissimi

attactûs umbrâ ac suspicione vulnerantur, & sub quovis etiam balsamo causticum metuunt.

EquidemTibi, ô pulcherrima Urbium, antiquitas Tua, tum continua in Poloniam fides, jam olim inter primas Borussiæ civitates Principem locum dedit. Tibi Legum, juriumq; suorum Archivum credit Borussia. Tu Pactolum Sarmaticum Istulam, cum Borussiam ingreditur, prima omnium excipis; Tu ubertate illius, totque adeò feracis Poloniæ muneribus prima lætaris. Te & vicinia ipsa & linguæ communio, & commerciorum propior usus præ aliis Regno arctissimè innexuit. Certè, quàm indissolubili necessitudine illi injuncta hæreres, ipsa satis palam fecisti, cum priore bello Suecico, audaces Wrangelii impetus, & inopinatò mœnibus imminentem vim consilio & ductu magni Viri Gerhardi Dönhofii, invictâ fortitudine repulisti, eo nomine & apud Polonos summam gratiam, & domi facundissimos præcones, & deniq; apud posteritatem immortale nominis decus adepta. Novissimâ hâc rerum vertigine, tempestas publica communi Te

cum

cum aliis multis naufragio implicuit. Equidem proditionis labe intactam Te, & cum hoste, antequam ei ſubeſſes, nunquam conſilia ſociaſſe ſcimus. Potiùs vero iniiſſe Te fatemur rationes, quibus vim illius à mœnibus Tuis quàm longisſimè arceres. Cæterum poſtquam idem, prolabentibus ad obſequium ejus & exercitibus, & Provinciis, ipsâque Regni metropoli, in Pruſſiam rediret, fortuna venientis ita Te attonuit, ita etiam juncta fortunæ ſuada ſe infudit animo Tuo, ut maximæ imprudentiæ eſſe crederes, portas claudere illi, cui nemo putabatur clauſiſſe, aut clauſurus eſſe. Admiſiſti igitur Dominum novum, & cum eo numeroſum præſidium, novum ſcilicet cum novo Domino capiſtrum. Prorſusque ita alterius eſſe cœpiſti, ut propè deſineres eſſe tua. Quantumvis enim lene admodum videretur, cui humeros ſubmittebas, dominium, tale tamen erat, ut id tuo arbitrio excuti non poſſet, alieno ſemper poſſet intendi. Ac ſub novâ hac poteſtate defluxere Tibi tres propemodùm anni, ægriùs nimirum lentiusque ex fluctibus ſuis emergente Poloniâ, quam ut Tibi il-
 lico

licò manum poſſet porrigere. Poſt Cracoviam recuperatam deſtinatus equidem in Tui vindicias tendere cœpit exercitus. Sed is hiemis viciniam, & neſcio quæ alia obſtacula cauſatus, non multò poſt, cum Duce annis feſſo, ante hyemem ingreſſus eſt hyberna. Pars tamen equitatus Polonici, Ductore JOHANNE SAPIEHA, exercituumRegni Commiſſario generali, eminùs circumſidere Te cœpit, Tibique commeatum; & cum reliquis hoſtium præſidiis commercium intercludere conata eſt. Ubi velitationibus creberrimis commisſi utrinq; excurſores, multo ſubinde cruore campum reſpersêre. Perpetuoque cum præſidio Tuo pugnavit magnanimus Sapieha, donec in ſuburbiis Tuis conſiſteret. Supervenêre poſteà ſub regimine Generalis excubiarum Magiſtri SUCHII, viri militari laude præclarisſimi, Auſtriacæ aliquot legiones.

Quæ fortiter circa Te figere pedem, & peditatu ſuo aggeres ſtruere, tandemque machinis admotis opera hoſtium & Tua verberare cœperunt. Crevit indies obſeſſor exercitus, quia & illæ copiæ Auſtriacæ, quæ in Varmienſi Epiſcopatu hyemaverant,

maverant, accessere, Ducis sui HESTERI inopinatâ captivitate nuper tristes, mox reditu ejusdem tantò lætiores, quia is astu astum pulchrè ultus, è carcere Marieburgensi feliciter evaserat. Accessit quoq; CHRISTOPHORUS GRODZICIUS Generalis rei armamentariæ per Poloniam Magister, idemque meritissimus Regni Senator, qui oppida Vistulæ adsita, & quicquid hâc parte hostilibus rapinis patuisset, legionibus suis strenuè hactenùs propugnârat. Ita omni ex parte deniq; cincta Urbs fuit, & hostis intra mœnia, parvamque insulam, in medio Vistulâ sitam, conclusus. Interim verò non defuit ille sibi, captans subinde, atque aperiens etiam sibi occasiones erumpendi. Præcipuè autem copias Austriacas assiduis, & insidiis & aggressionibus solicitabat. In has enim & præsidiarii, & cives ipsi singulari quodam ferebantur odio. Quia nimirum animis insederat opinio, urbem obsessam, si quandò ad deditionē veniendum foret, non veteris Domini, sed Austriacum regimen subituram. Quod ut externum, & religioni suæ formidolosum populus omnis mirificè abhorrebat. Bi-

lovium porro, cui Civitatis defensio commissa erat, super insitam indolem, acrem, cautamque & prorsùs ad ardua comparatam, famæ suæ cura stimulabat, ut summâ vigilantiâ & contentione ageret, quæ Virum nobilem, veterem militiæ, ejusmodi obsidia sæpius cum laude expertum, Generalis deniq; excubiarum Magistri munere præditum decerent. Dabat itâque solicitè operam, ut in Urbe quam ordinatissimè omnia procederent. Cives advenasque (quorum sanè plurimi ex proximis agris confluxerant, ipsâ rei familiaris jacturâ in populatores nostros mirificè exacerbati) non modó ad obsidionis tolerantiam, sed ad arma etiam gerenda firmabat. Intùs benevolentiam, quantùm posset, servans sibi, extra obsessoribus noctu diuque nocere quærens; eruptionibus potissimum, quas ità frequentavìt, ut qui omnes illas ab initio ad finem annotarunt, plusquam trecentas nobis annumerent. Cæterum his opera equidem nostrorum multùm subinde turbata, & ipse peditatus, auxiliaris præsertim, non leviter labefactatus; Sed non minùs præsidiariorum quoque numerus ac-

cisus

cisus est. Ac tametsi hostis identidem aliquos ex nostris caperet cœderetvè, nunquam tamen eò profecit, ut ullum vel militem auxiliarem à suis, vel commeatum unquàm reciperet. Nostri enim vias, quibus subsidia ventura credebantur, excurrentibus longè latèque turmis equestribus, undiquaq; obsepserant; & ut ipsi largiore rerum necessariarum copiâ fruerentur, strato ponte junxerant utramque Vistulæ ripam. Sed hostis munitionum suarum robore, tum suppetente victûs necessarii sat ubere usque copiâ fretus, haud quicquam adhuc submittebat animos. Prorsusque adeò major vis ad cicurandam ejus audaciam videbatur requiri. Meritò hîc mirum miserumq; rerum humanarum genium agnoscimus; quarum adeò remedia longè tardiora sunt, quam mala. Morbi repente subinde ingruunt, ac si fatalis hora adest, repente etiam occidunt. Ut vero curentur, mensibus opus est, aliquando & annis. Non unius prætereà Medici industriam fatigant, multas pyxides Pharmacopæorum deplent, & ut ægrotantium corpora, sic crumenas eorundem, aut iis

proximorum exhauriunt. Ægrotabas Tu quoq; Thorunium, & repentinus quidem, sed idem gravissimus æstus præter opinionem Te Poloniæ & Tibi ipsi eripuerat. Utinam prior valetudo æquè citò redonari ægræ potuisset, quà erat erepta? Sed lentè processit restitutio Tui. Iterum quasi parere Te sibi Polonia debuit; & ut feliciter pareret, plusquam novimestre tædium coacta est ferre. Tulit æstivi solis ignes, tulit autumni nimbos & procellas, tulit brumæ rigores, tulit mille molestias ac incommoda, ut Te ægritudine Tuâ, à quâ possidebaris, liberaret. Nec cessisset forsan usque illa, nisi præsentem Regiæ Majestatis vim sensisset. Prævisum id maturè à Rege ipso, & Regni Ordinibus, adeòque omnium consensu sancitum est, ut ægri istius restitutioni Rex, non autoritatis tantùm auspicia, sed & manûs suæ ductum commodaret.

Nec cunctatus SERENISSIMUS REX, simul ut Comitiorum laboribus defunctus esset, abiit in castra, comitante SERENISSIMA REGINA; utroque Regni CANCELLARIO, & aliis Proceribus. Sed venit quoq; inprimis alter

exerci-

exercituum Polonicorum Dux, idemque Regni Mareſchallus GEORGIUS LUBOMIERSCIUS S. R. J. Princeps, Comes de Viſnice, accelerando cœptæ obſidionis operi, ſummâ illa autoritate, quam immenſis virtutibus, maximisq; in patriam meritis, dudum comparavit, ingens daturus robur ac pondus. Qui jam etiam magnam exercitûs ſui partem, florem militiæ noſtræ, eòdem præmiſerat. Tum verò validisſimè demùm fervere cœpit obſidio, tot nimirum diverſorum nominum, populorumque legionibus, nobili virtutis æmulatione, in hoſtem certatim undique pugnantibus. Excitati jam ante erant nonnulli ſuggeſtus, de quibus in urbem non infeliciter quotidiè fulminabatur. Ne inferiores cœteris eſſent, qui poſt cœteros venerant, excitarunt & ipſi ſuos, quo nullâ parte quies eſſet obſesſis. Qui vicisſim noctu diuque aut eminùs jaculando reſpondebant noſtris, aut cominùs factâ excurſione inſtabant. Etſi autem cruenta hæc certamina crebeſcerent, neq; obſesſi ulla melioris inclinationis præberent indicia, Rex tamen Sereniſſimus, ut ab initiò alterâ manu arma pertinacibus,

alterâ

alterâ clementiam reſipiſcentibus oſtentaverat, ita ſubinde adhuc ſcriptis per NICOLAUM PRASMOVIUM EPISCOPUM LUCEORIENSEM & MAGNUM REGNI CANCELLARIUM literis æquisſimam pacem omnibus offerebat. Nimirum tibi, Chriſtianisſime Princeps, priùs, & antiquiùs erat, Temet vincere, quàm hoſtem, & minus fortitudini permittere, ut minus ſangvinis funderetur. Parcere volebas, ut Tuis, etſi Tui eſſe deſiiſſent, & abſciſſa membra integra malebas corpori reddere, dum & ipſa modo reddi corpori, quam deleri mallent. Sed qui rerum in urbe potiebantur, hoſtes, non minus ad verba clementiæ quàm ad ictus telorum occalluerant, ſeu ſpe auxilii ſe ſuſtentantes, ſeu inania gloriæ tum ſuæ, tum civium præponentes ſaluti. Cives autem poteſtatem ſui amiſerant. Ad portum ſalutis & libertatem adſpirare apertè, erat res plena periculi. Multi itâque nubilis mentibus ſerenos induebant vultus, ut præſentibus rebus contenti viderentur, quas tacito voto mutatas volebant. Sed erant quoq; in numero obſeſſorum aliqui, novo dominio

minio eò usq; addicti, ut non nisi ferro ab eo divelli posse viderentur. Quos adeo clementia Regia non molliebat, sed obdurabat. Nolebant agnoscere malorum suorum sanatricem manum, quia non agnoscebant morbum, & patientiam præbere remediis recusabant, quia quod remedium erat, morbum putabant. Cœterùm ubi Regia Majestas benignitate nihil profici vidit, cedendum deniq; putavit bellatorum legibus, quæ quidvis permittunt in hostem cedere nolentem.

Machinis itaqne quæ ad vim majorem à nobilissimo ac solertissimo Archimede Regio GöDKANTIO magnâ & hactenus inauditâ artis Pyrotechnicæ industriâ, comparatæ erant, saxa & tela ignea tandem immitti placuit in urbem. Juxtà vero omnem exercitum ad faciendum undiquaque insultum præstô adesse jusserat magnus Mareschalcus. Neque longis hortationibus invitandus, aut erigendus erat miles. Jamdudum is operosis precibus aggressionem ejusmodi ambiverat. Multos opulentæ spes prædæ incendebat. Alii generosiores stimulis gloriæ agitabantur, & indecoram suæ genti

tantam

tantam apud unam urbem existimántes moram, majore severitate aggrediundos suadebant, qui lenitate hactenus abuti viderentur. Plurimis etiam ingruentia hyemis incommoda lentæ obsidionis tædium moverant. Magno itaque labore, multisq; argumentis hactenus expugnandus fuerat miles, ne tanto & suo, & Urbis periculo, violentam oppugnationem præcipitaret. Eoque gratius illi jam fuit Regiæ Majestatis de urbe adoriendâ decretum. Erat decima septima dies Novembris, cum tempestas ignea sævire, cumque pariter exercitus obsessor incredibili impetu in propugnacula mœnium undiquaque ruere cœpit. Urbs universa subito colluxit, ac si undiq; obtecta flammis esset, eademq; inter irruentia undiq; fulmina tota contremuit, non secus ac si atrocissimo terræ motu concuteretur. Sed quas stationes quæque legio, & quo eventu oppugnarit, quæ damna in Urbe ignes lapidesq; molares injecti dederint, historia deinceps plenius exponet; unicuiq; etiam Bellatorum decus suum, ex fide & merito repensura. Nunc levi mentione illud duntaxat propugnaculum tango,

tango, in quo præcipuum operæ pretium oppugnatores fecêre. Magnus ipse Mareschallus adortus illud erat, eâ inprimis legione, cui Ductorem GIZAM, spectatissimum militiæ Tribunum præfecerat. Egregiâque Ductorum ac militum virtute ibi pugnatum est, ac multi ab obsessis tum sauciati, non pauci etiam cæsi fuêre. Adeo ut pene hærere animi inciperent, an continuanda esset aggressio, quæ jacturam militum Ductorumque exiguo hactenùs fructu pensaret. Sed Mareschallus cedere nescius, iteratis hortaminibus, missoq; subsidio novum ardorem injecit suis; adeò, ut hi deniq; omnes acerrimo impetu connisi hostem propugnaculo ejicerent, in quo ille plurimum spei reposuerat. Pariter aliis nonnullis stationibus, tum hoc ipso tempore, tum post breve intervallum, feliciter res gesta est, ita ut nostri intra paucos dies, aliquot hostium munimenta occuparent, inque ipsis adeò mœnibus figerent pedem. Sensit hostis exercitui nostro non modò ad pugnandum satis animorum (hos enim jamdudum campis patentibus, & ubi manibus res gerenda fuit, expertus erat) sed ad expugnandas

pugnandas etiam munitiones satis jam esse industriæ. Itaq; remittere is tandem paulatim cœpit animos, idque eò magis, quòd facile conjiceret, Polonos nullâ hactenùs vi adversâ, nulla cœli inclementiâ, ab inceptâ obsidione avocatos, nunc tantis successibus animosos, eò alacriùs operi ad finem jam præcipitanti incubituros. In urbe contrà præsidiariorum numerus, tùm vi nostrorum, tùm novis morborum generibus, magis magisque atterebatur. Nescio quæ enim Sceletyrbe, lentè alioquin homines conficere solens, hîc præter morem rapida, in necem subitam agebat milites. Ita ut denique vix trecenti incolumes & ad pugnandum idonei superessent. Eò magis consternati etiam cives, faciliores jam aures præbebant prudentibus, qui præveniendam esse necessitatem ultimam judicabant. Serenissimus vero Rex, etsi ad iterandam aggressionem generalem omnia haberet parata, & præterea multis precibus, atque etiam quiritationibus militum usq; sollicitaretur, ut vi militari urbem expugnari fineret, suæ tamen benignitati magis, quàm votis aliorum obsecutus, denuò per lite-

ras hortatur obſeſſos (quamvis nemo inde quicquam benevolentiæ oſtenderet) ne porro fatum, iramque in ſe Regiam inani pertinaciâ laceſſerent. Capiti inprimis præſidiariorum non obſcurè ob oculos poni jubet; quid expectandum haberet, ſi urbem tam nobile ſuæ potius obſtinationis victimam, quàm Regiæ clementiæ fieri vellet exemplum. Cum inter iſta, Urbis ſimul mœnia tormentis majoribus arietarentur, à terrore ipſo vim eò efficaciorem habuêre literæ Regiæ. Proindeque colloquia de tranſactione primùm per I R A B U C U M Reg. Maj. Secretarium, poſtea inter præcipua utriusque partis Capita haberi cœperunt, & & cum nulla tranſactio aut fieri, aut valere poſſet, niſi quæ Principis Adolphi Generaliſſimi Suecorum in Pruſſiâ Gubernatoris conſenſu niteretur, datum eſt obſeſſis armiſtitium, ſpatiumque & poteſtas mittendi Mariæburgum. Poſtquam rediiſſent, qui miſſi erant, & jam jam violentiæ militari lenitas Regia, niſi feſtinata tranſactio præveniret, ceſſura videretur, venerunt ex urbe fæciales, qui cum VIRIS ILLUSTRISS. ANDREA

MOR-

MORSTINIO Regni Referendario, VLADISLAO REY, Sereniſſimæ Reginæ Cancellario, & BARTHOLDO à Rautenfels/ Reginæ Maj. Secretario, congreſſi, in eas cum Rege Sereniſſimo leges convenêre, quas neſcio an unquam ſpe conceperint, accipere quidem vix ab ullo alio, quàm ab ipsâ Clementiâ potuêre. Apud exteras ſanè gentes fidem propè excedit, hoſtem, qui nihil unquàm eorum, quæ ſumma Martis ſævities committere ſolet, omiſerit; qui toto propè anno eminus cominusq; circumjectos exercitus noſtros exercuerit, ipſam Regiam Majeſtatem utramq; ſub Jove frigido, & variis cœli injuriis tamdiu detinuerit, tandem imminentibus jam omnibus extremis, tam æquis tamen, tamq; optabilibus conditionibus, Urbe egreſſum eſſe. Sed nimirum Sereniſſimus Rex noſter minimè unquàm ſitiens ſanguinis humani victorias ſuas eò majores putat, quò magis ſunt incruentæ: & gloriæ ſibi ducit, hoſtem armis quidem, ſed ſimul & manſuetudine ſuperaſſe. Armis quippe viciſſe, felicitatis ſœpe laus eſt, ignoviſſe victis, ſolius decus eſt virtutis. Inter præcipuas

cipuas porrò clementiæ iſtius cauſas, Urbs ipſa erat. Potius enim Regia Majeſtas præſidium cum Urbe ſervari, quàm Urbem cum præſidio perire voluit. Periiſſet autem hæc, & nimirum in ſangvine Civium, matronarum, infantum nataſſet, ſi furentis permiſſa fuiſſet libidini militis. Nec ignota erat hoſti Regia lenitas, quæque animo ejus ſederat, ſervandæ Urbis ſententia. Hoc itaq; Regis conſilio, optimo ſane, & maxime commendabili, in rem ille ſuam uſurus, urbem tàm arctè amplexus eſt, ut interire ipſe non poſſet, niſi per latus civium, modumq; invenit, quo Urbis obſeſſæ incolumitatem faceret pretium honoræ pacis. Nimirum cum aliud jam, quod opponeret, non inveniret hoſtis, Te Tibi, Rex Sereniſſime, opposuit: & cum elabendi nulla via eſſet, in Naturæ Tuæ genio oſtium ſalutis reperit. Inſtabat illi vel mortis, vel abjectæ pactionis neceſſitas: ſed novâ arte Tibi per Temetipſum neceſſitatem intulit honeſtæ dimiſſionis. Alphonſus Arragoniæ Rex, clementiâ Tibi ſimillimus, dixiſſe olim fertur, nullâ re magis adverſariorum animos flecti, & conciliari ſolere, quàm

quàm placabilitatis, & mansuetudinis nomine. Quod dixit, expertus erat, ac cum multos inimicos habuerit, multos solâ lenitate superavit, & amicos sibi fecit. Utinam æquê felix Tua clementia sit, &, quos perdere in Urbe hostes noluisti, cum posses, eos, admiratio virtutis Tuæ emendet, non effugituros alioqui vindicem Nemesin, si pertinaciæ fomentum esse patiantur, quod correctionis debet esse incitamentum. Facessant vero hinc illi, qui nihil in Regibus nisi solam armorum gloriam admirantur, verum autem fortitudinis nec modum, nec finem nôrunt; rati scilicet moderationem duntaxat succumbentibus esse propriam. Nec Clementiam nisi parvarum mentium virtutem ducunt; ignari, Deum ipsum non minus optimum dici, quàm maximum; nec magis Domini, quam Patris nomine honorari, ad Deum porrò homines nullâ re propiùs quàm benignitate accedere posse.

-- -- -- *Nam cum vincamur in omni*
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Illa autem gratiâ, quâ urbem complexus es, Rex Serenissime, quibus præconiis efferen-

efferenda est; & quæ eloquentia dignè illam extollet? Primum enim quantæ benignitatis est, quod salvam esse eam voluisti, quam aliorum Tui dissimilium Regum asper genius dudum fortassis ad exitium damnasset. Causam ejus Tu apud Te, benignus idem Patronus & Judex æquissimus egisti: reamq; non à supplicio tantum, sed à crimine etiam absolvisti. Quicquid peccatum videbatur, nulli dolo malo, sed sinisteritati temporum tribuit æquitas Tua, & quicquid displicuit, non ut macula indignationem merens, sed ut vulnus miseratione dignum, fidei & constantiæ prioris memoriâ abstersum est. Meminimus, ferventibus extremi hujus belli initiis, audire nos ex Te, Rex Serenissime, in tantâ lapsorum multitudine Te aliis jamdudum ultrò ac lubenter ignovisse, aliorum castigationem DEO delegasse: solum illum optimè & dignoscere, & ulcisci posse, quantùm quisque deliquerit: nec paucos eorum, qui in Te peccarint, Te etiam quiescente, castigatos. Et de ipsâ hâc Urbe fateri sanè oportet, illi transitum ad hostes, etsi haud spontaneum, certè haud quæsitum, tamen

magno

magno admodum constitisse. Tot enim mala, & ærumnas passa, tot fatigata laboribus belli, tot affecta damnis, tot denique ictibus lacerata est, ut porrò à Te nonnisi per vulnera ipsa percuti, & nihil penè ampliùs, quàm spiritum amittere posset. Cepit Te calamitatum ejus miseratio, & cum ab initio obsidii, Civibus impunitatem spopondisses, posteà etiam, etsi justam mutandi caussam habere videreris, non mutasti propositum: fidei scilicet datæ constantiam & autoritatem obtendens. Nimirum, quia nullâ re magis, quàm clementiâ gaudes, facilè, & ultrò suscipis vincula, quibus ad eam obstringaris, & nodos fidei, quos alii nullo negotio rumperent, Tibi benignitas animi Tui reddit insolubiles. Atq; eâdem hâc virtute effectum est, ut non Urbem modò, sed omnia etiam jura ejus salva esse volueris. Nescivit bonitas Tua partiri beneficia; totam sibi restituisti, ut totam se denuò Tibi deberet. Non autem arctiùs illam Tibi obligare potuisti quàm cum, ut antè fuit, immunem esse jussisti. Fidissimum in subditis vinculum animorum est libertas. Neq; ulli imperio liben-

tius

tius quisq; paret, quam sub quo suus esse potest. Quanquàm, ut omnis felicitatis, ita libertatis etiam nonnunquàm abusus usu venit. Et sæpè nimiùm sibi permittunt, quibus multum licet; ipsiusq; tandem libertatis vitiis non in servitutem modò, sed in perniciem ruitur. Tu liberrimæ Nationis Rex, tametsi exundantis subinde libertatis æstus, magno & Tuo, & Reipubl. periculo, expertus es, neminem tamen gentilitio hoc bono exuis. Scilicet unumquemq; jam tandem malis domesticis satis edoctum credis, libertatem generoso equo similem esse, qui, si fræna excutiat, & se & sessorem currumve, cui junctus est, rapiat in præceps: sed si modestè ea habeatur, nihil esse in mundo generi humano vel gratiùs, vel utilius. Nostrum certè Regnum, nullâ magis re, quàm libertate ad tantam molem, & ad tantæ potentiæ florem pervenit. Hoc enim maximè illicio invitatæ gentes vicinæ lubenter olim cum regno coaluerunt; & vi aliquâ avulsæ, eidem semper optârunt rejungi. Urbs quoq; ista, cum multas lætandi jam habeat causas, hanc habet potissimam, quod benignitate Re-

giâ & Regno, & priſtinæ libertati reſtituta eſt. Ac meritò Tullium ſibi optat, qui tantam clementiam dignis efferat encomiis. Olim Rex ille eloquentiæ Romanæ gratias Cæſari egit, cum is M. Marcello ignoviſſet. Sed Cæſar viro uni ignovit, tali præterea viro, qui olim æqualis ipſi atq; etiam, cum Conſulatum, validâ adhuc Republicâ, gereret, ſuperior fuerat: qui præterea, ſi Cæſarem offenderat, patriæ, & libertatis amore credi poterat offendiſſe. Ignovit porro abſenti, ignovit quieto, & nihil jam amplius hoſtile molienti; ignovit denique cum non tantùm frater pro fratre ſupplicaret, ſed & totus ſurgens Senatus interponeret preces. Rex vero noſter multitudini hominum ingenti, multitudini ſubditæ, & jurejurando ſibi obſtrictæ, multitudini unà cum Capitibus ſuis ſub alterius poteſtatem, & ad arma adverſus legitimum Dominum, tandemq; hinc in extrema omnia prolapſæ, ultrò, nulloq; prorsùs deprecante, plurimis imò ultionem nimis quàm acerbè flagitantibus, veniam dedit. De quâ poſtquam per Cancellarios certa jam Urbs eſſet, delecti ex Magiſtratu, & Civibus,

bus, venerunt in castra, & præeunte Seniore & Majorum suisq; meritis Aulæ Polonicæ notissimo Præ-Consule JOANNE PRUSSO, adversa omnia, quæ necessitas extorsisset, deprecati, pro clementiâ Majestati Regiæ gratias egêre. Benignê excepti sunt, nec nisi paternè admoniti eorum, quibus Regia Majestas hactenùs sit offensa. Exin præsidium, quod ex ter mille hominibus ad quadringentos, eosq; magnam partem ægros redactum erat, à Gubernatore BILOVIO, Skittio, Draco, Hammiltono, Zögio, Boko, Tribunis & Pro-tribunis proprid. Cal. Januar. eductum est. Egressus etiam, insigni gratiæ Regiæ documento, BENEDICTUS OXENSTIERNIUS Comes, & hoc bello à Rege Sueciæ Palatinatui Culmensi præfectus. His præsidium Regium, cujus pars, jam ante, secundum pacta, portam unam urbis insederat, sub regimine Castellani Camenecensis CHRISTOPHORI GRODZICII, ductu autem PAULI CELLARII, Generalis excubiarum Magistri, successit. Neque enim custodiæ suæ Urbs visa est sufficere, præsertim bello usque in Prussiæ viscera sæviente. Nam

etſi armorum ſuſpenſio agitari cœperat, ea tamen per gravitatem conditionum, & quod Confœderatos offenſura videbatur, caruit ſucceſſu. Interim de pace perpetuâ jamdudum placuerat aliqua inſtitui tentamenta. Eamque ad rem Rex Sereniſſimus ipſam hanc Urbem noviſſimè recuperatam Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis Delegatis ſuis, Magno Regni CANCELLARIO, & PALATINO POSNANIENSI, Magni denique Ducatûs Lithvaniæ Vice-CANCELLARIO; aſſignavit, invitatis eòdem Confœderatis ſuis, quos belli neceſſitudine ſecum ſociatos, negotiatione pacis nefas putabat Polonia à ſe disjungere. Votum eſt omnium bonorum, ut res proſpere cedat, utque Urbs, quæ prima, hoc bello, armorum hoſtilium in Pruſſiâ ſedes fuit, felix tandem ſit pacis officina. Cæterùm ubi Calendæ Januariæ illuxerant, S. Regia Majeſtas, ſplendido Senatorum præſentium, & aulico comitatu, præviis equeſtribus turmis Urbem, inter armatos Civium ordines ingreſſa, rectà ad templum S. Johannis proceſſit, comitante eòdem Sereniſſimâ REGINA. Excepit venientes ILLUSTRIS-

STRISSIMUS JOANNES KOS Episcopus Culmensis. Mox sacra ritè peracta, Deoq; hymnus pro victoriâ cantatus, Musicis templi organis intersonantibus, quia hostili destructa violentiâ jamdudum obmutuerant. Ex Templo in Curiam itum est, ubi Magistratus Urbanus novo sacramento fidem Majestati Regiæ obstrinxit. Quod idem postridiè Cives congregati in foro fecêre. Posteà pauci dies extracti sunt, ordinandis rebus pace belloque necessariis, animisque hostium, quàm seriô ad pacem inclinarent, pertentandis. Sed apud hos omnia & intricata tùm nimis, & infra votum deprehensa. Regem vero alia negotia, & inprimis Comitiorum habendorum cura Varsaviam, Magnum quoq; Mareschallum instans cum exercitibus super stipendiorum solutione Commissio Lublinum vocabat. Itaq; & Aula, & Militia omnis discessit, relictis præsidiis, quæ cohibendis quidem cohortibus Hostis in Prussiâ tum stabulantibus, non item novo exercitui aliunde venienti, sufficiebant. Sed quæ posteà contigerunt, quæque alia in hâc narratione omissa sunt, Historicorum

labor ſuo tempore narrabit. Ego jam ad Regem Regum & Dominum Dominorũ me converto. Nihil enim omni hoc dictionis noſtræ conatu egero, niſi illius clementiæ, id quod ante omnia, ſub hoc novi anni auſpicium, propoſitum fixumque habui, qualecunq; animi grati anathema ſuſpendero. Ejus beneficio Rex Sereniſſimus, in hoc inſigni ætatis ſuæ climactere, tot graviſſimos togæ ſagiq́; labores, tot objectas difficultates, tot aeris injurias, illæsâ ſuperavit valetudine, annumque ipſum illuſtri victoriâ obſignavit. Ejus benificio Sereniſſima Regina, ut vitæ ſocia, ſic laborum Regiorum comes, inconcuſſum corporis animiq́; vigorem experitur. Ejus beneficio Illuſtriſſimus Poloniæ Senatus, inclytusque Nobilitatis ordo, atque adeo Reſpubl. univerſa, ex fatali illâ calamitatum congerie reſpirare cœpit, hoſtium aliis debellatis, aliis conciliatis, aliis in diverſa terrarum bellorumq; diſtractis. Ejus beneficio magnanimiDuces militiæ,ipſiq́; exercitus matri Reipubl., etſi jam exſuccæ, & in ſtipendia ægrè ſufficienti, promptiſſimam tamen, fidamq́; operam navarunt, patriæ-

patriæque decus longè extrà fines magnificè protulerunt. Eundem Deum Optim. Max. veneramur ſupplices, ut Pietati, omnique Virtuti vigorem, atque accrementum, Regiæ Majeſtati utrique longævam & omnigenâ proſperitate cumulatam vitam, Senatui ſaluberrima conſilia, Ducibus fortunatam militiam, vigilemq; neceſſariæ diſciplinæ cuſtodiam, Nobilitati moderatos ac concordes animos, Exercitibus alacre ad nobiles operas obſequium, Urbibus redivivum artium & commerciorum florem, agris quietæ fertilitatis uber, Regno univerſo Aquilæ juventam, & priſtinam ex felici rerum ſucceſſu Majeſtatem, donet, augeat, conſervet.

AURO-

AURORA PACIS,

Seu oratio præſentibus LEGATIS Cæſareis, Regis Poloniæ & Brandeburgicis Gedani in maximâ frequentiâ circa initia tractatuum Olivenſium habita.

POſt adoratum ſupremum Numen, ſine quo nihil ritè, nihil auſpicatò procedit mortalibus, primo omnium mihi veniam dari obſecro, ſi in hoc tam illuſtri theatro dicere ordienti, percelli nonnihil animus videtur. Circumfudit me inuſitatus huic loco ſplendor, nec inficior, conſpectis tot ſideribus, extra ſphæram ſuam, circa me & hanc cathedram undiquaq; lucentibus, me rapi extra me, non tam metu aliquo quàm ſtupore & inſigni quodam reverentiæ, gaudiique ſenſu. Stupore abripior, cum Heliconem hunc in quoddam quaſi palatium Regium, dicam liberius, in Olympum

 novâ

novâ aliquâ metamorphosi vertisse video, meq; adeò, præter morem, stare in medio Deorum, & universo eorundem tacente concilio, solum loqui, omniumq; in me oculos, aures, animosq; conspicor esse arrectos. Jure hînc reverentia simul animum subit, qualis quemlibet hominem decet, qui aut Principes, Dei in terris vicarios, aut vicarios Principum Legatos alloquitur. Accedit præterea ingens vis lætitiæ, quando honorem considero, qui hoc die literis contingit, cum magna mundi capita, cum oracula Principum, sepositis interim, quibus publica salus innititur, curis sublimibus, Athenæum hoc ingredi voluêre. Ac tanto magis exuberat gaudium, quod ista, quæ hic splendere video, sidera, sunt ejusmodi, ut illustre lumen suum ad inveniendam publicæ Pacis ac tranquillitatis viam pronissimè cupiant commodare. Pacis autem filiæ sunt Musæ nostræ, malè convenit illis cum Bellonâ, quoniam illæ fontes Pierios, hæc sangvinem appetit, illæ honestatem docent, hæc ut plurimum evertit, illæ liberale otium adamant, hæc quieta omnia perturbat. Nihil igitur Deabus istis con-

tingere

tingere potest jucundius, quàm intueri hic magnos magnorum Principum ministros, sed eosdem jam pacis feciales, paulo post, si Cælum faverit, Angelos pacis futuros. Assedit hic equidem cum aliis Senatoribus togatis, potens Bellonæ filius: sed idem, exutis tantisper armis, hosti metuendis, Martiâq; positâ severitate, nostris & ipse Musis benignissime se hîc attemperat, plenum gratiis vultum, plenum amore erga literas, plenum & literis animum ostendens. Quod pulvinar autem, quam aram, tantis Nutriciis & Vindicibus suis ponent Musæ, quo libamine eorum benevolentiæ litabunt? Non habent aliud, quod offerant, quàm sacrificium labiorum, quod ita Illustriss. Domini, vobis offerunt, ut qui hîc splendidissimæ & virtuti & dignitati Vestræ paratur honor, eum bonâ pace vestrâ, summi Regis Regum honore eædem cupiant præverti. Sequar eâ in re opportunitatem temporis hujus, quo & templa, & palatia, & fora, parietes denique publici & privati bonis omnibus ac votis circum sonuêre. Eodem officio mihi quoq; publicè jam defungi fas erit: atque hinc, ut tan-

to acrioribus ſtimulis ad mutuas gratulationes excitemur omnes, proximi anni curſum, quem juxta cum Sole emenſi ſumus, gratiâ & comitate Veſtrâ animoſus, remetiar, novum genus faſtorum conditurus, cum, quemadmodum diebus menſibusq; annum deſcribere Aſtronomi ſolent, ita ego ſpatia ejus, ſingularibus Dei beneficiis, ceu oculiferiis maximè ſplendidis, maximè auguſtis, ſignavero. Nec tamen niſi ea cæli munera commemorabo, quæ ad publicam Regni univerſi, totiusque adeò Orbis Chriſtiani ſalutem pertinent. Privata quiſq; domi ſecum memori mente revolvat, & grato erga Deum ore deprædicet. Huic quod ex tantis Orbis luminibus conſtat, Auditorio non niſi publica & tam latè ſcilicet, quàm fœdera noſtra patent, diffuſa convenire videntur. Neque enim latet, neceſſitatem publicam & communis curam ſalutis multos ingentes Principes populosque cum Sereniſſimo Rege & Regno noſtro ſociaſſe, & eſſe hanc tam arctam neceſſitudinem, ut quæ ſingulis illorum divinitùs contingunt bona, ea in noſtras acceptorum tabulas jure referamus, æquè pro
illis

illis in Deum grati, ac si nobis contigissent. Unde adeò nemini mirum jam videbitur, si quos fœderum sanctitas copulavit, eos oratio nostra non sejungat: potiùs autem lætam dicendi messem, undecunque jure potest, collectura, per multas sese Orbis ditiones, provincias & Regna circumferat; itura alicubi per rosas, itura etiam per spinas, eâ tamen, quantùm fieri maximè poterit, cautione, ut cum censor severus alia forsan hîc, quæ culpet, reperturus sit, modestiam tamen & decentem veri curam nemo æquus, & ne hostis quidem, nisi idem & æquitati & humanitati ipsi hostis esse velit, desiderare meritò possit.

Cæterùm ritè atq; ordine rem aggressurus, jure à summo Capite nostro ordimur, Serenissimo nimirum Rege, Domino D. nostro clementissimo. Qui singulari divini Numinis favore, annum præterlapsum, recuperato feliciter Thorunio, inter laureas triumphales, Serenissimâ Reginâ comitatus, inchoavit. Quæ tum vota pro Majestate utrâq; ad Deum misimus, eorum, insigni Divinæ gratiæ autoramento, damnatos nos esse lætamur. Inter

prima.

prima vota erat prospera valetudo Regia, quippe in quâ vertitur cardo publicæ salutis. Exauditi sumus, & memorabili Dei beneficio Majestas Utraque annum hunc integrum inoffenso sanitatis tenore transegit. Nihil illam gravissima curarum perennium, nihil indesinentium laborum catena, indivulsa alioquin Regalis fastigii, his inprimis temporibus, comes, debilitavit.

Valetudini etiam fortuna ut plurimùm respondit. Etsi enim illa non omnibus prorsus momentis æque risit (ecquæ enim mortalibus, etiam potentissimis, sine aliquâ acerbitatis mixturâ contingit felicitas?) favit tamen semper, adeò ut & vetera mala, quibus domum Regiam & Rempubl. universam diu satis nec perfunctoriè exercuit, optatis successibus nunc excusasse quodammodo videatur. Nimirum explicat se jam cælum & profitetur, immissas esse illas calamitates, partim ut fides & Virtus, velut injectis auro flammis, tanto fulgidius exsplendesceret, partim ut eadem, quasi incussis robustæ Ilici bipennibus, solidaretur, atque ab ipso duceret opes animumq; ferro: partim

tim denique, ut eadem illa mala, prout oneri erant, ita remedio nobis essent, fusumque adeò plethoræ sangvinem, ne luxuriaret, & ne suâ sibi mole gravis foret, datum deniq; nobis Hidroticum ingens: ut nocitura gnaviter exsudaremus. Utinam sanantis nos DEI mentem recte intellexissimus atque etiamnum intelligamus, ne peccatis amplius nostris fatigemus patientiam cæli, ne & ipsum nos de nuo fatiget flagellis. Neq; enim unquam post calamitates verè erimus felices, nisi post flagella fuerimus meliores.

Sed qui erga Rempl. Numinis favor, idem erga præcipua Reipubl. Capita, Senatumq; universum eluxit. Incolumem enim servavit, & non nisi paucos ex tanto numero passus est implere legem mortalitatis. Sigillum equidem Regni non adeò pridem alterum sui Custodem, Boguslaum Comitem de Lesno, virum ut splendore natalium, ita ingenio ac prudentiâ maximum amisit, inq; eo Sereniss. Rex noster magno consiliorum & pro-mo-condo & interprete, Illustrissimus verò & Reverendissimus Regni Cancellarius (quem ut præclarissimè de Republ.

mereu-

merentem Senatorem diu ſupereſſe ſuperi velint) conjunctiſſimo Collegâ orbatus eſt. Sed eadem, quæ tanti viri mater fuit, & hunc ſurculum graviſſimè adhuc mæret, Arbor, Arbor antiqua, arbor generoſiſſima, ex ſemetipsâ ſupplevit ingens vulnus, inventusq; eſt in illa Ramus aureus, qui jacturam publicam, ſummo & Regiarum Majeſtatum ſolatio & Regni totius levamine ſarciret.

De domeſtico regimine, ſalvisq; ejus Columnis obiter nobis gratulati, jure ulteriùs ad Socios & Amicos Regni ad S. Cæſaream Majeſtatem, ad Sereniſſimos potentiſſimosq; Reges & Principes mittimus oculum. Quos pariter omnes hunc annum incolumes tranſegiſſe, eſt profectò, cur plurimùm gaudeamus. Si quid enim ſiniſtri vel in unum fœderatorum ſibi permiſiſſet fatum, multùm utiq; turbatæ rationes publicæ, neq; modicè omnis luxata conſiliorum fuiſſet compages. Sed memorabili Dei benificio omnes illi ſoſpites, & ipſa fœderum vincula illæſa manſêre. Jam ſupplices veneramur æternum Numen, ut perennitatem addat muneribus ſuis, adeoq; tum Sacram Regiam Maje-

Majestatem, tum omnes Principes Fœderatos unà cum Imperio, Regnis & provinciis quàm diutissimè florere velit. Servet porrò Causæ nostræ vindices Alcidas, servet Poloniæ, Lithvaniæ & innexarum provinciarum Camillos, Lælios, Scipiones, Valerios. Idem prout hactenus Urbi huic, ejusdemque Capitibus, & juxta membris universis gratia suâ, inter res ancipites, atque inter summa sæpè discrimina adfuit, ita porrò cœlitùs omnigenæ virtutis robur servet augeatq;, & perpetuam optatæ felicitatis constantiam largiatur. Hæc generatim, sed animitùs precati, jam ad singula DEI beneficia, quibus hoc anno elapso fortuna Poloniæ nostræ utcunque effloruit, accedemus, ituri per summa rerum fastigia, quia accurata omnium narratio justo Historiæ operi debetur. Atq; ut ab ipso anni illius exordio incipiamus, id equidem longè omnium auspicatissimum futuris successibus pulcherrimè prælusit. Quô enim die claviger anni Janus novum redeunti Soli curriculum aperiebat, eô favor Divinus, eò efficacissima pariter & felicissima Regiarum Majestatum præsentia,

sentia, eô Illustrissimi Mareschalli & Ducis exercituum imperterrita Virtus, primum Prussiæ claustrum Thorunium, Poloniæ nostræ, reclusit. Quanti res momenti tum effecta sit, docuêre plausus, docuêre gratulationes, quæ illo tempore per Prussiam nostram perq; omnes successibus nostris faventes terras latè exsonuêre. Cæterum quia & provinciam hanc universam belli calamitas exhauserat, & militem nostrum per duras autumni tempestates in ipsam usque hiemem Thorunii fatigaverat obsidio, tanto magis post occupatum illud, & militi à labore, & Prussiæ à milite danda videbatur respiratio: ne & ille & hæc inopiâ annonæ prorsus elangvesceret. Quæsita igitur sunt militi hyberna extra Prussiam, relicto Thorunii & in aliis oppidis peditatu, cui viri & generis & militiæ decoribus præsignes Butlerus Generalis vigilum præfectus, & Grothusius Tribunus primarius, super omnes autem Christophorus Grodzicius, Castellanus Kioviensis idemque Generalis rei armamentariæ magister præfuit. Tanti nominis mentio vulnerat, omnium, ut video, animos, quia nuper

nuper ah! desiit vivere, quem diutissimè vivere publicæ rei intererat. Amisit fidelem ministrum, fidelem sui vindicem Rex Serenissimus, amisit magnum collegam Senatus, magnum bellatorem militia, magnum amicum Illustrissimus Mareschallus, magnum decus Polonia universa. Grandem in illo indolem educatio non mollis, tum generosus juventæ ardor, per terras peregrinas, per labores varios, per omnes militiæ gradus, transegit, eandemq; post deposita bello Turcico tirocinia, sub Magno Koniecpolscio Prussia, sub Valstenio Duce Germania exercuit. Inde revocatum, ut tanto majorem elaboraret virum fortuna, mirificè agitavit, novercam prorsùs simulans, cum tamen mater esset. Per ipsas enim ærumnas belli, carceresq; hostiles idoneum effecit, qui olim publicis Regni calamitatibus, ut magnum columen & præsidium, opponi posset. Prima ei vincula rebellium Cosocorum perfidia injecit: quibus se non alia ratione expedire potuit, quam fugâ ad Tartaros. Terribilem fuisse servitutem oportuit, cui à Scythis illis quæsitum est remedium. Inde ami-

co

co Religiosi viri, Patris Hilarii Carmelitæ ministerio redemptum Cannæ Batovienses denuò Tartaris reddiderunt, felice miseriâ, quòd contracta ante inter Tartaros amicitia servavit penè unum, cum alios omnes Duces, Tribunosq; exceptis paucissimis ferè & milites omnes, crudelitas hostilis hausisset. Iterum ab eodem Monacho exemptus est vinculis, ut mox afflictam & paulò post penè in vincula euntem Rempublicam cum cæteris Camillis servaret. Minabatur huic Patriæ catenas Moscus cum Cosacis, ex Russiâ, minabatur alteras ex mari Balthico Gothus. Prior ille plus quam centum viginti millibus hominum Leopolin, & in eâ nostrum hanc Bellatorem, tum jam armamentario Regni totius præfectum, obsedit. Hic noster cum tantum exercitum per decem pene hebdomadas incredibili virtute represſisset, invictâ tandem constantiâ suâ victum hosté ad amicitiam pertraxit, idque eo tempore, quo transmarina tempestas Rempubl. nostram inundaverat. Calamitas alioquin fugare amicos solet, hîc calamitas eos, qui capitales florentibus nobis inimici

mici fuerant, oppressis fecit amicos. Nimirum per mera miracula servare Serenissimum Regem & Rempubl. voluit Deus, ut ipsi soli gloria tanti beneficii deberetur. Illo jubente factum, ut quod antehac venenum Regno fuerat, postea esset remedium: illo jubente factum, ut contra Christiani & cognati sangvinis hostes, gens Christiani sargvinis inimica, primum afflictis ferret auxilium. Chanus certè Tartarorum, at quantus olim hostis Poloniæ! tum militiam nostram, extra fidei orbitas prolapsam, minis revocavit ad obsequium, tum Chmelnicium minùs jam, aut certè infeliciter repugnantem, in verba extorris adegit Majestatis, hancque ipsam per missum à defuncto nostro familiarem Valerianum Morstinium Centurionem, nunc Vice-Trib. animavit, effecitque, ut revocantis Dei digito, tum consilio Procerum, ab epidemii erroris labe intactorum obsecut non cederet fortunæ, irasci visæ, non cederet hosti irato, sed & hunc & illam constantiâ superaret. Divinum hoc consilium fuisse, agnovit postea eventu judice Orbis, fassusque est, cælitùs erigi fortu-

næ Regiæ MANIPULUM, cælitùs Poloniam defendi. Eodem tempore idem hic noſter defunctus, præter Leopolin, ubi is reverſum deinde excepit Sereniſſimum Camenecenſe etiam Samoſcianumque in fide ſervavit præſidium. Exin militia etiam cætera reſipuit, & conſpirans mox undiq; Polonia concuſſit imminens humeris jugum, inque plenam ſe libertatem, Deo auſpice, aſſeruit, noſtro hoc inter cæteros Hectoras, fortisſimam ubique operam connavante, ut tempore ſuo hiſtoria pleniùs docebit Nunc enim beatis tantùm Caſtellani noſtri Manibus qualemcunq;, honorem quaſi propter viam exhibituri, pauca hæc ab alto repetere, atque obiter hic delibare voluimus; ut tanto clarius appareat, cur Senatoris iſtiùs mortem Serenisſimus Rex & Principes Reipubl. Viri, & omnes qui illum, omnes qui Rempubl. norunt, tam vehementer doleant. Jam in Prusſiam noſtram reverti debebam, quam ſuperiori hyeme Sereniſſimus Rex & ſupremus Regni Mareſchalcus illuſtrisſimo huic Caſtellano tuendam commiſerat. Sed illuc properanti interponit ſe mihi Dania fœderata,

&

& potissimùm Princeps ejus Civitas, quã tempore eodem communis noster hostis calidissimo consilio, acerrimoq; impetu expugnare contendit, in eo velut compendio & Serenissimum Daniæ Regem, & omnem sangvinem Regium, omnem Senatum, florem nobilitatis, insignia, ornamenta, & opes Regni omnes opressurus. Sed felice Serenissimi Regis præsentiâ, tum ductu strenuissimi Schakii, nec non illustris Thalassiarchi Hollandici Baronis Vassenarii, fortissimè repressus, ac clade æternùm memorabili mulctatus recessit. Avocant me fortissimorum Sarmatarum nostrorum facinora, in penitissimis Cimbrici soli recessibus Ducibus Stephano Czarnecio Palatino Russiæ, & Petro Opalinio Palatino Podlachiæ, summò fœderatorum nostrorum fructu, summo Poloniæ ornamento patrata. Inprimis autem avocat me Serenissimus Elector Brandeburgicus, qui Holsatiam, Jutlandiam, & procedentibus cum tempore victoriis, inaccessam Alsen exercitu fœderato, & suo, hostibus eripuit, si Neptunus vela submisisset, Daniam totam, iisdem ereptam, redditurus Regi suo. Cæterùm

cum

cum omnia, quæcunq; summa fortitudo, dexteritas, & prudentia agere potest, istic acta essent, tandem hostem in proprio ejus cubili quærere visum est, & Pomeraniam victricibus copiis aggredi. Quam & geminus Cæsareæ Majestatis exercitus, quasi torrente quodam Martio corripuit. Occupatum primò Duce Suchio Barone, Grifenhagium est, occupatum deinde Damum, oppidum longè firmissimum, & ipsius Stetini velut antemurale. Occupatæ insulæ Volinum, & Isendomia. Capta item viribus conjunctis multa alia, nec parvi momenti loca. Urbes etiam majores, partim eminùs, partim cominùs, obseptæ sunt penè omnes. Potiri autem omnibus præsertim ingenio situs & industriâ artis adeò mirificè munitis, tanto prætereà præsidio, tanto nobilium agrestiumque concursu defensis, nullius denique rei necessariæ egentibus, non erat unius anni opus, non utique anni in hyemem jam præcipitantis. Cæterum omnes tamen gravissimam vim Martis intimè persensêre, ipsa etiam Princeps regionis Civitas acerrimè oppugnata ac plerisque jam nudata propugnaculis,

culis, in mænibus deniq́ ſuis ſtantem conſpexit hoſtem, & ægerrimè, nec ſine præſentisſimo periculo, virtute Würzii hactenus victrices manus effugit. Interim ſi uno ictu tanta Arbor non cecidit, iterato, niſi pax aliqua intervenerit, cadere poteſt. Quos primi impetûs fervor non perdomuit, diuturnitas tandem belli laſſabit. Alimenta, aliaq; & vitæ & belli præſidia dies ipſa conſumet. Non ſemper etiam eruptionibus ſecuritas pariter cuſtodum aut caſus favebit. Intereà habent jam Fæderati ſatis magnum expeditionis ſuæ, habent laborum, moleſtiarũ, adverſitatum etiam pretium. Tenet Sereniſſimus Elector cum alia non pauca oppida, tùm inprimis Damum, ingens antehac Stetini propugnaculum, nunc frænum, tenet Demminum, fortiſſimum Pomeraniæ clauſtrum, & validum adverſùs Viſmariam aliaq; loca hoſtilia, munimentum. Nec hoc equidem citra Martium ſudorem ceſſit victori. Operosâ ab Electoralibus cinctum obſidione, gnaviter quoque ab hoſte defenſum eſt. Non enim præſidium duntaxat animosè obſeſſoribus reſtitit, ſed & miſſæ Viſmariâ

 ſup-

ſuppetiæ abſtrahere illos, & ſic porrò obſeſſis auxiliari tentavêre. Sed omnis & præſidiarioriũ induſtria, & auxiliariorũ conatus fruſtra fuit. Pervicit laudatiſſimi Ducis Electoralis Sparrii vigilantia, dexteritas, fortitudo, pervicit militum ejus alacritas, & conſtantia; adeoq; tandem in Sereniſſimi Electoris manus traditus eſt locus, qui multorum prudentium judicio maximi æſtimatur. Qui iidem certè, duobus his Pomeraniæ propugnaculis, Damo, & Demmino expugnatis plus omnino obtentum, quam Stetino non expugnato amiſſum arbitrantur Omnia hæc equidem, prout in Holſatia Inſulis Daniæ, inque ipſa tandem Pomeraniâ geſta ſunt, commemorare hic poſſem. Sed aut nimis anguſtis ſpatiis ſtrangulandæ res tantæ, aut nimiâ prolixitate fatiganda tam Illuſtris Auditorum corona foret. Itaque illa alii reſervare tempori, meæ autem orationis molem, quàm gratiam minui malo. Nunc verò domum rediens, quæ Pruſſia noſtra egit & paſſa eſt, breviſſimè narrabo. Cum, u dixi antehac, poſt Thorunium recuperatum, militiam equeſtrem cura annona

per Poloniæ hyberna distribui jussisset, eâ occasione illectus hostis novas ex Pomeraniâ copias adduxit, quibus & Regiæ & Electorali Prussiæ aliquantisper, nonnullo quidem damno nostro, at nullo fructu suo insultavit. Quin ostendit eventus, haud aliud facilè consilium toto hoc bello nequiùs ei evenisse. Nihil enim solidi in rem suam hîc tum effecit, & paulo post didicit, in id potissimum adductum à se militem, ut hic vel Marte nostro, vel tabe spontaneâ consumeretur. Pomerania verò interim nudata milite, Fæderatorum nostrorum violentiæ tanto facilius patuit. Verum primis aliquot mensibus favere illi aliquantum visa est fortuna, neq; statim apparuit hamus latens sub illâ quasi escâ felicitatis. Corripuêre nimirum in illo æstu Choiniciam, Culmam, Lipstadiùm, Salfeldum, Stargardiam, Dersaviam, sed eo eventu, ut quicquid corripuissent, vel vi vel sponte paulo post redderent, velut confessi, se id tueri non posse. Nostram quoq; hanc Urbem Gedanensem circumstrepuit armis suis, & excitato in proximis agris incendio, plures ejusmodi ignes minatus est. Mira

fuit hoſtis noſtri immanitas, quæ cum aquâ & igni nobis interdixiſſet, aquâ tamen & igni nos obruere conata eſt. Aquâ primum perniciem nobis minabatur, cum poſitis Viſtulæ, ipſiq; Naturæ obicibus; invitum flumen in nos detorſit, aggeres vero flumini oppoſitos demolitus eſt, ut tanto proclivius licentiâ aquarum inundaremur. Sed ſenſit ille, ſibi à nobis ex mediis etiam aquis, vultum atque animum æquè intrepidum obverti. Senſit idem pariter, ignes de prædiis noſtris extructos, nulli alii rei ſerviiſſe, quàm ut & his flammis lucentibus fides noſtra tanto ſplendidiùs effulgeret.

Prusſiæ porro noſtræ eadem illa hiems calamitatibus ſimilem reddiderat Curlandiam, atq; etiam, ſi recte rem expendimus, multò infeliciorem. Jam ante Provincia illa orbata erat Celſiſſimo Duce ſuo, qui inter Reges dimicantes medius, Ducem militiæ tranſmarinæ, quem amicum ſibi crediderat, hoſtem ſubito expertus eſt; Et illaudabilis iſtius Viri aſtus Principi ſecuro, tum Sereniſſimæ ipſius Conjugi, & Soboli omni, cunctis præterea Provinciæ Primoribus, primariam

Du-

Ducum ſedem, præter opinionem omnium, in carcerem vertit. Poſtea captivos Principes cum omni familiâ in ſolium alienum mittere placuit, deductumque eſt miſerabile agmen Rigam primum, paulò poſt Narvam, deniq; Ivanogrodiam, locum à nominatiſſimo Moſcorum Tyranno nomen, ſono ipſo horribile, habentem. Sed hæc nolo hîc exquiſitius perſequi, partim quia ante ingreſſum anni ſuperioris facta ſunt, &c, propoſiti mei lineas excedunt: partim, ne res miſerandas memorans, novâ dolorum nube offuſcem orationem meam. De Provinciâ ipsâ, fæcundâ ſemper fortium virorum parente, facere non poſſum, quin aliquid addam. Ea tum ad primam capti Principis ſui famam, incolas equidem omnes, præſertim Equeſtris Ordinis, in publicæ libertatis vindicias excivit. Sed novo magnam partem, & tumultuariè armato exercitui regimen decens, & proinde ut in regimine incerto fieri ſolet, concordia defuit. Quæ res Comiti Duglasſio ex Arce Mitavienſi in omnes occupandæ provinciæ occaſiones excubanti, tantò patentiorem januam fecit voto ſuo potiendi.

endi. Progressus ille vicina primum oppida, paulo post, cum sine ordine palantes incolarum copias carptim subinde attrivisset, universam Curlandiam occupavit, Lithvanicis exercitibus, qui alioquin laboranti vicinæ lubenter opem tulissent, & postea generosè feliciterq; tulerunt, circa Moschum lacertos tum moventibus. Sed quomodo tandem occupator Curlandiæ Duglasfius, eâdem excedere coactus sit, paulo post, si temporis angustia patietur, memorabimus.

Nunc ex Curlandiâ in mediam Poloniam, & nempe à sago ad togam, ex campo tendimus ad Comitia, solenne remedium, quo morbis suis mederi Respublica nostra consuevit. Si quæ autem unquam, hæc certè, quæ Anno superiore habita sunt, varietate & pondere negotiorum implicatissima, adeoque præter solitum per tres integros menses extracta fuêre, magnâ molestiâ S. Regiæ Majestatis, magnâ Senatûs totius, magnâ Equestris Ordinis, cui tum director contigerat vir prælustris & ingenio dexterrimus Joannes Gninsky, Succamerarius Pomeraniæ & Gnesnensis Præfectus, nunc Illustrissimorum

morum Pacis Fecialium Collega. Præcipuè verò in Coſacorum negotio publica æſtuârunt conſilia. Qui non multo ante cum Regno, novis magnisq; autoramentis, conciliati, delegatos jam miſerant ſtabiliendis conciliationis pactis. Sed hi tum arduis maximè poſtulatis ſolicitabant Rempublicam; atq; imprimis ſacra inter Romani Græciq; ritûs Eccleſias vincula rumpere minabantur. In re tantâ igitur mirificè hæſitavit Reſpublica. Neque deerant, qui ob iſtiusmodi difficultates minus felicem Comitiis exitum, novasq; ex Ruſſiâ turbas ominarentur. Sed idem ille, qui Rempubl. inter extrema ſæpè diſcrimina ſervaverat, Deus, oſtendit nunc quoq; filum, cujus auxilio illa ex hoc ſe Labyrintho expediret. Atque inter alia adminicula, quæ publica omnium Ordinum prudentia conquiſivit, plurimùm profectò contulit fiducia, quam Coſaci erga Cancellarium Magnum, dexteritate, comitate & munificentiâ ejus deleniti, conceperant. Et ſic tandem fine ſatis optabili ſoluta ſunt Comitia. Jam ad alias Regni noſtri proſperitates properanti, magna adhuc &

periculosa Regno attingenda est tempestas, ut tanto clarius liqueat, quàm magno nobis constiterit, & quam diras nubes secuta sit fortunæ serenitas, quæ postea eluxit. Exercitibus nostris uti mala Reipubl. & tot undiq; coorti hostes plurimum dederant negotii, ita stipendia militiæ ob egestatem publicam minus rectè processerant. Inde fremebat miles, & inter publicæ patriæ damna, sua esse maxuma ratus, indignabatur, non justa modo præmia laborum, sed & necessaria penè vitæ præsidia deesse iis, quibus vitam Respubl. videretur debere. In hybernis potissimùm fervebant querelæ, & consilia male contentorum: nec unquam negotiosior, quàm in illo otio erat confœderatio. Bellicis igitur Regni Ducibus negare obsequium turbidi, constituere inter se capita cæpêre, scribere denique leges, speciosas quidem & quæ nihil adversum Serenissimo Regi & Regno viderentur sapere, multum tamen è Republicâ peterent. Quò compositior, quò coloratior, eò formidabilior erat secessio. Malo autem surgenti Rex Serenissimus omni decorâ ratione mederi studebat, nihilque inten-

intentatum relinquebat Senatus, nihil grandes Viri à Rege & Republ. ſingulariter delecti ad hoc negotium, & huic ſoli, prævio Illuſtr. Stanislao Potocio Palatino Cracovienſi & ſupremo exercituum Duce, Demetrio Duce Viſnovecio magnis bellatoribus, ſat longum tempus, non ſine grandi moleſtiâ & impensâ, gratificati. Cum nihil ibi profectum foret, à Comitiis tandem quæſitum eſt remedium. Deliberavit ſuper tàm difficili morbo ſuo Reſpubl. univerſa, ſed & ſingulari Dei benevolentiâ, in medio deliberationum æſtu, ab ipſo exercitu adverſus exernum æſtu, ab ipſo exercitu adverſus exercitum ingens alexiterium, ingens ſolatium accepit: cum omnes peregrinæ armaturæ milites, magna profectò & conſpicua militiæ noſtræ pars, in facie Reipubl. legitimis exercituum Ducibus obſequium, ſanctè promitterent, illis autem vitio creatis Directoribus renunciarent, ſtipendiorum denique ſolutionem & ipſi quidem poſcerent, ita tamen, ut & patientiam moræ, & interim prona ſemper in Reipubl. uſum defenſionemque ſtudia ſua alacriter offerrent. Horum exemplo cæteros quoq; tandem ad obſequium re-

dituros sperabamus. Sed illi veterum postulatorum pertinaces, vix temperarunt sibi, quin à patriâ exsuccâ sangvinolenta stipendia gladio extorquerent, & quamvis postea destinata eorum pessima melioribus tandem consiliis, vel potiùs propitio in Rempubl. fato cederent; tamen opportuna & bono publico utilissima tempora inani cunctatione perdiderunt. Ducem interim Salus Reipubl., movit ne inflexiles illos exspectaret. Quicquid igitur usquam militiæ Polonæ sincerum manserat, contraxit, ivitque Deo & Rege auspice fretus, comitatusque auxiliaribus Cæsareæ Majestatis copiis, quas Generalis vigilium Præfectus Hesterus, vir militiæ decoribus eminens, ducebat, in Prussiam nostram. Hîc ordinatîs ritè rebus, & strictâ in eos, qui perperàm interim rem gessisse comperti essent, acie disciplinæ militaris, hostem, quem, oppidis incubantem, aperti Martis aleam sciebat declinaturum, nidis suis excutere statuit, atque inprimis compedes laxare Vistulæ impositas. Prima vis armorum Grudentum corripuit, oppidum antiquum, Vistulam præterlaben-

tem

tem ex alto monte despiciens, à Crucife-ris olim muro & Arce eminentissima, postea verò ab hoste variis operibus, & quingentorum præter propter militum custodiâ munitum, ita ut id festinantem ad majora fortissimum Ducem aliquantisper sistere posse videretur. Sed cum cælum suffragatur, frustra muri, frustra propugnacula, frustra manus Martiæ obsistunt virtuti. Admovet Mareschallus oppido exercitum, struit more militari accessus, quibus impunè ad ipsa hostis munimenta pervadere, struit suggestus, unde fulminare in locum obsessum posset. Tam propè suggressus tandem est, ut rectè atq; ordine videretur facturus, si cominus propugnacula adoriretur, & vi sibi faceret viam in oppidum. Dum id agitatur, jacti interim artis fulminatricis industriâ vastissimi & ignem circumquaq; vibrantes globi. Illiduntur illi, quà ars vel fortuna tulit, culminibus, fragmenta tectorum & sua longè lateq; spargentes. Utinam his ictibus ut in tecta ædium & muros, sic in animos obsessorum penetratum esset: effectumq;, ut curæ isti habuissent, tempestivâ submissione imminenti sese

discrimini eximere. Sed fatum suum nemo maturus effugit. Miserrimi incolæ, seu suâ, seu alienâ obstinatione occæcati, certè ne servare se quidem Svecis invitis ausi, clausêre sibi januam salutis, quam Optimi Principis benignitas clausis aperuit. Missus enim ab illo tubicen, qui dedentibus se veniam offerret, spretus & parum honorificè dimissus est. Exin quod tuba pacis efficere nequiit, tubo iterùm Martio commissum est. Nec multo post, velut compendio rem conficere volente fortunâ, contigit, ut globi aliqui, supremâ Urbi nocte, in fænum sub tecto servatum inciderent. Ibi concepta, attamen clausa adhuc flamma, fumo primum monuit obsessores, ut in locum eundem plures ejusmodi globos, sed & aliò simul alios ejacularentur. Quod cum facere Pyrotechnitæ, quà cuique visum, certarent, ignib' colluxit undiq; oppidũ, & brevi tempore ita invaluêre flammæ, ut quantum quantum esset, totum in pyram videretur conversum. Incendiis istis, ut quisque facile conjicit, exterior oppidi defensio non parùm mox refrixit. Certè non incolæ tantùm, sed & milites non-

nulli,

nulli, non adeò quidem ad ignem restingvendum, sed ad servandas potius res suas discurrere. Interea jussu Ducis, in valla & propugnacula undiq; eluctatur miles obsessor, intrat oppidum, cædit obvios, spoliat domos, facit deniq;, quod in Urbibus expugnatis facere victoriæ ardor solet. Atq; eò hic excusatior erat quod quæ auferrentur, non civibus, sed flammis subduci, servariq; adeò videbantur, quæ nullo cujusquam fructu ac commodo peritura erant. Cœterùm in oppido ipso, & si ignis quidem non priùs penè cessaret, quàm cum non haberet amplius, quod depasceret, hostilitas tamen in Cives, simul cum nocte cessavit, sistente eam edicto Magni Mareschalli. Qui fortunam municipii miseratus, gratias Deo agebat, quod tanti momenti locum sine multo suorum sanguine occupasset, sed simul sibi gratulabatur, qvisi incolarum fluxisset sangvis, eum sine culpâ suâ fluxisse. Bellissimè enim oppidi ruina, acceptatione clementiæ oblatæ, multo magis autem maturo ejusdem desiderio redimi atque averti potuisset. Sed pars oppidanorum, cum & ignes & victorem militem

militem prævalescere videret, receperat sese cum milite præsidiario in Castellum. Ubi plerique equidem primum victoris gladii fervorem effugere. At cum illic aquâ mox destituerentur, & pariter à Cæsareanis se circumsessos, cæteros vero victores jam pariter ingruere viderent, Tribunum primo suum hortari cæperunt, ut deditione spontaneâ extrema præverteret, cum is abnueret, Cæsareanis aperuêre portas, Tribunus vero ex turris cujusdam latibulo protractus, cum viginti aliis militiæ antesignanis, gregariis centum octoginta, tormentis triginta quatuor, in potestatem venit victoris. Atq; ad hunc quidem modum brevi temporis spatio recuperatum est Grudentum, iisdem Serenissimi Regis nostri auspiciis, Duce etiam eodem, quo ante hàc Thorunium, sed fato non eodem. Thorunium enim integrum ferè, aut certè non nisi paucis cicatricibus deforme, hoc verò miserrimum & vix nisi parvis sui reliquiis à cineribus emicans, sub imperium Domini sui rediit. Victoriæ cursum prosecuturus Mareschallus non multò post ducit exercitum versus Mariæburgum, principem

olim

olim Cruciferorum ſedem, nunc pariter hoſtis primarium & receptum & penarium. Undiq; enim locus iſte feraciſſimis præpingvium inſularum agris circumdatus, haurire inde conſvevit ubertatis opimũ, quale in his terris quæri aut optari poteſt maximũ. Arce porrò protegitur, quæ murorũ operumque robore paucas habere pares putatur. Igitur Mareſchallus rem ſeſe maximè arduam, nec modici temporis, aggredi gnarus, primò omnium loco illi promptuarium annonæ, gemmam Cereris, Inſulam majorem, eripiendam putavit: ita ſimul id, quod hoſtem præcipuè hactenus paviſſet, in ſui militis alimentum converſurus. Id agitans prima caſtra ad Album montem poſuit, ab ipſo Inſulæ velut apice, cui mons ille imminet, opus ſuum auſpicaturus. Ingens in ipſo, uti antea ſemper, ita hic tolerantia laboris, parſimonia ſomni, cura diſciplinæ, autoritas apud ſuos pariter exterosque, liberalitas erga milites, amor apud omnes, (ſed incorrupto Ducis honore) eluxit, maxima inprimis & per omnes caſtrorum ſinus, perque Pruſſiam totam & in ipſa hoſtium arcana ſeſe porrigens vigilantia. Cæterûm ut tum con-

ſilia tum vires hoſtis diſtraherentur, habitâ non perfunctoria conſultatione, concluſit Princeps, ut, dum copiæ Polonicæ dicto illi Inſulæ apici inſtarent, manumq; injicerent, Electorales alibi, ſuo etiam loco Gedanenſes irrumperent in Inſulam, deſtinatos huc à Mareſchallo magni nominis Ductores, Butlerum inprimis, comitati. Erat molimini tanto deſignatus dies Septembris vigeſimus ſextus. Venêre noſtri ad locum deſtinatum, & quia machinis rebusque neceſſariis inſtructi venerant, nil cunctandum rati, & jam ſocios operis non procul abeſſe gnari, trajiciunt flumen, hoſti prorſus inobſervati. Sequitur eâdem nocte copiarum Polonicarum pars. Cæteri quoq; poſtea, quantum per objecta impedimenta licuit, acceleravêre. Nam aliquorum feſtinationem venti adverſi retardarunt. Juxta verô, tempore eôdem, Mareſchallus ad ipſum Marieburgum turmas Cæſareas Polonicasque miſerat, quæ facto in ſuburbium impetu, hoſtem laudabili diverſione diſtraxêre. Tot millium pugnatorum in Inſulam ingreſſus ut prudentiam ita fidem hoſtium ſuperavit, eoq; major inter

illos

illos terror ortus, qui diſperſas per Inſulam copias ipſorum ſubitò in unum concivit. Cumque in Montavienſe Caput Inſulæ, præſens ipſe Mareſchallus, cum ſuis, omni niſu, terrâ & aquâ incumberet, tandem hoſtis tantis ſeſe impugnationibus imparem videns, & aliis, qui alibi Inſulam intraverant, tergo ſuo metuens, dictum illud Caput ultrò deſeruit. Ita magnum Mareſchalli molimen ſingulari Dei gratia, ſub Sereniſſimi Regis auſpiciis, ſpe omni & majorem & celeriorem habuit ſucceſſum. Neque enim quisquam & nec ipſe, qui Princeps conſilii & autor fuit, crediderat, tam properè & adeò citra ſangvinem, tam delicatâ ſui nutrice Inſulâ ceſſurum hoſtem. Ceſſit en, urgente eum fato ſuo, ceſſit, & nullâ in apertis camporum aut pugnâ aut velitatione tentatâ, tribus ſe clauſtris Elbingæ, Marieburgo, Haupto paſſus eſt includi. Nam & Derſaviam, vicinum nobis oppidum, & ex quo, ſuperiori hieme magnâ ferociâ nobis inſultaverat, ad primam mox Grudento venientis ſupremi Mareſchalli famam, ille trepidus deſeruit, & paulo ante Stargardiæ quoque, egregio Pomerelliæ muni-

municipio, poſt multiplices depeculationes, invitus quidem, ſed deprehendi à Polonis metuens, valedixerat: omni adeò operæ pretio, quod prior hyems illi dediſſe videbatur, brevi tempore privatus. Sed Mareſchallus, non ignarus, magnâ hoſtilium copiarum parte inſeſſum teneri Mariæburgum, hoc illis Pergamum, hanc quaſi Arcem Tarpejam eſſe, protenus equidem locum hunc arctiſſimâ indagine, ac plena in orbem obſidione circumſepire optavit. Sed ea res exercitum multo maximum requirebat. Longo admodum ſpatio ſecundùm Nogati fluminis ripam extenditur oppidum: non minus longo porrigitur Arx, tam vaſta, ut ampli ſatis oppidi ſuperet, certè æquet magnitudinem. Ut plenum & numeris ſuis omnibus perfectum obſidium foret, potens eſſe debebat utriusque ripæ, & nempe ultra citraque Nogatum toti illi oppidi Arcisq; compagi circumfundendus exercitus erat, quo ita ab Elbingâ Stumâ aliisque hoſtium locis viæ omnes intercluderentur, omnis ei pabulandi, omnis excurrendi præcideretur facultas. Nemo præterea non videbat, multorum menſium hoc

opus fore, quia loco ad prodigium usque munito ſufficiens militum numerus, militibus prudens & bello plurimum ſpectatus gubernator, abundans præterea alimentorum copia aderat. Sed Ducem ad maxima quæque natum eductumque difficultates rerum non abſterrent, ſed acuunt.

Interim quod magnitudinem Ducis minimè gentium ſuperabat, ſuperabat magnitudinem exercitûs. Etſi enim hic & ſtrenuiſſimus & mole non parvus, minor tamen numero erat, quam ut pro longitudine loci extendi poſſet, minor, quam ut utramque ripam obſepire cuſtodiis, & omnia oppidi Arcisque latera opere conſummato circumdare poſſet. Neque enim ſolitis & ordinariis Regni viribus ſuccinctus venerat Dux: & fruſtra diu expectavit ſupplementa, quæ infelix confœderatio morabatur: & jam facilis conjectura erat, non ventura illa eo numero, quo oportebat, ventura itidem tardè, & tum demum, cum in terrâ deſolatiſſimâ copia alimentorum defutura eſſet militi. Non enim huic ita, ut fas erat, (fatendum eſt enim) liberalitas publica proſpexerat:

ſuo

suo plurimùm Dux ingenio, suâ ope, curâ, industriâ procurabat annonam, quà poterat: videns omninò, majore sibi longè contentione adversus penuriam victûs pugnandum esse, quàm cum hoste, quantumvis potente. Ex his itaque causis cum locus tam spatiosus justâ undiquaq; obsidione circumveniri non posset, faciendis equidem ultra Nogatum excursionibus, structo ponte patefactus est campus, & hunc perpetuis infestationibus ita frequentavit equitatus noster, ut hosti exire vix unquam liceret impunè. Cæterum ipsius veræ obsidionis fervor citra Nogatum stetit. Ibi castra longè latèque circumposita, ibi structis decentissimâ & arte & industriâ accessibus, ita prope Nostri hostium se admovêre propugnaculis, ita tum in pontem tum in oppidum fulminavêre, ut tandem cives inter injectos perpetuò ignes, inter illabentes undique globorum immanium nimbos, vitam suam non ampliùs credere ædibus auderent, sed in Arcem plerique se & sua reciperent. Summâ profectò virtute, etsi inter magnas annonæ difficultates processit obsidio, & nihil omnino carum re-

rum

rum omiſſum eſt, quæ à Magno Duce, quæ à prælustri Regni Vexillifero, à generalibus præfectis, Strenuiſſimis Tribunis & Ductoribus, quæ deniq; à forti, induſtrioque milite requiri aut expectari ſolent.

Cæterum omnium Mareſchalli conſiliorum caput tum erat, Inſulam feliciter occupatam, fortiter tueri, & Viſtulæ imprimis, prout auſpicatò glorioſeq; coepiſſet, plenam reſtituere libertatem. Hoc enim non Pruſſiæ ſolùm, nec Poloniæ modò, ſed Europæ totius nutricio vindicato, ingens aſſidui laboris & pervigiliorum ſuorum pretium ablaturus erat, toti autem Reipubl. tale præſtiturus beneficium, quali toto hoc bello majus & glorioſius non poſſet. Atque idcirco, cum ab hoſte flumen iſtud non niſi uno adhuc fræno teneri ſciret, hoc inprimis rumpendum excutiendumq; putavit. Quisque ſagacium facillimè aſſequitur, de Haupto me loqui, caſtello prioribus jam bellis celebratiſſimo, nunc autem ab hoſte, ævum forſitan hîc agere cogitante, ad miraculum usque munito. Certè Ars & Natura ibi certaſſe, & quicquid utraque ad loca cujusquam robur afferre poteſt, huc videtur

tur impendisse. Procurrunt omni ex latere altissima valla, eademque angularibus undiquaque propugnaculis validissimè præcincta. Vistula affundit sese lateribus, sed facto aquarum divortio ita bipartitus, ut gemino quasi brachio locum amplectatur defendatque. Quâ parte aquam Natura negaverat, ductâ per transversum fossâ labor accersivit, secutusque artis ingenium fluvius insulam efficit, ubi non fuit. Fossæ quoq; ipsi multa magnæ molis anteposita opera obsessuris maximas moras objiciunt. Illud porro brachium, quod ad Urbem nostram amicissimus porrigit fluvius, ducto jam dudum ab hostibus per medias aquas aggere, ita quasi ligatum est, ut nihil Civitati nostræ, nihil obsidentium castris polliceri aut dare subsidii posset. Paulo superius autem idem brachium, dejectis ab hoste aggeribus nudatum, apertis omnibus quasi venis, in Insulam nostram & ad ipsa Urbis mœnia tantùm aquarum profundit, ut novum veluti mare nos circumfluere videatur. Alterum fluminis brachium structa ab hoste ad ripam opera validissimis pariter vinculis implicuere.

Utram-

Utramque verò ripam idem hostis ponte junxerat, ut ita tergo suo miser fluvius iniquos Dominos, ipsaque servitutis suæ alimenta, & sæva libertatis venena portare cogeretur. Pontis enim istius beneficio non ex insulâ tantum majore sed Mariæburgo quoque & Elbingâ petere poterat loci gubernator, quicquid desideraret. Et profecto irritus erat omnis obsidere volentium conatus, nisi pons iste destructus, & omnis in Insulam trajectus esset interclusus. Pro utroque acerrimè pugnabat hostis, non nescius, his quasi spiraculis animam loci istius trahi. At in Insulâ repurganda uti jam dudum missæ ab Illustrissimo Mareschallo copiæ egregiam navaverant operam, ita nunc quoque nobis minimè defuêre. Certè enim cum Suecis ex ipso hoc Haupto erumpentibus & munitionum suarum, passim istic sparsarum, beneficio usis, fortissimè pugnarunt, peditatu tandem, cum omnem jam pyrium pulverem absumsisset, laboraturo, nisi insignis Ductoris industria repente subsidium adduxisset. Nostrorum pariter ut primi sic vehementissimi circa pontem & apposita illi munimenta

menta conatus fuêre. Hosti profectò, omni vi suâ irruenti, nobili virtute restiterunt; adeò & fortiter & feliciter, uti alibi, sic intra obvia horti septa, quæ fors dederat, cum illo luctati, ac si intra muros ac valla stetissent. Sed hæc ut & cætera suo tempore curatius edisseret historia, omnibus singulisque decus suum pro merito cujusque, ex vero, admensura. Cum Octobri, ut brevissimè rem complectar, cæpit hæc obsidio, magnâ & memorabili fiduciâ Urbis, cum satis liquidò constaret, pro loco isto, quem tot annorum, tot sumptuum, tot laborum impendio, hostis firmasset, & unde toti Neringiæ, omnique Vistulæ leges dedisset, non segniùs quàm pro aris & focis pugnaturum. Sed animabat Urbem spes posita in Deo, qui ut ante inter summa discrimina, inter desperatas Prussiæ, prope & Poloniæ res, inter accisas domi opes, inter aquarum ab hoste immissarum diluvia, inter ignes & gladios circumfulgentes, breviter ut dicam, inter malleum & saxum, inter Scyllam & Charybdin, fidem nostram integram, & animos imperterritos servaverat, ita porrò pro optima,

cau-

causâ, pro Regia Majeſtate, pro publico egregio, pro fide, libertate, fortunâ noſtrâ pugnantibus bona conſilia, pectora maſcula, vires ſumptui laboriq; ferendo pares, proſperumq; adeò arduorum moliminum largiturus eſſet ſucceſſum. Animabat præterea S. Reg. Majeſtatis Utriusque favor, qui ex inſitâ ipſis erga ſubditos ſideles benignitate, nobis, in re maximè & arduâ & honeſtâ & utili verſantibus, minimè defuturus credebatur. Animabat proximè, Mareſchalli ejusdemque exercituum Ducis benevolentia, qui cauſam propriam publicamq; agentibus, nunc verò Caput, unde nervi & opes Reipubl. magnam partem dependerent, aſſerere conaturis, manum auxiliarem & porrexerat jam benigniſſimè, & deinceps non negaturus erat. Nec profectò illam unquam nobis negavit. Nam & validam Cæſareani Poloniq; exercitus legionem ſub præluſtris Baronis Ratſchinii regimine in ſubſidium miſit & ipſe, qua in re cardo negotii totius vertebatur, hoſtem intra Mariæburgum, Elbingam, & cætera ſepta ita fortiter concluſum tenuit, ut nullo poſtea incurſu inſtitutum noſtrum

turbare, nulla ope præſidiariis intra Hauptum clauſis ſubvenire potuerit.

Interim Urbs quoq; hæc tanto Patrocinio freta, cæpto ſuo omni virium ſuarum niſu incubuit. Nihil in ſe paſſi ſunt deſiderari Urbis Primores, nihil bellici Conſilii Præſes, nihil collegæ ejus qui omnes ſanè diu noctuq; invigilarunt operi, neceſſariaq; omnia ſummâ cura, dexteritate, & prudentiâ procurarunt, aliqui etiam eum in finem toto hoc obſidii tempore, in caſtris verſati ſunt, variarum & incommoditatum & ærumnarum participes. Conſpiravit ad idem opus univerſa Urbs, civiumq; alii miſſis ad Deum votis, alii ſumptibus & armis rem juvêrunt, pleriq; certè, ne miles ibi neceſſarius cuſtodiis urbanis diſtineretur, ipſimet tot menſibus, directore vigiliarum Burggrabio Regio Adriano de Lindâ, excubias diurnas nocturnasq; pro mænibus ſuis, omnibusque Urbis munimentis, egêrunt. Dignus eſt inſigni laudis adorea ſtrenuus Tribunus Urbis, qui operas militares prudentiſſimè diſtribuit, ipſe exemplum laboris, exemplum virtutis, qui tot acceſſuum ſuggeſtuumq; bellicorum fabricas

ingeniosâ machinatorum Martiorum solertiâ extruxit, qui lustravit, direxit, ursit omnia impiger & indefessus. Digni etiam gloriâ, qui à Tribuno proximi, digni reliqui omnes Ductores, quorum alii occupatis munimentis, alii aliis facinoribus editis, cuncti verò insigni vitæ contemptu de publico bene meruêre. Dignæ præmiis militia universa, quæ inter autumni & hyemis ingruentis aspera, sub pellibus, sub Dio, sine murmure egit, nullumque unquam laborem, nullum periculum recusavit. Ad hunc modum potita est voto suo Respubl., hostis retibus propriis inclusus captusque superata tot opera & munimenta, Castrum deniq; ipsum in potestatem Urbis, ipsiusque adeò Serenissimi Regis rediit, quem singularis cæli favor hoc ipso tempore, non in hanc modo Urbem suam, sed in ipsa quoque Castra feliciter deduxit, ut & terrore maturaret deditionem, sed faustissimâ Majestatis suæ præsentiâ totum opus coronaret. Sic itaq; magno magni Reipubl. Corporis Capiti minus Caput * se submisit, ita idem hoc corpori suo restitutum est: restitutum

* *allusio ad nomen Haupt.*

ſtitutum ſimul Neringianæ inſulæ aſylum ſecuritatis, ſoluta, quam hoſtes Viſtulæ injecerant, catena ſervitutis, apertus Cereri Poloniæ, datus commerciis liber curſus, reſeratum nobis veriſſimum Copiæ cornu. Hoſti contra magnum militiæ ſuæ robur, magnum prædarum receptaculum, uberrimum annonæ horreum, dicam amplius, magnum cauſæ totius præſidium præcipuumq; quod in Pruſſia habuit, bonæ ſpei Caput quodammodo præciſum eſt. Non equidem parvo nobis conſtitit victoria, multis ærumnis, diſcriminibus, ſumptibus, multis etiam vulneribus, ſangvinisque impendiis empta eſt. Interim non piget armorum, quibus ſuus conſtat fructus, non piget moleſtiarum, quas optati finis præmium ſolatur: non pœnitet ſangvinis, quando terram, pro quâ fuſus eſt, tenemus. Hæret jam hoſtis intra duarum tantum Urbium anguſtias, eò nimirum, quod præfiſcini dixerim, felicibus Sereniſſimi Regis auſpiciis, eò fortiſſimi exercitûs Poloni armis redactus, ut viam ſe ſervandi vix niſi à pace ſperare poſſe videatur.

Sed

Sed mihi ad proxima & noviſſima Dei beneficia delapſo reflectere non nihil curſum neceſſe eſt, & quæ ejusdem DEI benignitas in vicinis Sociisque noſtris præſtitit nobis, breviter memorare. Ac primum in Curlandiam aliquantiſper redeundum eſt, In quâ equidem Moſchus, Lithvanicas diſtinens copias, proclives aliquandiu Duglasſio fecit progreſſus; ſed & ita tamen proclives, ut ſubinde eos aliqua cladium mixtura interpellaret. Poſſem, ſi tempus permitteret, memorare inſignem jacturam, quam dudum fecit hoſtis, cum à magni generis, nominisq; ductore Michaële Pacio, Palatinide, tum Tribuno primario, nunc Caſtrorum Magni Ducatûs Lithvaniæ præfecto profligatus eſt Columba, Tribunus hoſtilis, cum Uxelius Vice tribunus captus, Vrangelius junior cæſus, & omnes illorum copiæ aut proſtratæ, aut in fugam, vel vincula actæ ſunt. Poſſem referre, quâ felicitate Libnicius Tribunus alterum Vrangelium Vice-Tribunum fuderit ad Janiczky oppidum, quâ item dexteritate & fortitudine celebratiſſimus ille nominati ante Caſtrorum Præfecti deceſſor Comorovius,

 poſt-

postquam Moscho feliciter fugato inducias extorsisset, Duglassio ad Würtziana auxilia intercluserit viam: tum eundem Columbam, quem ex priori clade superstitem fortuna servaverat, ut jam denuò vinci posset, ceciderit. Possem adjungere oppressas à Nobili illo Gosieviano ductore Swartzhofio, & Joanne Lubeko suppetias, quibus Duglassum Aderkasius Tribunus, multis aliis ductoribus, & plusquam mille equitibus comitatus sublevatum ibat, captus ipse tum ad Bauscum in conflictu, & unà cum plerisque Comitibus suis, quotquot victorem gladium effugerant, Varsaviam deductus, non minus clementem ibi Regem experturus, quam inclementem belli fortunam fuerat expertus. Possem attexere Mitaviam, primariam Curlandiæ Civitatem, quam eandem à Comorovio Duce missus Swartzhofius, & ejus Comes Lubecus admirabili celeritate occupavit, non unâ dignus uterque laureâ, cum eâdem, quâ plurimis hostium vincula tum injecêre, manu, libertatē captivis Curlandiæ Proceribus restituerint. Inprimis verò egregium nobis excurrendi campum præbe-

ret Neuenburgum, quod Generosissimæ Virtutis Palatinides Alexander Polubinscius, exercituum Magni Ducatus Lithvaniæ Notarius expugnavit, & mox Goldinga, tum temporis hosti cedenti præcipuus receptus. Sed ipsum equidem oppidum fortibus Ductorum nostrorum, tum Electoralium Schönaichii, & Polensii facilè cessit armis. Arcem tot illi à Duglassio relicti Ductores & copioso milite, & magna vi impedimentorum spoliorumque impleverant animis in extremorum omnium patientiam obfirmati. Neque vero machinis, ut solet, res acta est; cum nullæ ad tantum opus idoneæ adessent. Constantia nostrorum obsessos ad famem, fames ad deditionem coegit: ità ut mille quingenti circiter homines cum Ductoribus suis, cumque uberrimâ præda venerint ibi in manus Victorum. Sed & durante obsidio, cum Duglassius, factâ in Samogitiam excursione abstrahere obsessores conaretur, populatrices ejus turmæ à non semel nominato Pacio, & Kmitzitzo, quem Polubinscius miserat, insigni clade multatæ sunt. Exin nullo loco consistere potuit hostis, persequente illum ad

ipſos Livoniæ fines Pacio, aliis oppida Curlandiæ liberantibus à manu hoſtili. Recepta Vindavia, Scronda, Lubavia. Nec niſi tres Arces retinuit hoſtis, quas & ipſas tamen jam tùm cingi cœptas duo militiæ Lithvanæ, poſt ipſos Duces, decora Polubinſcius, & Pacius in hunc usque diem, magnâ optimi ſucceſſus ſpe tenent obſeſſas. *

* *Cum iſta publice dicerentur erat XIII. Jan. Quatriduo ante, Mitavienſis arx, præcipua Ducum ſedes, ab Illuſtriſſ. Polubinſcio, cui duo millia peditum in auxilium miſerat Illuſtriſſ. Michael Pacius, occupata eſt, deprædante eam, cum alteram ſibi imminere aggresſionem ſentiret, Suecico Generali Vigilum præfecto, atq; inde una cum ducentis octoginta validis militibus, ægris centum quinquaginta, ita ut pactus erat, Rigam tendente.*

Tum vero inter alia Grubinum etiam, quod ad vim ſuſtinendam præ aliis armaverat hoſtis, ab Illuſtriſſ. Principe Radzivillio Pruſſiæ Electoralis nunc Gubernatore oppugnatum, atque intra dies quatuor, fortem inter alios operam adnavante Vilielmo Paterſonio Tribuno, expugnatum

gnatum est. Qui idem Dux ex Curlandiâ in Prussiam revocatus (huc enim oratio quoque mea jam redit) repentino in ipsa Elbingæ suburbia insultu damna hosti, & juxta terrorem tantum injecit, ut is improviso aliquo dolo se proditum ratus, nec egredi mœnibus auderet, nec intra mœnia se tutum existimaret. Paulo ante autem idem hostis ab Illustrissimi Regni Campique Mareschalli equitatu non levi ictu in fugam erat compulsus; cum egregius ductor Czaplicius in Varmiam, jussu Ducis tendens, submissis quinquaginta equitibus, omnem equitatum hostilem ipsumq; Gubernatorem militiæ elicuisset, mox omni vi eundem adortus, conturbasset ordines, cæsisq; quam plurimis, captis non paucis, reliquis ad ipsa usque mænia institisset.

Sed eodem tempore rem insignem & ad summam belli haud parùm profecto facientem ipse terror armorum Poloniæ, ac sola Mareschalli autoritas sine sangvine confecit. Brodniciam enim ad spontaneam deditionem coêgit, Oppidum ingenio sitûs validissimum, & jam ante bellis veteribus nobilitatum, Nunc verò

rò Tribunus hostilis, jam dudum machinali scientiâ Serenissimo Regi & Regno, cui servierat, notus, mirificè id contra Regem & Regnum permunierat, defenderatque ad hoc usque tempus; sed cum tandem longius se à suis & à spe subsidii remotum, missas verò ab Illustrisimo Mareschallo turmas sibi propius jam incubare videret, maluit tandem æquis conditionibus liberum exitum pacisci, quam irritâ obstinatione præstolari extrema. Ille igitur, habito colloquio cum illustri emeritoque Tribuno Joanne Dönhofio, Præfecto Stargardiensi, quem Magnus Mareschallus ideò miserat, locum eximium, locum inter firmissima Prussiæ præsidia numerandum, Serenissimi Regis nostri obsequio reddidit.

Propè jam timere incipio, ne prolixitate mea tanti Auditorii patientiâ nimis intemperanter videar abuti. Sed decurrit jam dictio nostra unà cum Anno suo ad finem, nec nisi paucissima restant ad imponendam proposito nostro coronidem. Ac primum levi admodum brachio attingam ea, quæ ultra Borysthenem gesta sunt. Ubi Cosaci, anno superiore

Reipubl. noſtræ reconciliati, ductore Vihovio, Palatino Kiovienſi, adjutore Chano Tartarico, noſtro etiam ſub ductu illuſtrium Virorum Andreæ Potocii, Jablonovii, aliorumq; auxiliante Equitatu, egregiam de Moſcis, ad Conotopum, victoriam reportavêre. Ad quindecim enim millia hominum, ac præter cæteros omnis ordinis & farinæ milites, ductoresque, duo præcipui hoſtium Duces, Pozarski & Leo perierunt. Ipſe ſupremus Dux militiæ Romadanovius diu pro cæſo habitus, ægerrimâ fugâ evaſit. Trubecius alter Dux, & paulo ante Conotopienſis oppidi, atque in eo Vlanovii egregii Coſacorum Ductoris obſeſſor, copias perpetuis tam Scytharum, quam Coſacorum incurſibus laceratas, cum ſummo diſcrimine, Putivlum, primum Moſcorum in illo tractu oppidum, fugienti quam dimicanti ſimilior, reduxit. Exin Coſaci in finitimas Moſcoviæ ditiones, Tartari verò in penitiſſima vaſti illius Dominatûs viſcera ſeſe infudêre, ad ipſam usq; principis ibi Urbis viciniam ferro & igne longé lateque populati omnia, & deniq; cum incredibili prædâ & innumerâ ho-

minum captivorum multitudine domum impunè & ſecure reverſi. A Boryſthene ad Balticum mare, magno quidem, ſed innoxio nec injucundo ſaltu trajicimus. Res, quæ ibi noviſſimè geſta eſt, ut eſt maximi momenti, ita occupatos usque tenet animos Orbis, & commemoratione ejus omnia propè compita nuper perſonuêre. Ingens profectò victoriæ iſtic prodigiũ, ingens Orbi ſpectaculum, Socia nobis Dania & in primis Fionia præbuit. Quando Inſula iſta intra triduum, à duobus Sereniſſimi Daniæ Regis Ducibus, ſed juvantibus plurimùm Confœderatis, occupata eſt univerſa. Quando omnis exercitus hoſtilis, Septem penè millium capitum, exercitus veterano milite, veteranis Ducibus ductoribusq; conſtans, ipſo die, qui Sereniſſimo Regi Daniæ nominalis erat, prælio victus, duo millia ſuorum deſideravit, mox omnis undiquaque circumſeſſus, deditione ſpontaneâ arbitrio victorum totus ceſſit. Obſtupuit iſta audiens nuper Orbis, ſed pariter eadem referens Oratio ſtupeſcit quodammodo, neque par eſt dignè evolvere nomina captorum, Principum, Comitum, aliorumq;

omni

omnis generis Ducum, Tribunorumque celebrium. Strepit per tot annorum tractatus commissa inter se Europa bellis ferè continuis; at vix omnibus his bellis majorem Suecorum cladem, facilè quisquam meminit. Sed ad rem tantam ut dixi, non modicum Batavi Fæderati, terrà marique, ductu Reiteri, Vice-Thalassiarchi, aliorumque fortissimorum virorum, contulêre: contulêre item reliqui auxiliares exercitus, & inter alios Polonicus noster. Jam dudum is sub Illustrissimis fortissimisque Palatinis Russiæ & Podlachiæ, cæterisq; Comitibus, Aquilas Sarmaticas per campos & maria Cimbrorum prosperrimè duxerat, positis ubique Virtutis Polonæ victricibus laureis & trophæis gloriæ. Nunc postquam major ejusdem pars in Patriam cum Ducibus suis remeasset, relicti istic fuerunt mille bellatores, qui sub illustris Tribuni Casimiri Piasiecinii regimine, bello Danico, cum fœderatis cæteris, colophonem forti & gloriosâ manu, Deo volente, imponerent. Navigarunt isti cum aliis in Fioniam: & ipso adventu suomirificè terruêre hostem, adeò ut ad frameas Polonas, nondum tam

in

in manibus, quàm in ore ſe mutuo cohortantium ſonantes, inſula tremiſceret, & poſtea, cum ad pugnam ventum eſt, vix aliunde illa plus cruoris, quàm ex manibus Polonorum hauſit. Sed erat in fatis, ut generoſus ille bellator Piaſiecinius, dum ardentiſſime pugnat, morte ſuâ eandem & Inſulam & Victoriam nobilitaret: militibus ſuis primo virtutis exemplum, poſtea ſtimulus vindictæ; nam eò acrius præliati ſunt, poſtquam Ducem ſuum amiſiſſent. Toties vir nobilisſimus in Patriâ contra Tartaros, Coſacos, Svecos, dimicaverat, fortiter ubique, & tum hoſtili, tum ſuo ſangvine non cruentus magis, quàm decorus. Sed tot illis pulcherrimis vulneribus animam in patriâ effundere non potuit, non debuit, qui hoſtem patriæ, longè extra patriam perſequi debebat, qui gloriam Poloniæ ad intimos Cimbrorum receſſus deferre, & trophæa Sarmatica in finibus illis renovare, in quibus olim à primo Poloniæ Rege Chrobræo erant locata. Cecidiſti igitur, fortiſſime Piaſecini, in terrâ, pro quâ pugnaſti, cecidiſti victor, & victoriæ pretium Inſulam, cum aliis gloriæ tuæ ſociis, Regi fæderato

derato moriens reddidisti. Cæterum cum corpore tuo fama tua non cecidit, in ipsâ illâ, quæ cadentem excepit, arenâ virescet. Sonabunt eam annales patrii, sonabunt peregrini, nec modicum nobilissimæ familiæ tuæ decus erit, Fionicam Danorum victoriam, inter plurimas magnorum hominum cædes & vincula, Piasiecinii quoque vitâ emptam esse. Cæterum quod ad victoriam ipsam attinet, nolo nunc eâ operosè recensendâ diutius morari tam Illustre auditorium; cum res istæ jam sint declamatissimæ, & narratione earum ubiq; adhuc hominum linguæ & aures caleant.

Utinam si bella dicenda erant, inter barbaras omnino gentes, citra sangvinis Christiani profusionem gesta dicere possemus. Sed nimirum rebellis ille Deo, ille hominibus inimicus Spiritus adeò bonam mentem excantavit Christianis, ut in mutua & cognata viscera sævire, quàm suis rebus contenti, pacem colere malint. Lacessuntur Reges à Regibus, Sceptrum Sceptro illiditur, madent cruore Regna, vomit Oceanus cadavera, fumant Urbes incendiis, aut intra cineres suos jacent sepul-

ſepultæ; agri in vepreta, arces in ruderâ, templa in ferarum ſpelæa abeunt, pietas, juſtitia, caſtitas vana nomina ſunt, vis, avaritia, crudelitas, libido & omne ſcelerum genus ſuperbè & impunè dominatur. O quàm acerba, quàm triſtia hæc argumenta ſunt dicere vel ſcribere volentibus! Quanto glorioſius, quanto ſvavius foret, Templis ſanctitatem, Curiis & Tribunalibus juſticiam, agros colonis, colonos, fora & portus commerciis, florem Civitatibus, Muſis honorem, virtuti decus, meritis præmia, vel ſervata vel reddita memorare!" Sed ſperari hæc felicitas non poteſt, niſi bellis non neceſſariis, iniquis, impiis bellum indicatur publicâ Regum Principumq; conſenſione, niſi pax bonis legibus fundata, & rectæ diſciplinæ regimini innixa redeat. Vir togatus hoc loquor, qui bella ſcribere teneor, non teneor amare. Unde adeò pacem animitùs opto, quanquam non præcipitem, nec niſi glorioſam, niſi æquam, & ſecuram. Cæterùm, quod Deus Opt. Max. felix & fortunatum eſſe jubeat, novum jam & admirandum Pacis Aſtrum nuper in Occidente emicuit. Aſtrum ingens, & ſiquid judicare

judicare possum, inter Divina pariter anni, quem emensi sumus, beneficia meritò numerandum. Nec peccabo forsan, si id aliquo modo simile illi esse stellæ dixero, quæ tres ab Oriente Reges ad cunas Dei servatoris excivit. Nam & hæc profectò stella index fuit altissimæ pacis, quæ sub Augusto Cæsare illuxerat Orbi, duxitque Magos ad Dominum pacis, ad Regem illum, cui nuper nato Angeli ipsi, cælitùs delapsi, hymnum pacis, coram Pastoribus, accinuerant. Omnium istarum rerum memoriam Templa universa religione publicâ celebrant his diebus, quibus ad condendum Pacis templum, vos, Illustriss. Legati, acceditis. Filii pacis bonum inde omen capiunt, Astriq; illius nuper orti radios ad Septentrionem quoque nostrum pertinere existimant, & quia magnæ illæ occidentis Sphæræ procul vim suam mittere amant, multi Augusteum sibi in Europâ seculum polliceri audent. Non minus quoq; lætum illis augurium OLIVEnse cænobiū in quo Pacis consilia agitantur, præbet. Cum olim Rex pacis, Dominus & servator Orbis Hierosolymam, Urbem à pace nomen habentem

bentem tenderet, prius ad montem Olivarum venit. Inde ad peragendum pacis sacrificium, inter lætas populi acclamationes, inter strata passim vestimenta, verus Melchisedecus, verus Salomon sanctam civitatem, intravit. Olim quoque cum Nehemias Urbem sanctam tristissimâ Babylonicâ Captivitate eversam aut labefactam instauraret, festum tabernaculorum instituit, & ad struenda tabernacula exire populum in montana, atq; inter alia, ramos *Olivarum* afferre jussit. Utrobique lætum illud Hosianna, hoc est, serva quæso, ingeminabatur. Nos bonis ominibus, utcunq; res ceciderit, nihil peccari posse rati, Deum Opt. Max. veneramur supplices, ut quemadmodum olim suspenso cælitùs astro Regibus domum ostendit, in quâ noviter natus Evangelicæ pacis princeps jaceret, ita nunc illustrare animos & dirigere oculos velit, quò videant, ubi & quomodo salutare illud & diu optatum pacis bonum inveniri queat. O ex cælesti tandem Olivarum monte maximum propitii Dei munus, tranquillitas publica ad nos descendat! En manus piorum paratæ sunt substernere vestimenta

sua

ſua ad molliendam tanto Hoſpiti viam; paratæ ſunt portare ramos olivæ ad ſtruendum illi tabernaculum. Parturiunt templa Dei altisſimi, parturiunt templa Muſarum lætiſſimum Hoſianna. Tu ô Sancte Spiritus, qui olim in ſpecie columbæ deſcendiſti ſuper æternum pacis Magiſtrum, deſcende ſuper Regum Orbis Miniſtros, fac, ut iidem iſti nobis Nuncii pacis eſſe poſſint: & quemadmodum tuo olim ductu, Sanctisſimo Noæ, inter aquas diluvii tot menſibus, jactato, columba tandem ramum Olivæ, in refloreſcentis terræ ſignum, attulit: ita nobis per tot annos inter ſæviſſimas bellorum tempeſtates mirificè quasſatis, Tu, ô germana ô æterna pacis Columba, apporta verum, ſalutarem, & perennaturum felicis Olivæ ramum, Pacem!

DIXI.

DIADEMA GLORIÆ

FELICIBUS AUSPICIIS,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

MICHAELIS,

DEI GRATIA

REGIS POLONIÆ,

Magni Ducis Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Czerniechoviæ, &c. &c.

CRACOVIÆ

In Cathedrali Æde S. Stanislai

ANNO CHRISTI M. DC. LXIX.

Die *PRINCIPI ANGELORUM* Dicata

CORONAM SUSCIPIENTIS

CONSECRATUM.

A

JOACHIMO De Hirtenberg PASTORI, Equite, Commissar. & Historico R. MAJEST.

AD
SACRAM REGIAM MAJESTATEM
DIE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI,
CORONANDAM.

NAte Jagellonîâ Regum de Stirpe MONARCHA,
Sol CORIBUTIADUM, SARMATIÆq; Tuæ.
ANGELICUS Princeps nomen Tibi præbuit olim,
Adfuit is fatis Duxq; Comesq; Tuis.
Obtulit ANGELICUS Princeps, Duce Numine, Sceptrum.
ANGELICUS tribuit nunc Diadema dies.
Ipsa suo Cœli jam Regia munere gaudet,
Gaudet delicio LECHICA Terra suo.
Functa puerperio grandi Respublica MATER
Læta stupet, PATREM se peperisse sibi.
Exultant Manes Regum, veneranda Patronum
Excipiunt Sancti MARTYRIS Ossa novum.

In

In plausus gens tota ruit, cuncta adstrepit ætas,
Te fora, Te Regem pulpita sacra sonant.
Attonitus dudum tanto certamine Phœbus
Exciit Aonii, numina cuncta Chori.
At CORIBUTEAS, ZAMOSCANAS QVE Curules,
Et KOSTKAS reputans, OSTROGIOS-QVE Duces,
CÆSAREOS QVE videns fasces, RE-GUM QVE tiaras,
Palmarumq; strues, laurigerasq; comas:
Et Tibi Divinâ partam Virtute CORO-NAM,
Filaq; Fortunæ prodigiosa TUÆ:
Horret, ait, vastum Parnassia Turba laborẽ,
Moleq; sub nimiâ noster anhelat apex.
Hîc opus, ætheræ MIRACULA pandere DEXTRÆ,
Fatorum arcanos hîc reserare sinus.
ANGELICÆ sunt illa manûs, sunt Orsa Tonantis:
ANGELICAS poscunt, quas meruêre, tubas.

Sere-

Serenisſime ac Potentisſime REX
Domine Domine clementisſ.

REjuveneſcit Sarmatiæ noſtræ Aquila, & ad benignum novi SIDERIS exortum, novo ſpiritu, novo vigore exſurgit. Reviviſcunt ſimul ingenia, & ſuſcitare jam nervos, calamosq; movere etiam illi Scriptores incipiunt, quibus longa deſvetudo ſtylum obtudit, ætasque ipſa talium officiorum gratiam fecit. Inter alios vegetioris ad ſcribendum facultatis Viros, mihi quoque, etſi ob vergentes annos, & alias occupationes, talium jam laborum inſolenti, venit tamen impetus promendi ea, quæ, in hac publicâ gaudiorum exundatione, turgens animus concipit vota, addendiq; alia, quæ præſente lætiſſimi temporis ſerenitate, ex familiari nobis Hiſtoriæ campo evocata, feſtinant ad Majeſtatis Tuæ Solem, ut majorem inde lucem accipiant. Enimverò inter cumulos felicitatis, quâ jam omnes exultamus, hoc peculiare etiam beneficium favor Cæleſtis præbet nunc Scriptoribus, ut non opus habeant in arvis peregrinis quærere Segetem ſcribendi, aut flores,

res, quos adſpergant Soli Tuo. Tu enim Domi, & ſub cælo noſtro prognatus, domeſtica TECUM adfers decora, quæ occupandis affatim ingeniis ſufficiunt. Principem in laudibus TUIS locum vindicat ſibi Polonia Mater, quæ jure maximo gloriatur, & ſummâ lætitiâ triumphat, quod ejusmodi FILIUM ſibi peperit, à quo ipſa regi & poſſit & velit: cùm antehac gignendis quidem magnis ſceptroque digniſſimis capitibus ſatis fœcunda, ſœpè tamen aliunde potiùs, quàm à ſe petere conſveverit rectores. Nimirùm produxit illa quidem ſemper Viros, qui fratribus imperare poſſent, ſed plures ſemper genuit, qui fratribus dare nollent imperium. Timuit libertati ſuæ æqualitas civium, & libertas æqualitatem, Matrem ſuam, perdere trepidavit. Te jam, REX SERENISSIME, invenit Polonia, à quo nec æqualitati, nec libertati ſuæ vereri poſſit aut velit periculum. De Indole & Virtutibus TUIS tam benè judicavit Reſpublica, ut nihil non præclarum ac ſalutare à Te exſpectare, nihil deforme aut obfuturum timere auſit. TE ita diligit, ita reveretur, ut neutiquam formidet

TE ita æſtimat, ut per Te aliis, qui Poloniam non amant, formidanda effici ſperet. Deſideratum diu Polonis bonum, mutua fiducia redit, valere cum cauſis ſuis juſsâ ſuſpicione & diffidentiâ, quæ animos Civium inter ſe nimis heu diu commiſit, & vires Regni, cum laude alibi exſerendas, domi malè detinuit, domi perniciosè colliſit. Tandem & ingens illa, plurimùmq; formidata cautes amota eſt æmulationis, quæ æqualibus cedere impotens, parére alibi natis non recuſavit, ne paréret indigenis. Nunc novo exemplo enotuit arcanum, quod aliquot ſeculis pené fidem perdiderat, poſſe Civem Civibus imperare. Non jam expectanda nobis ſunt ſeptennia, quibus Rex populi ſui genio, aut moribus Regiis populus adſveſcat. Non per interpretes de capitibus & fortunis noſtris informatur, aut pronunciat Princeps. Non neceſſe jam eſt vorare alienarum gentium faſtidia. Tu, REX SERENISSIME, omnia ea tenes, quæ alii diſcenda fuiſſent, nihilque affers TECUM ad Sceptrum, quod dediſcere oporteat. Non aliò conſilia dirigis, quàm in Patriam, quò animi Tui

affectum

affectum ipſe naturæ ductus impellit. Non extra ſinum ſubditorum circumſpicis, ubi conquieſcere vel poſſis, vel velis. Optimè regnaturus eſſe crederis meritò, quia à teneris obſequi didiciſti. Rectiſſimè Civibus conſulturus es, quia meminiſti, quid volueris nolueriſve ſub alio Principe. Amas Poloniam, quia TIBI Patria eſt. Amas ſubditos, quia Cives & fratres habuiſti. Amaris viciſſim à ſubditis, quia meriſſimus eligentium fætus es: non os tantùm de oſſibus eorum, ſed & ſpontaneo ipſorum motu ad Sceptrum Electus, cùm potuiſſent non eligere. Habes illuſtre & caritatis & æſtimationis argumentum ipſam Electionem. Non enim aliis TE prætuliſſent Cives TUI, niſi præ aliis & amore & Sceptro dignum putâſſent. Non TU prensâſti unquam ſuffragia, aut amicos clienteſve ſubornâſti, qui animos TIBI conciliarent. Sediſti in Comitio pars Eligentium, ſediſti par cæteris, donec Electio Te omnibus ſuperiorem eſſe juſſit. Andiviſti publicè perorantes Legatos, qui Principes natalium dignitate ſummos, virtutibus, vel invidiâ ipsâ fatente, eximios, fortunis ſplendi-

disimè dotatos, amicitiis, affinitatibus, fæderibus prævalidos, commendabant. Efferuescentes inter diversa studia animos Civium vidisti, exundantes etiam gentilitiæ libertatis torrentes, nihilq; mite aut pacatum spirantia suffragiorum certamina, præsens spectâsti. Quibus eò interdùm Respublica redacta videbatur, ut scissuræ, & præcipitii periculo proximam crederent illi, qui liberæ nationis ignorant genium, fervido subinde spiritu, & dissonis aliquandiu vocibus in diversa tendentem, sed inopinatâ tandem celeritate amplectentem id, quod libertas & salus publica suasit: communi discrimine ad concordiam deniq; ducente animos; atque ipsâ inprimis plerumque interveniente DEI benignitate, quæ (quod præfiscine dixerim) plenissimam huic Regno libertatem indulget, pereundi licentiam hactenùs adimit. Illa in hoc etiam Electionis negotio manifestissimis indiciis Orbi sese præbuit conspiciendam. Laborantibus enim inter summa dissidia animis, cùm quæque pars pro Candidato suo nihil non egisset, nihil tamen ulla effecit, nec efficere potuit, quia aliud agebat

bat Deus, qui Sceptrum, quod Tibi destinárat, nulli alii permittebat dari. Ille tam amanter, tam providè honori Tuo consuluit, ut alios Regni Candidatos, at non Reges esse sineret: Te non Candidatum, & tamen Regem esse vellet ac faceret. Ille ambientes dimisit voti irritos, Te non cogitantem imò & recusantem protraxit. Cùm enim suffragiorum consensus Te nominâsset Regem, Tu ad rem inopinatam stupens & attonitus, non verbis solùm, sed & lacrymis deprecatus es onus, cui Modestia Tua se imparem esse credebat. Id ipsum Eligentium erga Te studia exacuit, atque eò magis regnare debere visus es, quò minùs regnare volebas. Certè ut aliis obfuit, per externa suffragia calidiùs quæsivisse Reipubl. favorem; sic Tibi profuit, spontè oblatum, quantum modestè poteras, abnuisse. Non post repulsam quoque datam placuisti amplius Civibus, nec cessatum est pro Te contra Te certari; etsi Te subducere certaminibus laborares. Quin eò acriùs Tibi institit ardor Quiritium, donec penè imperaretur Tibi, ut imperares. Cessisti Tu tandem tam sinceræ, tam immo-

tæ tot capitum consensioni, cui diutiùs repugnare, non jam modestiæ, sed obstinationis fore videbatur. Et religio denique fuit Tibi, non audire vocem Populi, in quâ clarè satis vox Dei ipsius audiebatur. Mox etiam cessit Tibi omnis industria Legatorum, cessit Principum pro aliis laborantium autoritas, favor & potentia, cessit, inquam, Tibi, etsi partes Tuas nullus tum Principum seculi tuebatur. Sed TECUM erat Princeps Principum, qui omnia, quæ voluit, facere solus potest. Ille, Te quiescente, pro Te vigilavit, ille in Te, dilecto gloriæ suæ organo, vicit & triumphavit. Ille, quàm benè Tibi vellet, miraculo non uno ostendit: verèq; adeò *dextera Domini*, quod Tu ipsâ missilium nummorum inscriptione gratus profiteris, *fecit virtutem*. Ille in Solium Te extulit, cùm brachium mundi aliò niteretur. Cor populi Tui flexit in Te, ne externis quicquam deberes. Illius quoq; providâ gubernatione factum, ut diu ante Electionem, unus ex magnis Senatoribus, Columnis & Ministris Stâtus nostri primariis, postquam libero judicio omnes Regni nostri Candidatos excussis-

cuiſſet, Te, etſi non Candidatum, ſuo tamen calculo, longè lateq; vulgato, dignũ imperio cenſeret, & ſic Nomen TUUM, illuſtri ſtylo ſuo, pectoribus Civium penitiſſimè inſcriptum, altiq; deinceps ſilentii quaſi annulo obſignatum, tantiſper ibi relinqueret, donec illuceſceret hora, quâ publicari in terrâ oportuit, quod in cælo erat decretum. Certè fidem omnem ſupergreditur, & miraculo pleniſſimum eſt ſecretum, quo Numen Divinum, id, quod operabatur, tempore non modico operuit. Preſſit conſilium ſuum ad ipſam usque Electionis ultimam luctam, quia Tuâ intererat, ne, niſi re maturâ, ſeſe explicaret. Nimirùm in contentionem Te cum aliis venire vetuit, ſed in momento deinvincere Te voluit omnes, qui pro aliis contenderant. Neque enim niſi poſt longa circa externos certamina Te paſſus eſt nominari: ſed ſimul ut primâ Caliſſienſis Palatinatûs voce, prævio ejus Capite, illuſtriſſimo Opalinio, nomen TUUM exſonuit, illicò reliqui omnes idem ſucclamavêre. Num ſine prodigio factum eſt, ut omnium Palatinatuum calculi, qui in cæteris graviſſimè diſcrepuerant, in Te

 nomi-

nominando, incredibili protenùs harmonià consonarent? Unde tam multorum & grandium Capitum, unde plusquam duodecim legionum, unde tot Provincialium Nunciorum tam subitus consensus, nisi à rectore cordium Deo? Cujus adeò nutum omnes jam, etiam qui tardiùs eum principiò agnoverant, reverentibus animis venerantur. Nemo enim non animadvertit, quanto discrimine constiturus fuerit externus, quicunq; præpolluisset. Nam nec Competitores Regni, nec Cives ipsi, cessuri sibi invicem erant sine sangvine mutuo. Coruscat adhuc ante oculos nostros acies illa gladii civilis, nodum hunc Gordium, qui nitentibus in diversa studiis indies magis implicabatur, vi tandem dissecturi, nisi eum dextera Domini per Te, datum cælitùs MICHAELEM, inopinatò solvisset. Oberrat usque animis imago populi, in nova vulnera, antequam vetera coalue-rant, prono impetu ruentis. Occursat facies optimæ Matris Reipubl., infestis filiorum suorum & mox peregrinorum simul unguibus concerpendæ, atque, ob alienum ambitum, suis dissidiis pessum

ituræ. Certè, niſi Tu, REX SERENISSIME, divino diſpoſitu interveniſſes, miſerabili ſciſſurâ in partes, ſub diverſis Ducibus, iviſſet Reſpublica, aut unus Candidatorum, depulſo æmulo, per ſtragem hominum, tramite cruento veniſſet ad Solium, factâq; dein poſt ſolitudinem pace, libertati, delicatiſſimo gentis noſtræ bono, gravis aut ſaltem formidabilis extitiſſet. Nunc non citra tempeſtuoſos quidem æſtus commotæ multitudinis; attamen citra ſangvinem, libertate non ſolùm in præſens incolumi, ſed & inpoſterùm ſecurâ, confectum habemus negotium, & jure nobis gratulari debent, etiam qui poſtpoſiti videntur. Agnoſcendum enim eſt, Deo, Naturæ, prudentiæ & æquitati repugnaturum fuiſſe; quisquis huic Electioni repugnare auſus eſſet. Deus, ut in populo olim ſibi unicè dilecto, ita nunc in Poloniâ, fratrem fratribus imperare voluit. Natura ſangvinem proprium anteponi juſſit alieno. Prudentia prohibuit quæri foris, quod domi inveniri potuit. Æquitas popoſcit, ut liberrimo Populo plena & integra eligendi poteſtas relinqueretur, nec Reipubl.

imponeretur Dominus, nisi cui se ipsa ultrò submitteret. Et jure illa ostendere Orbi debuit, se, quid sibi conducat, rectiùs intelligere, quàm quisquam externus, nimiamq; adeò curam remittere iis, qui res Poloniæ suis merè utilitatibus metiri solent. Sed si ullus adhuc superest, qui Te electum mirari pergat, is palam facit, se Natales Tuos nescire, se virtutes etiam Majorum & Tuas ignorare, aut maligniùs cepisse. Nemo, qui vel à primo limine terram aut annales Polonorum salutavit, antiquissima *Ducum Visnioveciorum* decora non aut legit, aut fando accepit. Prima equidem inclytæ hujus Domus initia, uti ferè omnium, quæ vetustate præcellunt, memorias excedunt temporum. Quod inprimis in hoc Septentrione minùs mirandum est, cui radii literarum seriùs illuxêre. Sed sufficit nobis, ab annis plus *quadringentis* Seriem Progenitorum Tuorum recenseri posse. Ad gloriam verò satis hoc illustre & magnificum est, quod iisdem Natalibus *Visnovecii* censeantur, quibus ortus est Regum clarissimus *Vladislaus Jagiello*, qui primus Lithvaniam ad Sacra Christiana & simul ad Unio-

nem

nem Regni Polonici adduxit. Is quippe *Olgerdi*, Magni Ducis Lithvaniæ filius fuit, ſed ejusdem filius quoque fuit *Coributus, Dux Sereriæ*, à quo & originem & nomen illuſtriſſima familia Veſtra ducit *Quatuor penè ſeculis* regnavit hîc poſteritas Jagiellonis, & adeò ob egregia merita, æſtimata eſt à Polonis, ut ultra mare etiam, & in ſexu ſequiore aliquando ſit quæſita. Nunc poſtquam ultimus ejus *ſurculus*, Sereniſſimus Rex JOANNES CASIMIRUS ſceptro quietem ante habuit, in fraternum Jagiellonis ſangvinem felice tranſitu incidit Electio. Quod ſi igitur generis ornamenta ſpectentur, non eſt, REX SERENISSIME, cur cuiquam Principum poſtponi debuiſſe videaris, eſt, cur anteponi debueris omnibus. TUUM eſt, quicquid Jagiellonia Domus poſſidet decorum: quicquid eadem affinitatum cum Europæ Principibus, Regibus, Imperatoribus habet, ad Te pertinet. In Te deficiens Jagiellonicæ ſtirpis gloria & nomen veriſſimè jam reſplendeſcit. A Te inſuper novam lucem accipiunt Majores Tui, quorum cognatum lumen Regius Jagellonici Solis ſplendor diu quaſi præſtrinxit,

ſtrinxit, quemadmodum fieri ſolet in his oris, ubi Regibus non eſt integrum, domum ſuam magnis honoribus, aut opibus publicis altè attollere. Interim illi, etſi agnatis Regibus minores, egregiis ſemper facinoribus animum excelſo genere dignum oſtendêre. Memorant annales noſtri, *Demetrium Coributum*, cum tribus filiis, in celeberrimo magni *Vitoldi*, contra *Tamerlanem* orbis totius terrorem, conflictu, fortiſſimè pugnando, cecidiſſe. De Coributéo etiam genere fuit ille *Sigiſmundus*, quem ob Virtutis famam Bohemi aliquando domi diſcordes, & in fide diſſoni, ad Sceptrum vocavére. Cui, uti eâ in re favit Vitoldus, ita adverſatus eſt Vladislaus Jagiello Rex Poloniæ, cùm ob alias pias cauſas, tùm quod Sigiſmundo Cæſari, æmulum illum, ægerrimè ferenti, gratificari vellet. Memorabilis eſt pugna illa, quâ Conſtantinus Dux *Oſtrogius*, inter inclytæ *Matris* Tuæ atque adeò Tuos progenitores, ut infrà patebit, numerandus, viginti millia Tartarorum ad Lopuſnam cecidit. At pars magna prælii illius fuit MICHAEL Dux Viſnovecius cum filiis ſuis. Is deinceps quoq; pro-

prio

prio ductu eosdem ſubinde hoſtes feliciter fudit, ipſum etiam cubile Scythicum, TauricamCherſoneſum invadere auſus,& multâ iſtic ſtrage datâ, magnos Chriſtianorum greges vinculis Scythicis liberare ſolitus. Ampliſſimum hodieq; virtutis virtutis Viſniovecianæ monumentum eſt, Inſula quædam Boryſthene circumflua, quæ quod olim *Demetrio* Viſniovecio à Tartaricis conflictibus revertenti, ſuffugium dederat, nomen ab illo accepit. Jure dixerimus, glorioſiſſimam Familiam veſtram domandis Tartaris, vindicandisque contra infideles populos Chriſtianis conſecratam eſſe, atque inde CRUCEM, inſigne Chriſtianorum, LUNÆ & STELLÆ ſuperpoſitam, in Stemmate geſtare. Facilè etiam perſpici poteſt, Pietatem tam Præluſtris DOMUS, jam tandem CORONA in his etiam terris dignam à Deo judicatam eſſe, nihilq; non præclarumReligioniChriſtianæ promittere. Fuderunt, REX SERENISSIME, Majores Tui inimicum Chriſto ſangvinem, fuderunt etiam, pro gloriâ Chriſtiani nominis, ſuum. Ille ipſe ſangvis nunc in Te accipit brabeum Regium,

nunc

nunc in purpurâ Tuâ nitescit. Sub Sigismundo Augusto *Demetrius* Visniovecius, Michaëlis filius, ad Valachiæ Principatum vocatùs fortiter & gloriosè aliquandiu tenuit clavum, sed ingenti potentiæ Turcicæ moli tandem impar, Solymannianæ crudelitatis postremò extitit victima. Sub Sigismundo III. gloriosissimæ memoriæ Rege, *Constantinus* Dux Visniovecius non modicis copiis juvit magnum Regni Ducem & Cancellarium Joannem Zamoscium, Proavum Tuum, cùm is anno millesimo sexcentesimo, arreptis contra Michcelem, nominatissimum eo tempore & multis formidatum Moldaviæ invasorem, armis, nobilem illam ad Telesinum amnem Victoriam reportavit, debellatoq; Michaële, duos Palatinos, Simeonem & Jeremiam, illum Valachiâ, hunc Moldaviâ à Michaële violenrer ejectum, dignitati suæ restituit. *Constantinus* item inter præcipuos fuit illorum, qui notâ Orbi universo Demetrianâ procellâ vastissimum Moscoviæ Imperium concussère: quo tempore, nisi Virtutem Polonam hæsitans Aula nostra destituisset, omnis illa Moscorum potentia sub Jagiellonii sangvi-

ſangvinis faſces venire potuit. Ex *Conſtantino Viſniovecio* Palatino Ruſſiæ, quē grandævum juvenis noveram, natus fuit Januſſius Supremus Stabuli Regni Præfectus, Gubernator Cremenecenſis, Dux generoſisſimi animi, & domi foriſque de Patriâ benè mereri amans, hæres *Zbaraſiorum* Ducum, qui ex eadem Stirpe *Coributeâ* oriundi, præclaris Virtutibus ad illuſtrem famam & in Republicâ autoritatem pervenerant. Meminimus ex eo genere duos fratres *Georgium* & *Chriſtophorum*, quorum ille Caſtellanus Cracovienſis, & ſic Princeps Senatûs, alter Archi-Hippocomus Regni, ſtudiis popularibus Ordini Equeſtri dilectiſſimus, illuſtri inprimis ad Portam Ottomanicam Legatione Orbi innotuit. Sed uterque cælebs mortuus, decora & fortunas amplisſimas in proximam, ut dixi, Domum TUAM transfudit. Januſſius Dux, quem nominavi, cum non unam reliquiſſet prolem, jam inprimis famam magnæ Domûs, unà cum Fratre ſtrenuiſſimo D. *Conſtantino*, illuſtrat fortiſſimus Dux. *

* *Hi duo fratres hoc tempore, quo iſta iteratò eduntur, poſt res contra Coſacos,*

Tar-

Tartaros, Turcas præclarè gestas, altius evecti, & Dux quidem Demetrius non solùm summum in exercitus Regni imperium, sed & Palatini Cracoviensis dignitatem assecutus, alter Palatinus Belzensis renunciatus est. *Demetrius* Palatinus Belzensis, militiæ Campestris Ductor, amor Civium, decus Russiæ, totiusq; Reipublicæ, quam cum cæteris Poloniæ Hectoribus animose defendit. Sed ad Progenitores Tuos, REX SERENISSIME, revertimur. Sunt anni amplius quinquaginta, cùm Avus TUUS Michael Dux Visniovecius, ductâ Valachiæ Palatini filiâ, contra Tomzam, qui Turcicæ potentiæ patrocinio innixus, legitimum Palatinum dignitate suâ depulerat, privatis auspiciis, sociante operam affine suo, *Samuele Corecio,* Viro ob fortitudinem celeberrimo, bellum gessit, & multis quidem congressibus (quindecim illustris Scriptor Piasecius innuit) Victor extitit, sed prævalente Turcarum potentiâ, & fati præcocis sævitiâ, vitam prius, quàm bellum finiit. Jam inclyti Patris Tui, *Jeremiæ, Palatini Russiæ,* res gestas, quæ industria styli, quæ verborum copia dignè edisserat? Cujus tota vita verissi-

ma fuit militia. Ingenio ad Martem compositus, à primis statim adolescentiæ annis ad tutandos ampliandosq; fines se applicuerat. Et mirificâ quâdam dexteritate, eò vix puber pervenit, ut simul miles, & Dux militum esset; Fortuna Majorum ita ditatus, ut exercitum suo ære, intra brevissimum temporis spatium, conficere posset, ita porrò indole & virtute suâ comparatus, ut quos confecerat, ipse bellissimè & regeret & duceret in hostem. Unde Magno illi *Stanislao Coniecpolscio* in frænandis Cosacis compescendisq; Tartaris, præcipuus semper comes atque adiutor exstitit. Præclara ipsius, ut alibi, sic in prælio Ochmatoviano, quo Tartari, anno 1644. memorabilem cladem accepêre, fortitudo enituit. Et postea inclytis etiam successoribus Coniecpolscii, *Potociis Ducibus*, ob promptissima, quæ subinde defendendis Reipubl. limitibus addicebat, auxilia, dilectus cultusque fuit. Sed apud alios quosdam, usitato magnorum Virorum fato, plus invidiæ, quàm gratiæ expertus est, non aliâ ferè ex causâ, quàm quod laudes ej9 & merita, aurâ populari, altiùs vehi viderentur.

nominando, incredibili protenùs harmoniâ consonarent? Unde tam multorum & grandium Capitum, unde plusquam duodecim legionum, unde tot Provincialium Nunciorum tam subitus consensus, nisi à rectore cordium Deo? Cujus adeò nutum omnes jam, etiam qui tardiùs eum principiò agnoverant, reverentibus animis venerantur. Nemo enim non animadvertit, quanto discrimine constiturus fuerit externus, quicunq; præpolluisset. Nam nec Competitores Regni, nec Cives ipsi, cessuri sibi invicem erant sine sangvine mutuo. Coruscat adhuc ante oculos nostros acies illa gladii civilis, nodum hunc Gordium, qui nitentibus in diversa studiis indies magis implicabatur, vi tandem dissecturi, nisi eum dextera Domini per Te, datum cælitùs MICHAELEM, inopinatò solvisset. Oberrat usque animis imago populi, in nova vulnera, antequam vetera cöaluerant, prono impetu ruentis. Occursat facies optimæ Matris Reipubl., infestis filiorum suorum & mox peregrinorum simul unguibus concerpendæ, atque, ob alienum ambitum, suis dissidiis pessum

ituræ. Certè, niſi Tu, REX SERENISSIME, divino diſpoſitu interveniſſes, miſerabili sciſſurâ in partes, ſub diverſis Ducibus, iviſſet Reſpublica, aut unus Candidatorum, depulſo æmulo, per ſtragem hominum, tramite cruento veniſſet ad Solium, factâq; dein poſt ſolitudinem pace, libertati, delicatiſſimo gentis noſtræ bono, gravis aut ſaltem formidabilis extitiſſet. Nunc non citra tempeſtuoſos quidem æſtus commotæ multitudinis; attamen citra ſangvinem, libertate non ſolùm in præſens incolumi, ſed & inpoſterùm ſecurâ, confectum habemus negotium, & jure nobis gratulari debent, etiam qui poſtpoſiti videntur. Agnoſcendum enim eſt, Deo, Naturæ, prudentiæ & æquitati repugnaturum fuiſſe; quisquis huic Electioni repugnare auſus eſſet. Deus, ut in populo olim ſibi unicè dilecto, ita nunc in Poloniâ, fratrem fratribus imperare voluit. Natura ſangvinem proprium anteponi juſſit alieno. Prudentia prohibuit quæri foris, quod domi inveniri potuit. Æquitas popoſcit, ut liberrimo Populo plena & integra eligendi poteſtas relinqueretur, nec Reipubl.

imponeretur Dominus, nisi cui se ipsa ultrò submitteret. Et jure illa ostendere Orbi debuit, se, quid sibi conducat, rectiùs intelligere, quàm quisquam externus, nimiamq; adeò curam remittere iis, qui res Poloniæ suis merè utilitatibus metiri solent. Sed si ullus adhuc superest, qui Te electum mirari pergat, is palam facit, se Natales Tuos nescire, se virtutes etiam Majorum & Tuas ignorare, aut maligniùs cepisse. Nemo, qui vel à primo limine terram aut annales Polonorum salutavit, antiquissima *Ducum Visnioveciorum* decora non aut legit, aut fando accepit. Prima equidem inclytæ hujus Domus initia, uti ferè omnium, quæ vetustate præcellunt, memorias excedunt temporum. Quod inprimis in hoc Septentrione minùs mirandum est, cui radii literarum seriùs illuxêre. Sed sufficit nobis, ab annis plus *quadringentis* Seriem Progenitorum Tuorum recenseri posse. Ad gloriam verò satis hoc illustre & magnificum est, quod iisdem Natalibus *Visnovecii* censeantur, quibus ortus est Regum clarissimus *Vladislaus Jagiello*, qui primus Lithvaniam ad Sacra Christiana & simul ad Unio-

nem

nem Regni Polonici adduxit. Is quippe *Olgerdi*, Magni Ducis Lithvaniæ filius fuit, ſed ejusdem filius quoque fuit *Coributus, Dux Sereriæ*, à quo & originem & nomen illuſtriſſima familia Veſtra ducit *Quatuor penè ſeculis* regnavit hîc poſteritas Jagiellonis, & adeò ob egregia merita, æſtimata eſt à Polonis, ut ultra mare etiam, & in ſexu ſequiore aliquando ſit quæſita. Nunc poſtquam ultimus ejus *ſurculus*, Sereniſſimus Rex JOANNES CASIMIRUS ſceptro quietem ante habuit, in fraternum Jagiellonis ſangvinem felice tranſitu incidit Electio. Quod ſi igitur generis ornamenta ſpectentur, non eſt, REX SERENISSIME, cur cuiquam Principum poſtponi debuiſſe videaris, eſt, cur anteponi debueris omnibus. TUUM eſt, quicquid Jagiellonia Domus poſſidet decorum: quicquid eadem affinitatum cum Europæ Principibus, Regibus, Imperatoribus habet, ad Te pertinet. In Te deficiens Jagiellonicæ ſtirpis gloria & nomen veriſſimè jam reſplendeſcit. A Te inſuper novam lucem accipiunt Majores Tui, quorum cognatum lumen Regius Jagellonici Solis ſplendor diu quaſi præ-

ſtrinxit, quemadmodum fieri ſolet in his oris, ubi Regibus non eſt integrum, domum ſuam magnis honoribus, aut opibus publicis altè attollere. Interim illi, etſi agnatis Regibus minores, egregiis ſemper facinoribus animum excelſo genere dignum oſtendêre. Memorant annales noſtri, *Demetrium Coributum*, cum tribus filiis, in celeberrimo magni *Vitoldi*, contra *Tamerlanem* orbis totius terrorem, conflictu, fortiſſimè pugnando, cecidiſſe. De Coributéo etiam genere fuit ille *Sigiſmundus*, quem ob Virtutis famam Bohemi aliquando domi diſcordes, & in fide diſſoni, ad Sceptrum vocavére. Cui, uti eâ in re favit Vitoldus, ita adverſatus eſt Vladislaus Jagiello Rex Poloniæ, cùm ob alias pias cauſas, tùm quod Sigiſmundo Cæſari, æmulum illum, ægerrimè ferenti, gratificari vellet. Memorabilis eſt pugna illa, quâ Conſtantinus Dux *Oſtrogius*, inter inclytæ *Matris* Tuæ atque adeò Tuos progenitores, ut infrà patebit, numerandus, viginti millia Tartarorum ad Lopuſnam cecidit. At pars magna prælii illius fuit MICHAEL Dux Viſnovecius cum filiis ſuis. Is deinceps quoq; pro-

prio

prio ductu eosdem ſubinde hoſtes feliciter fudit, ipſum etiam cubile Scythicum, TauricamCherſoneſum invadere auſus, & multâ iſtic ſtrage datâ, magnos Chriſtianorum greges vinculis Scythicis liberare ſolitus. Ampliſſimum hodieq; virtutis virtutis Viſniovecianæ monumentum eſt, Inſula quædam Boryſthene circumflua, quæ quod olim *Demetrio* Viſniovecio à Tartaricis conflictibus revertenti, ſuffugium dederat, nomen ab illo accepit. Jure dixerimus, glorioſiſſimam Familiam veſtram domandis Tartaris, vindicandisque contra infideles populos Chriſtianis conſecratam eſſe, atque inde CRUCEM, inſigne Chriſtianorum, LUNÆ & STELLÆ ſuperpoſitam, in Stemmate geſtare. Facilè etiam perſpici poteſt, Pietatem tam Præluſtris DOMUS, jam tandem CORONA in his etiam terris dignam à Deo judicatam eſſe, nihilq; non præclarumReligioniChriſtianæ promittere. Fuderunt, REX SERENISSIME, Majores Tui inimicum Chriſto ſangvinem, fuderunt etiam, pro gloriâ Chriſtiani nominis, ſuum. Ille ipſe ſangvis nunc in Te accipit brabeum Regium,

nunc

nunc in purpurâ Tuâ nitescit. Sub Sigismundo Augusto *Demetrius* Visniovecius, Michaëlis filius, ad Valachiæ Principatum vocatùs fortiter & gloriosè aliquandiu tenuit clavum, sed ingenti potentiæ Turcicæ moli tandem impar, Solymannianæ crudelitatis postremò extitit victima. Sub Sigismundo III. gloriosissimæ memoriæ Rege, *Constantinus* Dux Visniovecius non modicis copiis juvit magnum Regni Ducem & Cancellarium Joannem Zamoscium, Proavum Tuum, cùm is anno millesimo sexcentesimo, arreptis contra Michcelem, nominatissimum eo tempore & multis formidatum Moldaviæ invasorem, armis, nobilem illam ad Telesinum amnem Victoriam reportavit, debellatoq; Michaële, duos Palatinos, Simeonem & Jeremiam, illum Valachiâ, hunc Moldaviâ à Michaële violenrer ejectum, dignitati suæ restituit. *Constantinus* item inter præcipuos fuit illorum, qui notâ Orbi universo Demetrianâ procellâ vastissimum Moscoviæ Imperium concussère: quo tempore, nisi Virtutem Polonam hæsitans Aula nostra destituisset, omnis illa Moscorum potentia sub Jagiellonii sangvi-

ſangvinis faſces venire potuit. Ex *Conſtantino Viſniovecio* Palatino Ruſſiæ, quẽ grandævum juvenis noveram, natus fuit Janusſius Supremus Stabuli Regni Præfectus, Gubernator Cremenecenſis, Dux generoſisſimi animi, & domi forisque de Patriâ benè mereri amans, hæres *Zbaraſiorum* Ducum, qui ex eadem Stirpe *Coributeâ* oriundi, præclaris Virtutibus ad illuſtrem famam & in Republicâ autoritatem pervenerant. Meminimus ex eo genere duos fratres *Georgium* & *Chriſtophorum*, quorum ille Caſtellanus Cracovienſis, & ſic Princeps Senatûs, alter Archi-Hippocomus Regni, ſtudiis popularibus Ordini Equeſtri dilectiſſimus, illuſtri inprimis ad Portam Ottomanicam Legatione Orbi innotuit. Sed uterque cælebs mortuus, decora & fortunas amplisſimas in proximam, ut dixi, Domum TUAM transfudit. Januſſius Dux, quem nominavi, cum non unam reliquiſſet prolem, jam inprimis famam magnæ Domûs, unà cum Fratre ſtrenuiſſimo D. *Conſtantino*, illuſtrat fortiſſimus Dux. *

* *Hi duo fratres hoc tempore, quo iſta iteratò eduntur, poſt res contra Coſacos,*

Tar-

Tartaros, Turcas præclarè gestas, altius evecti, & Dux quidem Demetrius non solùm summum in exercitus Regni imperium, sed & Palatini Cracoviensis dignitatem assecutus, alter Palatinus Belzensis renunciatus est. *Demetrius* Palatinus Belzensis, militiæ Campestris Ductor, amor Civium, decus Russiæ, totiusq; Reipublicæ, quam cum cæteris Poloniæ Hectoribus animose defendit. Sed ad Progenitores Tuos, REX SERENISSIME, revertimur. Sunt anni amplius quinquaginta, cùm Avus TUUS Michael Dux Visniovecius, ductâ Valachiæ Palatini filiâ, contra Tomzam, qui Turcicæ potentiæ patrocinio innixus, legitimum Palatinum dignitate suâ depulerat, privatis auspiciis, sociante operam affine suo, *Samuele Corecio*, Viro ob fortitudinem celeberrimo, bellum gessit, & multis quidem congressibus (quindecim illustris Scriptor Piasecius innuit) Victor extitit, sed prævalente Turcarum potentiâ, & fati præcocis sævitiâ, vitam prius, quàm bellum finiit. Jam inclyti Patris Tui, *Jeremiæ, Palatini Russiæ,* res gestas, quæ industria styli, quæ verborum copia dignè edisserat? Cujus tota vita verissi-

ma fuit militia. Ingenio ad Martem compoſitus, à primis ſtatim adoleſcentiæ annis ad tutandos ampliandosq; fines ſe applicuerat. Et mirificâ quâdam dexteritate, eò vix puber pervenit, ut ſimul miles, & Dux militum eſſet; Fortuna Majorum ita ditatus, ut exercitum ſuo ære, intra brevisſimum temporis ſpatium, conficere poſſet, ita porrò indole & virtute ſuâ comparatus, ut quos confecerat, ipſe belliſſimè & regeret & duceret in hoſtem. Unde Magno illi *Stanislao Coniecpolſcio* in frænandis Coſacis compeſcendisq; Tartaris, præcipuus ſemper comes atque adiutor exſtitit. Præclara ipſius, ut alibi, ſic in prælio Ochmatoviano, quo Tartari, anno 1644. memorabilem cladem accepêre, fortitudo enituit. Et poſtea inclytis etiam ſucceſſoribus Coniecpolſcii, *Potocijs Ducibus*, ob promptisſima, quæ ſubinde defendendis Reipubl. limitibus addicebat, auxilia, dilectus cultusque fuit. Sed apud alios quosdam, uſitato magnorum Virorum fato, plus invidiæ, quàm gratiæ expertus eſt, non aliâ ferè ex causâ, quàm quod laudes ej9 & merita, aurâ populari, altiùs vehi viderentur.

Et

Et ipſe Virtute ſuâ fretus, cenſuque proprio dives, æmulos contemnere, quàm conciliare malebat. Secutum poſtea eſt belli ſervilis incendium, quo uti indignis modis ambuſta eſt fortuna ac potentia Principis, ita virtus clariùs exſplenduit: eo tamen maximè dolenda, quod iratum vitiis noſtris cœlum neceſſitatem illi fecit in rebelli plebe exercendi ferrum, quod antehac ſangvine Scythico pulchriùs rubuerat. Sed & illam Hydram ſatis feliciter domare cæpit Sarmaticus hic Hercules, profligatis rebellibus copiis ad Conſtantinovum, & re nuſquam non benè geſtâ, ubi nutu ſuo agere potuit. Illis utique laureis tantùm rurſus inter Cives favorem ſibi peperit, ut, orbatâ & Capite & militiæ Ducibus Republicâ, non alius potiùs belli regimine dignus cenſeretur. Poſthabitus, laborantis ſub invidiâ fatum virtutis agnovit, ſed ſimul mox feralia Reipublicæ vulnera vidit, quibus nemo non perſpicere potuit, quæ eſſet illi injuria, quæ tantis calamitatibus expiaretur. Poſt Pilaucianæ militiæ diffluxum, idem *magnus Parens Tuus*, collecti velut è naufragâ rate tabulis, Zamoſcianum

num munimentum, hærede ejus Illustrissimo Avunculo Tuo tum absente, contra hostes firmavit, & alibi passim, quà potuit, Patriæ sidenti porrexit manum. Vel in Zbarazianæ deinceps obsidionis tempestate, quàm intrepidum ille animi vigorem testatus est. Exigui oppidi terminis inclusus, cum aliis illustribus Viris (inter quos ex proximo sangvine fuit Dux fortissimus Demetrius Visniovecius) & omni penè militiæ Polonæ robore, quàm ad præclara facinora, omnibus, & hortatu & exemplo, præivit? quàm gloriosè vastam illam Cosacorum Scytharumque, quos Chanus impulsore Chmielnicio adduxerat, multitudinem plusquam duobus mensibus, non detinuit modò, sed creberrimis excursionibus lassavit, attrivitque, sociantibus strenuè operam Ducibus, militibusq;, qui illic simul erant? Supervenit deinde DEus è machinâ, qui & Serenissimum Regem alibì ad Zboroviam periclitantem, & deinceps Patrem Tuum cum tot eximiis Reipubl. capitibus, felicissimâ transactione cum Chano factâ, exemit discrimini, sed ut in aliud mox thearrum deduceret, in quo & Rex, & Pater

imponeretur Dominus, nisi cui se ipsa ultrò submitteret. Et jure illa ostendere Orbi debuit, se, quid sibi conducat, rectiùs intelligere, quàm quisquam externus, nimiamq; adeò curam remittere iis, qui res Poloniæ suis merè utilitatibus metiri solent. Sed si ullus adhuc superest, qui Te electum mirari pergat, is palam facit, se Natales Tuos nescire, se virtutes etiam Majorum & Tuas ignorare, aut maligniùs cepisse. Nemo, qui vel à primo limine terram aut annales Polonorum salutavit, antiquissima *Ducum Visnioveciorum* decora non aut legit, aut fando accepit. Prima equidem inclytæ hujus Domus initia, uti ferè omnium, quæ vetustate præcellunt, memorias excedunt temporum. Quod inprimis in hoc Septentrione minùs mirandum est, cui radii literarum seriùs illuxêre. Sed sufficit nobis, ab annis plus *quadringentis* Seriem Progenitorum Tuorum recenseri posse. Ad gloriam verò satis hoc illustre & magnificum est, quod iisdem Natalibus *Visnovecii* censeantur, quibus ortus est Regum clarissimus *Vladislaus Jagiello*, qui primus Lithvaniam ad Sacra Christiana & simul ad Unio-

nem

nem Regni Polonici adduxit. Is quippe *Olgerdi*, Magni Ducis Lithvaniæ filius fuit, ſed ejusdem filius quoque fuit *Coributus, Dux Sereriæ*, à quo & originem & nomen illuſtriſſima familia Veſtra ducit *Quatuor penè ſeculis* regnavit hîc poſteritas Jagiellonis, & adeò ob egregia merita, æſtimata eſt à Polonis, ut ultra mare etiam, & in ſexu ſequiore aliquando ſit quæſita. Nunc poſtquam ultimus ejus *ſurculus*, Sereniſſimus Rex JOANNES CASIMIRUS ſceptro quietem ante habuit, in fraternum Jagiellonis ſangvinem felice tranſitu incidit Electio. Quod ſi igitur generis ornamenta ſpectentur, non eſt, REX SERENISSIME, cur cuiquam Principum poſtponi debuiſſe videaris, eſt, cur anteponi debueris omnibus. TUUM eſt, quicquid Jagiellonia Domus poſſidet decorum: quicquid eadem affinitatum cum Europæ Principibus, Regibus, Imperatoribus habet, ad Te pertinet. In Te deficiens Jagiellonicæ ſtirpis gloria & nomen veriſſimè jam reſplendeſcit. A Te inſuper novam lucem accipiunt Majores Tui, quorum cognatum lumen Regius Jagellonici Solis ſplendor diu quaſi præ-

ſtrinxit, quemadmodum fieri ſolet in his oris, ubi Regibus non eſt integrum, domum ſuam magnis honoribus, aut opibus publicis altè attollere. Interim illi, etſi agnatis Regibus minores, egregiis ſemper facinoribus animum excelſo genere dignum oſtendêre. Memorant annales noſtri, *Demetrium Coributum*, cum tribus filiis, in celeberrimo magni *Vitoldi*, contra *Tamerlanem* orbis totius terrorem, conflictu, fortiſſimè pugnando, cecidiſſe. DeCoributéo etiam genere fuit ille *Sigiſmundus*, quem obVirtutis famam Bohemi aliquando domi diſcordes, & in fide diſſoni, ad Sceptrum vocavére. Cui, uti eâ in re favit Vitoldus, ita adverſatus eſt Vladislaus Jagiello Rex Poloniæ, cùm ob alias pias cauſas, tùm quod Sigiſmundo Cæſari, æmulum illum, ægerrimè ferenti, gratificari vellet. Memorabilis eſt pugna illa, quâ Conſtantinus Dux *Oſtrogius*, inter inclytæ *Matris* Tuæ atque adeò Tuos progenitores, ut infrà patebit, numerandus, viginti millia Tartarorum ad Lopuſnam cecidit. At pars magna prælii illius fuit MICHAEL Dux Viſnovecius cum filiis ſuis. Is deinceps quoq; proprio

prio ductu eosdem ſubinde hoſtes feliciter fudit, ipſum etiam cubile Scythicum, TauricamCherſoneſum invadere auſus,& multâ iſtic ſtrage datâ, magnos Chriſtianorum greges vinculis Scythicis liberare ſolitus. Ampliſſimum hodieq; virtutis virtutis Viſniovecianæ monumentum eſt, Inſula quædam Boryſthene circumfiua, quæ quod olim *Demetrio* Viſniovecio à Tartaricis conflictibus revertenti, ſuffugium dederat, nomen ab illo accepit. Jure dixerimus, glorioſiſſimam Familiam veſtram domandis Tartaris, vindicandisque contra infideles populos Chriſtianis conſecratam eſſe, atque inde CRUCEM, inſigne Chriſtianorum, LUNÆ & STELLÆ ſuperpoſitam, in Stemmate geſtare. Facilè etiam perſpici poteſt, Pietatem tam Præluſtris DOMUS, jam tandem CORONA in hîs etiam terris dignam à Deo judicatam eſſe, nihilq; non præclarumReligioniChriſtianæ promittere. Fuderunt, REX SERENISSIME, Majores Tui inimicum Chriſto ſangvinem, fuderunt etiam, pro gloriâ Chriſtiani nominis, ſuum. Ille ipſe ſangvis nunc in Te accipit brabeum Regium,

nunc in purpurâ Tuâ nitescit. Sub Sigismundo Augusto *Demetrius* Visniovecius, Michaëlis filius, ad Valachiæ Principatum vocatùs fortiter & gloriosè aliquandiu tenuit clavum, sed ingenti potentiæ Turcicæ moli tandem impar, Solymannianæ crudelitatis postremò extitit victima. Sub Sigismundo III. gloriosissimæ memoriæ Rege, *Constantinus* Dux Visniovecius non modicis copiis juvit magnum Regni Ducem & Cancellarium Joannem Zamoscium, Proavum Tuum, cùm is anno millesimo sexcentesimo, arreptis contra Michcelem, nominatissimum eo tempore & multis formidatum Moldaviæ invasorem, armis, nobilem illam ad Telesinum amnem Victoriam reportavit, debellatoq; Michaële, duos Palatinos, Simeonem & Jeremiam, illum Valachiâ, hunc Moldaviâ à Michaële violenrer ejectum, dignitati suæ restituit. *Constantinus* item inter præcipuos fuit illorum, qui notâ Orbi universo Demetrianâ procellâ vastissimum Moscoviæ Imperium concussère: quo tempore, nisi Virtutem Polonam hæsitans Aula nostra destituisset, omnis illa Moscorum potentia sub Jagiellonii sangvi-

ſangvinis faſces venire potuit. Ex *Conſtantino Viſniovecio* Palatino Ruſſiæ, quē grandævum juvenis noveram, natus fuit Januſſius Supremus Stabuli Regni Præfectus, Gubernator Cremenecenſis, Dux generoſiſſimi animi, & domi foriſque de Patriâ benè mereri amans, hæres *Zbaraſiorum* Ducum, qui ex eadem Stirpe *Coributeâ* oriundi, præclaris Virtutibus ad illuſtrem famam & in Republicâ autoritatem pervenerant. Meminimus ex eo genere duos fratres *Georgium* & *Chriſtophorum*, quorum ille Caſtellanus Cracovienſis, & ſic Princeps Senatûs, alter Archi-Hippocomus Règni, ſtudiis popularibus Ordini Equeſtri dilectiſſimus, illuſtri inprimis ad Portam Ottomanicam Legatione Orbi innotuit. Sed uterque cælebs mortuus, decora & fortunas ampliſſimas in proximam, ut dixi, Domum TUAM transfudit. Januſſius Dux, quem nominavi, cum non unam reliquiſſet prolem, jam inprimis famam magnæ Domûs, unà cum Fratre ſtrenuiſſimo D. *Conſtantino*, illuſtrat fortiſſimus Dux. *

* *Hi duo fratres hoc tempore, quo iſta iteratò eduntur, poſt res contra Coſacos,*

Tar-

Tartaros, Turcas præclarè gestas, altius e-vecti, & Dux quidem Demetrius non solùm summum in exercitus Regni imperium, sed & Palatini Cracoviensis dignitatem assecutus, alter Palatinus Belzensis renunciatus est. *Demetrius* Palatinus Belzensis, militiæ Campestris Ductor, amor Civium, decus Russiæ, totiusq; Reipublicæ, quam cum cæteris Poloniæ Hectoribus animose defendit. Sed ad Progenitores Tuos, REX SERENISSIME, revertimur. Sunt anni amplius quinquaginta, cùm Avus TUUS Michael Dux Visniovecius, ductâ Valachiæ Palatini filiâ, contra Tomzam, qui Turcicæ potentiæ patrocinio innixus, legitimum Palatinum dignitate suâ depulerat, privatis auspiciis, sociante operam affine suo, *Samuele Corecio,* Viro ob fortitudinem celeberrimo, bellum gessit, & multis quidem congressibus (quindecim illustris Scriptor Piasecius innuit) Victor extitit, sed prævalente Turcarum potentiâ, & fati præcocis sævitiâ, vitam prius, quàm bellum finiit. Jam inclyti Patris Tui, *Jeremiæ, Palatini Russiæ,* res gestas, quæ industria styli, quæ verborum copia dignè edisserat? Cujus tota vita verissi-

ma fuit militia. Ingenio ad Martem compositus, à primis statim adolescentiæ annis ad tutandos ampliandosq; fines se applicuerat. Et mirificâ quâdam dexteritate, eò vix puber pervenit, ut simul miles, & Dux militum esset; Fortuna Majorum ita ditatus, ut exercitum suo ære, intra brevissimum temporis spatium, conficere posset, ita porrò indole & virtute suâ comparatus, ut quos confecerat, ipse bellissimè & regeret & duceret in hostem. Unde Magno illi *Stanislao Coniecpolscio* in frænandis Cosacis compescendisq; Tartaris, præcipuus semper comes atque adiutor exstitit. Præclara ipsius, ut alibi, sic in prælio Ochmatoviano, quo Tartari, anno 1644. memorabilem cladem accepêre, fortitudo enituit. Et postea inclytis etiam successoribus Coniecpolscii, *Potociis Ducibus*, ob promptissima, quæ subinde defendendis Reipubl. limitibus addicebat, auxilia, dilectus cultusque fuit. Sed apud alios quosdam, usitato magnorum Virorum fato, plus invidiæ, quàm gratiæ expertus est, non aliâ ferè ex causâ, quàm quod laudes ej9 & merita, aurâ populari, altiùs vehi viderentur.

Et

Et ipse Virtute suâ fretus, censuque proprio dives, æmulos contemnere, quàm conciliare malebat. Secutum postea est belli servilis incendium, quo uti indignis modis ambusta est fortuna ac potentia Principis, ita virtus clariùs exsplenduit: eo tamen maximè dolenda, quod iratum vitiis nostris cœlum necessitatem illi fecit in rebelli plebe exercendi ferrum, quod antehac sangvine Scythico pulchriùs rubuerat. Sed & illam Hydram satis feliciter domare cœpit Sarmaticus hic Hercules, profligatis rebellibus copiis ad Constantinovum, & re nusquam non benè gestâ, ubi nutu suo agere potuit. Illis utique laureis tantùm rursus inter Cives favorem sibi peperit, ut, orbatâ & Capite & militiæ Ducibus Republicâ, non alius potiùs belli regimine dignus censeretur. Posthabitus, laborantis sub invidiâ fatum virtutis agnovit, sed simul mox feralia Reipublicæ vulnera vidit, quibus nemo non perspicere potuit, quæ esset illa injuria, quæ tantis calamitatibus expiaretur. Post Pilaucianæ militiæ diffluxum, idem *magnus Parens Tuus*, collecti velut è naufragâ rate tabulis, Zamoscia

nun

num munimentum, hærede ejus Illustrissimo Avunculo Tuo tum absente, contra hostes firmavit, & alibi passim, quà potuit, Patriæ sidenti porrexit manum. Vel in Zbarazianæ deinceps obsidionis tempestate, quàm intrepidum ille animi vigorem testatus est. Exigui oppidi terminis inclusus, cum aliis illustribus Viris (inter quos ex proximo sangvine fuit Dux fortissimus Demetrius Visniovecius) & omni penè militiæ Polonæ robore, quàm ad præclara facinora, omnibus, & hortatu & exemplo, præivit? quàm gloriosè vastam illam Cosacorum Scytharumque, quos Chanus impulsore Chmielnicio adduxerat, multitudinem plusquam duobus mensibus, non detinuit modò, sed creberrimis excursionibus lassavit, attrivitque, sociantibus strenuè operam Ducibus, militibusq;, qui illic simul erant? Supervenit deinde DEus è machinâ, qui & Serenissimum Regem alibì ad Zboroviam periclitantem, & deinceps Patrem Tuum cum tot eximiis Reipubl. capitibus, felicissimâ transactione cum Chano factâ, exemit discrimini, sed ut in aliud mox thearrum deduceret, in quo & Rex, & Pater

ter TUUS illustre iterùm Divinæ præsentiæ specimen caperent, darent fortitudinis. Non multò enim post Cosaci iterùm cum Tartaris adversùs Poloniam conspiravêre. Et vastissimæ molis exercitus in viscera Reipubl. tendebat, Chano ipso præsentiam suam denuò precibus & promissis Chmielnicii commodante. Cùm Rex Serenifs. JOANNES CASIMIRUS totius Regni vires ad Beresteciam collegisset, & jam hostis innumerabili numero instaret, tum laudatissimus *Heros, Pater Tuus*, primæ in hostem incursionis honorem à Majestate Regiâ ultrò poposcit: quo obtento, in densissimos Cosacorum cuneos fortissimâ manu invectus, rupit aciem, & nobilissimæ de Cosacorum ac Scytharum incredibili multitudine, post Deum & Regem auspicem, autor fuit Victoriæ. Sed tanto decori non diu superfuit: cœlo novis adhuc flagellis castigare Poloniam moliente. Et ideò ei placuit, tollere Principem, qui ultricem Nemesin maximè videbatur morari. Dum hostis profligata vestigia Dux fortissimus legit, febre inopinâ extingvitur, facto eò magis dolendo mirandoq;, quòd

is nuper acerrimè pugnando, morti toties obviam progreſſus, incolumis tamen evaſerat. Nunc inopinatâ & improvisâ morte ivit ad Heroum ſedes Heros incomparabilis, ivit plenus victoriarum palmis, plenus gloriæ laureis, ſed omnibus Patriam amantibus dolorem æternum & immortale ſui deſiderium reliquit: Patriæ verò ipſi immedicabile vulnus præmaturo obitu ſuo inflixit. Sub id planè tempus Muſa noſtra in texendo peplo Sarmatico occupabatur, & in ipſius illius Principis laudem moliri aliquid cœperat, cùm in medio conatu infelix rumor de morte ejus adſtrepuit. Ita læto impetu carmen orſus, inter lacrymas finivi. Quod poſtea aliquo modo auctum ſubjicere hîc lubet, meæ in laudatiſſimum Reipubl. olim Delicium & Columen, obſervantiæ futurum qualecunque monumentum.

An mea, Jeremia Princeps, Te Muſa ſilebit?
O CORIBUTEÆ ſplendide gentis apex!
Qui Jagiellonios contingis ſangvine Reges,
Olgerdosq; refers Gediminosq; Patres,
Qui genus illuſtras meritis, qui laudibus annos
Antevenis, Atavos par ſuperare Duces.

Hos

Hos licet antiquis virtus Heroibus æquet
Et vehat æternis inclyta fama tubis.
Arma capessentem tremuit Te barbara dudùm
Taurica, & instantem præpete fugit equo
Fulmineumq; Tuum sensit Crivonosſius ensem,
Sensit & Herculeam cætera Lerna manũ
Non Tibi par habuit fulcrum, cùm Rege careret
Patria, sub clypeo perstitit illa Tuo.
Unde Ducem belli toties vox publica legit,
Æmula sed meritis obstitit ira Tuis.
Heu mihi dicturo jam plura quis accidit ictus?
Strangulat ah vocem, quæ male fama meum?
Sit mendax, sit vana precor! falsoq; feratu
Crimine lethiferas fama gravâsse Deas
Si verum memorat: manes age grandis honoret
Principis, & tali lemmate fata notet:
Illa Ducis virtus, bellis invicta, supremo,
Cui soli potuit cedere, cessit Hero.
Reddita jam Cœlo defendere Lechida cessa,
Sed cessat nunquam Lechidos esse decu

Cæte-

Ceterùm Magni Parentis Tui fatum & laudes in opuſculo noſtro, quod Bereſtecianam præcipuè victoriam complectitur, legit jam dudùm Orbis eruditus, easdemq; prolixiore filo contextas legent illi, qui pleniorem Hiſtoriam noſtram, aliquando edendam, videbunt. Ille enim, etſi brevis nimiùm ævi Princeps, magnam partẽ operis mei implevit. Ubi *Tu* quoq;, *Rex Sereniſſime*, laudatiſſimi Patris, quem non diu in terris intueri *Tibi* licuit, imaginem, veriſſimis virtutum coloribus, expreſſam, legere non abnues: oblectaturus animum *Tuum* Herois memoriâ, qui, quondam ingens Patriæ ornamentum, ſummus Civium amor, ipsâ illâ, quâ fruebatur, gratiâ, fundamentum poſuit fortunæ quâ jam *Filius*, Deo auſpice, duce Republicâ, gaudes. Illius vultum, illius animum in *Te* gratiſſimâ memoriâ recolit Polonia. Olim illa te puerum miſerabatur, quem florentiſſimus ille ætate & gloriâ Princeps reliquerat tenerum, indigumque alienæ directionis, poſteà etiam unà cum *Illuſtriſſimâ Matre*, magnorum Zamoſciorum & Ducum Oſtrogienſium Koſtkarumque ſangvine, publicâ infeli-
cium

cium temporum vertigine eò redactum, ut ampliſſima Ducatus Tui latifundia, à rebelli turbâ poſſeſſa, extorris, nec niſi eminùs videres. Sed rectæ pubertatis Tuæ educationi nihil dempſit calamitas publica. Divinæ enim gratiæ nutu, Tui curam ſuſcepit Sereniſſimus *Carolus Ferdinandus Princeps Poloniæ*, Epiſcopus Plocenſis & Vratisiavienſis, magnus olim magni Parentis Tui amicus. Cujus inſigne erga ſe ſtudium Princeps ille expertus tum maximè fuerat, cùm vacante olim, poſt fata Vladislai IV. glorioſiſſimæ memoriæ, ſceptro Poloniæ, animi eligentium inter duos fratres vacillarent. Regnare enim is Carolum voluerat, etſi ignarus, hunc tandem fore, qui filium ſuum, Patre orbum, educaturus eſſet: neque Carolus ſcire potuit, educare ſe futurum Poloniæ Regem. Arcanâ tamen fatorum gubernatione ita res acta eſt, ut, licet Carolus ſceptrum non acceperit, nihilominùs erga magnum Parentem Tuum, ita ſe gratum præſtiterit, ac ſi id accepiſſet. Educatio porrò Tui tam bellè cecidit, ac ſi ad ſpem Regni à Principe Regio fuiſſes ſuſceptus. Uſque adeò mirificè conſilia identidem ſua abſcondi

ſcondit Deus, eaque per longas demùm ambages eventibus inexpectatis, ſolet evolvere: quando inprimis ſingulare & eximium quid molitur. Unde adeò in maximis quibusq; Viris admirabiles iſti Gubernationis Divinæ anfractus identidem obſervati ſunt ab Hiſtoricis. Cæterùm Regius ille educator, ut erat ſummæ probitatis, ita eximiâ illâ, & prorſus ſanctâ morum gravitate, tum in rebus agendis prudentiâ, vitâq; omni ex parte ordinatisſimâ, pulcherrimè Tibi adoleſcenti præluxit. Inprimis verò commendavit TIBI culturam artium illarum, quæ magnam fortunam illuſtrant, & plurimùm juvare poſſunt. His TU liberaliter innutritus, Martium illum ex Majoribus fervorem decoro ſapientiæ temperamento ad futuros uſus leniiſti: Deo jam tum vitæ Tuæ rationes ita adgubernante, ut animum maximarum rerum redderet capacem. Miſſus ad exteros nusquam levitatis aut luxuriæ, ubiq; generoſitatis, induſtriæ, prudentiæ, moderationis, humanitatis, fidei, conſtantiæ, &, quod ſummum eſt, pietatis, eximia dediſti ſpecimina, ubique amorem TUI, ubique, & inprimis in

Aulâ Cæsareâ optima famæ publicæ suffragia, sæpe & præclara judicia atq; etiam præsagia futurorum decorum retulisti. Reversus in Patriam, ærumnoso rerum nostrarum theatro ita interfuisti, ut nullâ TUI ostentatione provocares invidiam, potiùs verò cultu modico, comitate obviâ, amorem & simul tamen æstimationem TUI augeres, nihil incuriâ negligens, quod ad aptandum summis negotiis animum facere posse videretur. Otio actuoso tranquillus, Dei nutum spectâsti, inq; illius sinum deposuisti & fortunam TUAM. Illius assidua cura excubuit pro TE, & res TUAS, arcano tramite, duxit ad fastigium. Illius quoq; directione factum, ut, cùm civili tempestate in magna & cognata TIBI Capita ingens procella incubuisset, TU gratiam illibatam servares, quamvis à TE nullâ adulatione, nullo ignobili servitio prensaretur. Neq; etiam favor in TE aulicus Civium benevolentiam deminuit. Admirabili moderatione & quodam singulari seu fortunæ seu prudentiæ beneficio, æquè Principũ, quàm populi animos possedisti. Utrobique optimè de TE judicatum est, utrobique

bique animadverſum, in TE, licet privato, & nullis dum honoribus eminente, aliquid eſſe, quod regere magis, quàm regi mereatur. Nimirùm ita ſuam ſuper TE manum occultabat Deus, ut à prudentibus tamen obſervari poſſet. Et hinc in Aulâ ipsâ, ex ore Auguſtæ Principis, quæ diu & ad mortem usque materno Te gratiæ ſuæ gremio fovit, audita aliqvando vox: *Si Polonus ſuccedere ſceptro debeat, non alium quærendum.* Ita, licet in longinquum tenderent tum vota Aulæ, tamen animum ſagaciſſimæ Reginæ tam potentet movit Numen, ut non poſſet, quin & ſuum de Te ſenſum, & ſimul Cœleſte, quod ex eventu jam eluceſcit, decretum enuntiaret. Nec jam Sereniſſimus REX JOANNES CASIMIRUS, qui ſpontaneâ abdicatione ſuâ Tibi locum fecit, lætari non poteſt, Te ſurculum, Te Alumnum, Filiumq; adoptivum Auguſtæ Domûs ſuæ, ſibi ſuccedere. Et TU jure maximo veneraris PRINCIPEM, in cujus contubernio Regio & gratiâ adoleviſti, bonâ malâque fortunâ ejus domi forisq; ad prudentiam, huic ipſi theatro, quod jam ingreſſus es, neceſſariam pul-

cherrimè exercitus, Deo ipſo admirandis alieni regiminis caſibus, ad regimen rerum, TE, quod toties ingemino, præparante. Cujus occultâ vi quoque factum; ut, unicus cùm eſſes Parentum Tuorum Surculus, unica Spes Domûs Tuæ, de matrimonio tamen cogitare hactenùs diſtuleris. Cælibem TE manere oportuit, ut regali tandem thoro Conjugem, tali faſtigio dignam, ex uſu Reipubl., inducere queas. Sed qui animo Tuo cœlibatum hactenùs ſuaſit, idem etiam TIBI poteſtatem Tui dedit. Pietate, modeſtiâ ita temperâſti actiones TUAS; ut eo ipſo dignus habitus ſis alios regere, quod TE ipſum tam pulchrè rexiſti. A juvene juveniles culpæ abfuerunt. Virum TE moribus oſtendiſti, antequam eſſes, ætate, & verè ante ſumptam Togam ad purpuram maturuiſti. Nusquam, ſive Aulam, ſive Caſtra ſequereris, extra limites honeſti abiiſſe viſus es. Perpetuò conſtitiſti TIBI, virtuti ſemper advigilans, famam perpetuò reverens, & inter tot peccandi occaſiones, in illo juventæ lubrico, accuratus ſemper TUI cuſtos. Dei, Tuamq; pro TE curam juvit ſanctiſſima *Maternæ Domûs*

diſcipli-

disciplina. Cùm enim, post ereptum TIBI tenello Patrem, & deinceps alterum quoq; Parentem, Serenissimum Carolum Ferdinandum fato sublatum, adolescentiæ Tuæ regimen, in Principum Matronarum Decus, *Genitricem* incidisset, fuisti tam felix, ut in iis, quæ educationem spectant, nec Patrē desiderare posses. Quippe *Mater* Tibi contigit generosissimi animi, gravitate morum, Prudentiâ, peritiâ regendi adeò supra sexum suum eminens, ut multis etiam Viris palmam præripiat. Eminentissimis natalibus orta, nihil unquam, nisi, quod summam fortunam deceret, agitavit. Dignam se maximis Avis Atavisque præstare conata est, & præstitit abundè. Matrem & ipsa suam, magnam illam *Catharinam* expressit, quæ illustrissimâ Ducum Ostrogiensium & Kostkarum stirpe progenita, nihil in Domo suâ, nisi summè decorum, eminens, & splendidum viderat. In Russiâ Duces de Ostrog & Jarosław multis seculis primas tenuerunt, oriundi à grandi illo Vlodimiro Russiarum Duce, nec non Conjuge ejus *Annâ*, Romani, Imperatoris Bizantini Filiâ, Basilii & Constantini Imperatorum Sorore,

eoq; ipso summis Principum, Regum, & Cæsarum aliorum familiis innexi. Unde adeò ingens semper nomen eorum, ingens potentia, & supra potentiam Virtus exstitit. Sed cùm denique, nullâ relictâ sobole masculâ decessissent, magna fortunæ eorum pars aliò, pars in Maternam Tuam, & illustrissimam Ducum Lubomirsciorum Domum defluxit. Verùm *magna Genitrix Tua*, & Tu per illam, non minùs quoque ornamentorum ac decorum ex avitâ illustrissimorum Kostkarum familiâ hausisti: quæ inter majores suos numerat magnos illos Odrovanscios, numerat quoq; Conradum Masoviæ Ducem, & per hunc multos Cæsares Occidentis, tum & inclytos Poloniæ Reges, Casimirum Justum, Boleslaum Crivoustum, & quotquot hos, ad ipsum usque Miecislaum, sub quo Christianam religionem amplexa est Polonia, præcessêre. Hæc est illa Domus, quæ inter alia præclara nomina, produxit Joannem Palatinum Sendomiriæ, post excessum Henrici Valesii sceptro Poloniæ dignum habitum, si indigenam tum fata voluissent. Hæc eadem Domus, B. *Stanislaus Kostkam* tulit, qui Virgineæ casti-

tatis

tatis flore, & omnigenæ Sanctitudinis fastigio id obtinuit, ut inter cælites Patriæ Patronos reverentissimè colatur. Sed quanta porrò lux, quantus splendor est, quem eadem inclyta Genitrix in TE, REX SERENISSIME, cum sangvine Paterno profudit? Cui enim usquam terrarum ignotus est *Thomas Zamoscius* Genitor ipsius, Avus Tuus, Magnus olim Regni Cancellarius, summæ in Republicâ autoritatis, domi forisq; clarissimus Senator, Civibus Patriæ eximiè dilectus, Regibus etiam ipsis venerabilis, verbo dicam, dignus maximo Parente Filius. Nemo est, qui incomparabilem illum Heroem *Joannem Zamoscium* nesciat; cujus nomen cum audiunt, qui magnitudinem ejus ceperunt, nomen Virtutis & Sapientiæ ipsius audire sibi videntur. Non vanè illi olim tale Elogium posui:

Semi Deos æquans meritis Samoscius hic est
Ille ingens armis, nec minor ille Togâ.
Haud scio, quos Lechi sit terra datura Nepotes,
Hoc scio, majorem non dedit illa Virum.

Hîc jam laudes tanti Viri attrectare horreo, quia vereor, ne vel prolixitate mole-

ſtus ſim, vel brevitate iniquus in virtutem ac merita Herois. Nonnihil tamen delibare fas eſt, quia nulla pulchrior gemma Diademate Tuo addi poteſt, quàm quæ petitur ex gazophylacio Virtutnm Joannis Zamoſcii, Proavi Tui. Is ex Caſtellano Belzenſi, Chelmenſi Gubernatore genitus, Togatæ primùm Palladis ornamenta quæſivit, tantâq; induſtriâ & felicitate ingenii ad Sapientiæ culmen eluctatus eſt, ut, quotquot in orbe literati illo ævo fuerunt, eum pro Principe ingeniorum habuerint, ac paſſim, ut talem, deprædicâſint. In Patriâ deinde eodem ardore Martem, quo Muſas alibi ſecutus, eò gloriæ pervenit, ut ſeculum illud non habuerit bellatorem, qui cum ipſo paria faceret. Implevit ille trophæis ſuis Moſcoviam, Livoniam, Ruſſiam, Moldaviam, Valachiam, Sileſiam. Joannes Baſilides Moſcorum Dux, Carolus Sueciæ Moderator, ſæpiùs victi, Maximilianus captivus, Michael Palatinus Valachiâ ejectus, Kazigejus Tartarorum Princeps profligatus, Poloniæ fines non defenſi ſolùm, ſed latiſſimè propagati, monimenta ſunt Virtutis Zamoſcianæ. Geſtum plurimis an-

nis

nis ſummâ cum laude tum Sigillum Regni, tum Exercituum regimen, inſtitutum porrò in Patriâ tribunal Juſticiæ, fundata Urbs cognominis, & in eâ illuſtris Academia, ſervata dextrè authoritas Regum, defenſa ſimul Civium libertas, Stephani Regis in ipſum amor, cum Batoreâ, Regis cognatâ, matrimonium, grandium facultatum prudentiſſima, atq; ex uſu Reipubl. facta diſpenſatio, & alia infinita Viri magnitudinem clarè teſtantur. Famam ejusdem auxit ipſa invidia: neque enim hæc, niſi ab eminenti virtute, vel gigni vel vinci ſolet. Ille, ut magnitudine ſua malignam hanc umbram excitavit, ita conſtantiæ ſuæ fulgore diſcuſſit. Evecta ſupra odii, livoris, obtrectationis aſſultûs gloria Zamoſcii viget vigebitque in annalibus, in ore & calamis poſterorum, interq; exempla virtutum perpetuò erit, quicquid Joannes Zamoſcius vel dixit vel egit. Ego in his regni Tui primis auſpiciis, tum Virtuti Herois tanti, tum & gloriæ Tuæ, qualecunq; ſacrificium oblaturus, non aliud aptius reperiri poſſe me credidi, quàm, ſi magni illius Proavi Tui ultima certamina, poſtquam priora du-

dùm jam edita ſunt, unà cum glorioſa Mortis cataſtrophe, ſine mora in theatrum publicum producerem. Quò ſic Orbi extero quoq; liquidiùs conſtet, quàm non ſolùm TUAS, ſed & Majorum Tuorum virtutes gratia Divina, collato diademate Regio, coronare in Te voluerit, Tu digna Regis faſtigio decora, quæ brevi, Deo volente, exhibebo, non poteris niſi ſereno benignoque vultu ſuſcipere. Nam & innata planeq; propria Tibi eſt clementia, & quæ offeram, ſunt ejus coloris, ut nulli, niſi hoſti Tuo, diſplicere poſſint. Sunt enim primaria inclytæ Domûs Tuæ facinora, quibus Majores Tui Polonam Rempublicam, non ſolùm, ut communem Patriam defenderunt, ſed ſingulari ſtudio ac felicitate auxerunt, ornarunt, non ſecùs ac ſi præſenſiſſent, in Sangvinem ſuum deniq; regnaturum, & huic parari, quicquid laboribus ſuis publico accederet. TUA, REX SERENISSIME, Generoſitas, inſitis ſeſe ſtimulis ad ſublimia quæque exſuſcitans, omnibus haud dubiè nervis eò contendet, ut Majores Tuos, etſi longè maximos, non minùs omni virtutum laudumq; conſenſu

exſu-

exſuperes, quàm pleroſq; illos jam adito dignitatis Regiæ faſtigio antecellis. Sed idem Tu ipſum quoq; Nomen Tuum in gloriæ incitamentum ultrò vertes TIBI, vel utiq; verti non abnues. Primus Regum Poloniæ Principem Archangelorum habes Tibi cognominem. Feſta ejusdem Ducis Angelici luce Regium capeſſis diadema. Nefas fuerit augurari aliud, quàm, & Te omni ſtudio id acturum, ut reſpondeas tam Sancto Nomini, & magnum illum cæleſtium exercituum anteſignanum, Deo auſpice, fore comitem operum, fore ſoſpitatorem bellorum Tuorum. Unde nec futurum dubitamus, ut Draco impietatis, Draco perfidiæ, Draco diſcordiarum, Draco vitiorum & licentiæ, Draco denique omnis Regno huic adverſantis potentiæ, Virtuti & fortunæ Tuæ ſuccumbat. Quod ſi Nomini * Angelico novæ Dignitatis Tuæ vox, tranſpoſitis literis, adjungatur, quid niſi *Lex mera*, mera juſtitia emergit? claro omine, Te verè vivam legem omnibus æquè patentem, Te aſylum æquitatis & juſtitiæ fore. Pietas porrò jubet, alia quoque animo re-

* MICHAEL REX. *Anagr.* Hic mera lex.

colere bonæ ſpei auguria, atq; inprimis auſpicatiſſima & verè ominoſa vota, quibus optimus olim Pontifex, Delicium verè Orbis Chriſtiani, URBANUS VIII. celſiſſimorum Parentum Tuorum nuptias, Romæ, in Collegio Cardinalium, rari exempli ſolennitate conſecravit, quaſi ſingulari ac Divina quadam vi mentis præcipere viſus, TE, pretioſiſſimum Nuptiarum illarū & benedictionis ſuæ fructum, TE fulcrum Eccleſiæ, TE decus Poloniæ, TE omnium bonorum gaudium. Cum beatiſſimo quoq; CLEMENTE IX. qui hodieque Chriſtianæ Reipubl. feliciſſimis auſpiciis præeſt; non tantùm communi aliis Regibus nexu obſequii, ſed & peculiari quadam fati ac temporum harmonia TE connecti, ſuſceptæ ab utroq; Veſtrum dignitatis ſynchroniſmus videtur arguere. Eo enim tempore Illuſtriſſ. Regni Primas NICOLAUS PRASMOVIUS TE Regem nominavit, quo ante biennium, Cardinalitii Collegii ſuffragia illuſtre *Sidus Olorinum*, magnum ſapientia, magnum ſanctitate *Julium Roſpiglioſum* nuncupavére Regem ſacrorum, Ille gratiſſimo admirabilium VIrtutum ſuarum

xore

rore implet, & reficit orbem Chriſtianum. Tu, etſi ætate & ſpecie regiminis diſpar, ſimiliter tamen pulcherrimos dotium Rege dignarum flores, in ipsâ hac orientis Imperii Tui aurorâ, pandis. Et quantùm porrò quoq; Te ac fortunâ Tuâ nobis promittat cælum, viſa in aëre ipſo oſtenta monuiſſe putamus. Quo enim die Rex promulgatus es, *Aquila Alba*, gentilitio Regni noſtri Aliti ſuppar, ingentibus illis eligentium turmis ex alto imminere conſpecta eſt, index haud dubiè vigoris & fortitudinis Tuæ. Antehâc quoque Columba, ipſi conſiliorum publicorum loco ſupervolitavit, nuncia, uti credimus, illius pacis ac concordiæ, quâ, poſt ſopitas contentiones, Rex creatus es, quâ & deinceps univerſas regni Tui Provincias, Te auſpice, fruituras confidimus. Fas eſt inſuper ſperare, Examine illo *apum*, quod rariſſimo exemplo, inter ſuffragatores, ſine aculei noxâ, conſedit, mutuam Civium fidem, & indivulſum populi cum Principe nexum, atq; inſuper melle omnigenæ felicitatis fluens ſeculum nobis eſſe promiſſum. Omnia utiq;, quæ hactenùs vidimus aut cognovimus, in ſpes ampliſ-

ſimas

ſimas optimorũ ſucceſſuum nos erigunt; Tuumque porrò animum ad aſſerendam tot auguriorum fidem inflammant. Nôſti, REX SERENISSIME, grande Tibi jam reſeratum eſſe theatrum, in quo illuſtria Pietatis, Prudentiæ, Juſtitiæ, Magnanimitatis, Fortitudinis, Beneficentiæ, dare ſpecimina posſis. Nec ignoras, pretioſiſſimum eſſe depoſitum, quod à ſupremo rerum Gubernatore fidei Tuæ committitur: dari nimirùm in cuſtodiam præcipuum, in hoc Septentrione, propugnaculum & antemurale Chriſtianorum. Dari Rempubl. latisſimè patentem: ex variis populis, lingvarum, morumq; diverſitate multùm inter ſe diſſonis, ſed pari libertatis ſtudio flagrantibus cöalitam: Rempubl. armis hactenùs invictam, tot hoſtium triumphatricem, bona libertatis delicatè & anxiè amantem, ipſisq; etiam vulneribus, inter ejus vindicias ſuſceptis, animosè gloriantem. Rempublicam denique Deo, uti infinitis documentis dicimus, inprimis dilectam, ejusq; ſingulari gratiâ, ex maximis ſæpè periculis ereptam. Quàm pauci effluxére anni, cum illa adversùm ſe conjuratum innumerum

agreſti

agreſtis & armis accinctæ multitudinis numerum, & cum eo conjunctam Tauricam, dein Moſchicam, mox transmarinam, & cum hàc Dacicam Germanicamque potentiam ſenſit? cùm ſqualidos passim cruore campos, villas & oppida in cineribus ſuis fumantia, Urbes præcipuas Hoſtibus inſeſſas, exercitus aſtu & pretio corruptos, Cives quaſi fulmine attonitos, & in diverſa torrente calamitatum raptos ipſam etiam Majeſtatem Arctoæ tempeſtatis violentiæ cedentem vidit. Multi ex vicinis actum & conclamatum eſſe de Republicâ arbitrabantur, quidã etiam cæteris avidiores, rapiendis velut ex cadavere ſpoliis inhiabant. Deus autem, qui flagellari quidem, non tamẽ interire volebat Poloniã, ſuſcitavit in illâ Camillos, Fabios, Scipiones, qui Matrem in extremis anhelantem refocillarent, hoſteſq; ejus omnes invictâ fortitudine attererent; feliciter deniq; reliquias eorum finibus noſtris propulſarent. At eandem Patriam tot flagellationibus feſſam, tot vibicibus lividam, factiones mox domeſticæ, ſed ambitu peregrino excitatæ, fatigare cæperunt. Parumq; rursùs abfuit, quin ſuis illa

illa in perniciem armis ageretur, quæ vim externam tam fortiter & proſpere depulerat. Ac vidit ſanè Mater optima filios ſuos infeſtis inter ſe gladiis concurrentes, vidit prælia

nullos habitura triumphos.

Iterùm tum in dubiam fortunæ aleam devenerat Reſpublica, iterùm in ſe animos populorum averterat. Sed intervenit DEUS, & incubantes cognatis cervicibus enſes contudit, ſedatiſq; motibus inteſtinis, ſudum Pacis ſubitò intulit. Illa igitur Reſpubl. DEI beneficio, tot calamitatibus, periculis, & ſibi ipſi quodammodò ſuperſtes, illa tot monſtrorum victrix, illa jurium ſuorum vindex, ſe, fortunam, & libertatem ſuam, tot ſudoribus, tot diſcriminibus, tot vulneribus emptam, TIBI, REX SERENISSIME, conſervandam, defendendam, ornandamq; defert. Sub TUIS auſpiciis, favente ſuis muneribus Numine, attritum longiſſimis morbis robur, florem coloremq; priſtinum abundè ſe recuperare poſſe confidit. Et TU, quâ indolis magnitudine & induſtriâ es, conceptas ampliſſimas de TE ſpes non æquare tantùm, ſed & vincere

incipis

incipis. Moderationem animi, immotum recti justiq; amorem, caritatem Patriæ, indefessum in omnigenæ laudis curriculo vigorem, exemplo Tuo commendas omnibus. Et ecquem eorum, qui Vitæ Tuæ rationes inspiciunt, non pudeat, discolorem apparere Principi, qui hoc ætatis, inter tanta obsequia fortunæ, fræno rationis affectûs suos tam bellè gubernat? Ad optima & altissima quæque Senatui & Civibus Tuis alacer præire paras. Hi vicissim TE, eâdem illâ, quâ Te præfecerunt sibi, animorum promptitudine sequentur. Læti imperiis Tuis subsunt, quia TE boni publici amantem, fidamq; libertatis custodem, non magis supra se, quàm pro se esse agnoscunt. Gloriæ Tuæ libenter & fortunas & capita sua consecrant. Ibunt porrò, quò volueris, quia Te non iturum credunt, nisi quò Patriæ salus & honor vocabit. Id omnibus dictis factisq; Tuis spiras, id etiam nummis missilibus polliceris, in quibus aureum illud epigramma exosculamur, *Salus populi suprema lex esto.* Nec à publici boni scopo aberrabis, quia nonnisi optimis Consiliariis aurem præbes. Habes ad manus

nus Ministros, ingenio summos, judicio admirabiles, experientiâ probatissimos, Reipublicæ intelligentissimos, Tibi fideles, Civibus gratos. Habes in limitibus Regni fortissimos Bellonæ filios, habes exercitus annorum multorum stipendiis cognitos, & in iis non paucos, qui inclyti *Patris Tui* memores, nomen illius in TE venerantur, & nihil non sibi promittunt de Te, sanguine Visnioveciorum, quos *Patres militum* semper fuisse nôrunt. Si pro Aris pugnandum fuerit, non inviti CRUCEM in vexillis Tuis lucentem sequentur. Si pro focis Patriæ, eos, tali auspice, gladiis suis incolumes præstare, amissos recuperare; hostes verò antiquam Sarmaticæ virtutis reverentiam, tum ad modestiam æquæ pacis tolerantem redigere certabunt. Sed TU militiam haud dubiè ita componere, ita ordinare conaberis, ut merentibus stipendia, hybernaq; citra detrimentum bonorum Ecclesiæ & Reipublicæ, citra labem nobilium, procedant: ne exhaustis oppidorum villarumq; colonis, fontes tributorum arescant; locaque ipsa, habitatoribus vacua, invalidum disciplinæ legumq; auxilium exprobrent

brent Poloniæ. Sic ab exercitibus, & ab ipsâ Republicâ avertetur ira Vindicis supremi, qui injuriis Pauperum maximè læditur, & missis sæpè propter illas calamitatibus, divites æquat pauperibus. Floreat cum Religionis & liberalium studiorum honore, cura pudoris, cura justitiæ, cura Ordinis, custodia legum, tutela oppressorum. Sint benè meritis præmia, sint pœnæ sontibus. Propitiatus eâ ratione DEUS, persanabit vulnera, quibus hactenùs Respublica ingemuit. Coalescent arctiore nexu animi tot annorum lustris in diversa rapti. Certabit cum reverentia Majestatis amor populi. Carebunt rebellionibus Provinciæ, scopulis suis Comitia, privatis stimulationibus Consilia, pax securitatis & luxuriæ vitiis, bella sinistris eventibus, commercia remoris, artes abusibus, mores licentiâ. Sic porrò Regnum Virtutis attollet fasces, sic prosperitas respiciet Poloniam, sic AQVILA Sarmatica sub TE, generosissimo Pullo suo, sub fortunatis *gentilitiæ Stellæ* Tuæ auspiciis, squalorem senectutis plenè exuet, sic denique Respublica, assumpto robore veteri, ornamento

mento erit Majeſtati Tuæ, Eccleſiæ præſidio, amicis Poloniæ ſolatio, hoſtibus terrori, Cælitibus delicio. Hæc animo devotiſſimo Tibi & Reipubl. ominatus, jam porrò DEUM ter Optimum Maximum ſupplex veneror, ut omina noſtra optato beet eventu, ut TE, REX SERENISSIME, robuſtæ valetudinis conſtantiâ, auſpicato ſemper, quà Togæ, quà Sagi conſiliorum actionumq; tenore, amore Civium illibato, induſtriâ Senatûs prudentiâ, Conjuge vitis Tuis Regnique accommodâ, ut porrò Miniſtris rerum magnarum, uti nunc habes, capacibus, amantibusq; boni publici, milite foris ſemper, nunquam domi formidando, fructuosâ vicinorum Pricipum Populorumq; benevolentiâ, irritâ æmulantium invidiâ, hoſtium obſtinatorum clade & ruinâ, famâ Poloniæ & autoritate altiſſimè evectâ, omni deniq; rerum ſecundarum & gloriæ cumulo, in ultimæ ſenectutis annos, ſoſpitem Majeſtatem Tuam florere, & poſt ſera fata, ſuccedente deinceps Auguſtæ Sobolis & Poſterorum Virtute, feliciter, ordine nunquam interrupto, fine nullo, revireſcere jubeat.

Ad Serenissimam Poloniæ Rempublicam.

Quem Tua secreto, iot jam vertentibus annis,
Parturiit Fortuna sinu, tot adire labores,
Perq; tot ancipites duci Te passa mæandros,
Reddere dũ primæ lucis Tibi certat honores:
Ille JAGIELLONIOS, GENEROSA POLONIA, Fasces,
Et solium Regale tenet. Tu Sceptra gerenti
Oscula jam figis: PROLEM TU MATER adoras,
Depositum venerans Cœli, & lætissima, tantum
Bis peperisse Decus. Cunabula prima dedisti
Ut tandẽ Diadema dares. Præivit Olympus,
Qui Sobolem nasci voluit, quam deniq; PATREM
Efficeret PATRIÆ. Parére at oportuit ante,
Quàm regere: augustum Virtus præcedere clavum
Debuit, & meruisse priũs, quàm sumere sceptrum.
Mox detrectando Regale MODESTIA culmen,
Exacuit populum magis, accenditq; SENATUM,

Dignior & visa est Regnis, dū Regna recusat.
Tu, simul ut Superûm sensisti, PATRIA, nutum,
Nil cūctata sequi, toto jam pectore plaudis,
Non leges Regni, non libertatis habenas
Permissas alii, quàm LIBERTATIS ALUMNO:
Civibus esse Caput Civem, cunctosq; regentē
A cunctis lectum gaudes, magnumq; MONARCHAM
Se totum debere Tibi: neq; JUDICIS urnæ
Arbitrium cuiquam se submisisse favori,
Sed PATRIÆ servisse bono. Quod nemo tueri,
Nec nosse intimiùs potuit, quàm natꝰ eodē
Sub Cœlo PRINCEPS, ortus qui Regibus, æquas
Majores animis, laudūq; cupidine; famam
Virtutesq; ferens. Ostro & Diademate dignas,
Tu spes ipsa Tuas prægressa faventibꝰ Astris
Et voti Te fassa ream, jam Numen adoras,
Ut, quod inexhaustâ Dextræ Virtute patravit,
Porrò gubernet opus. Cœlo REX judice lectꝰ,
Vindice florescat Cœlo. MICHAELE phalangum
Præsi-

Præside Cœlestûm MICHAEL ductore fruatur
Et custode simùl. Decoret felicibus ausis
Perpetuò Patriã, cumulatis Marte trophæis
Augeat, æternisq; inscribat nomina fastis.
Tu verò REGUM GENETRIX RESPUBLICA, felix
Progenie viresce Tuâ. Tibi REGIUS iste
Surculus in solidum constanti robore fulcrũ
Crescat. Tu laudum generoso uberrima fructu,
Et Libani superans Cedros, ac nescia vinci
Culmina Palmarum, diffundas nominis umbram,
Captandam populis: sparsasq; per æthera frondes
Sidereis figas ARBOR CELSISSIMA campis,
Et genuisse DEOS, genitis innixa, triũphes.

Pro

Pro coronide ſint tria Anagrammata ex nomine Sereniſſimi Regis, quem inde cælitùs deſignatùm, Toga & Sago, domi foriſque inclytum fore, Reſpublica ominatur.

I.

MICHAEL.
LECHIAM.

LECHIA certabat ſecum, jam proxima bello,
Inter & adverſos præda futura procos.
Mox interveniens cælum, quò tenditis, inquit,
Rivales? quò Vos irritus ardor agit?
En VIDUÆ SPONSUM jamdudum nomine ſigno,
In SPONSI legitur nomine SPONSA ſui.
Ducere te MICHAEL Princeps, ô LECHIA, debet:
Non alii meliùs nubere, Sponſa, *potes.*
Æthereū *tacito Vos jungit fœdere* Nomen,
Æthereus *Veſter nexus Amoris erit.*

II.

II.
MICHAEL REX,
HIC MERA LEX.

BEllonæ strepitu perculsa Astrea latebat,
Pace redux, reddit me, Duce Rege, mihi:
Regia mens æqui templum est, & legis *asylum,*
Jus nusquã regimen malit habere suum.
Vis alibi regnet: mera lex hîc *Sceptra gubernat:*
REX populum, REGEM lex regit æqua meum.

III.
MICHAEL REX POLONIÆ.
HIC EN LEO PAX MARI MEO.

BArbara cur cristas, cur erigis Arma Tyrannis?
Quas rabido spiras ore superba minas?
Auspice surrexi Respublica Martia cælo:
Æthereâ semper vindicor usq; manu.
Nunc Regem dedit illa mihi, quem fama Leonem,
Mentis ob Heroæ robora, jure vocat.

Ille dabit Patriis, palmas præiturus Avitas,
Vindicias Aris, præsidiumq; focis.
Conteret hostiles, astris ducentibus, Enses,
Et sic grata Lari pax *erit ille* meo.
Bella gerant alii sine fine modoq; Monarchæ
Hoste triumphato condet hic *arma* Leo.
Qui leges victis potuit dare, magnus habetur,
Qui dabit & victis, & sibi, major erit.

ÆGIS PALLADIA
IN
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI,
DOMINI
JOANNIS III
REGIS POLONIÆ,
Magni Ducis Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Woliniæ, Podoliæ, Podlassiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernichoviæ, &c.

CLYPEO GENTILITIO,
SARMATIÆ, ORBISQVE CHRISTIANI PROTECTORE,
ANNO M. DC. LXXVI. II. FEBRUAR.
Sub Ipsam
INAUGURATIONIS REGIÆ SOLENNITATEM
Adumbrata.

AD SERENISSIMUM REGEM.

HEroum cœleste genus, quo Vindice surgit
Patria PELIDEN læta tulisse sibi:
Cui Divina manus meritam Virtute Coronam,
Sarmatiæq; suæ libera sceptra dedit,
Adspice. PALLADIÆ, quæ cernitur, ÆGIDOS UMBRA,
A radiis lumen certat habere Tuis.
Illustrat natale decus tibi MARTIUS UMBO,
Qui LECHIAM texit fortiter UMBO suam.
Obvia TUTOREM passim nunc excipit ulnis
MATER, & applausu Terra Polusq; favent.
Debitor ipse novū columē Parnassus adorat,
Devotæq; offert Cyrrhea dona manûs.
Suscipe, quæ dantur, REX INCLYTE, fronte serenâ,
Ac dantē CLYPEI protegat Umbra Tui.
Invidiæ nam tela nequit sufferre Camæna,
Sit nisi Regali fulta favore DEA.
Ipsaq; vix ausit PALLAS sic Ægide niti,
Vivere sub CLYPEO quin amet illa Tuo.

Nequic-

NEquicquàm dubio secum certamine
pugnat
Conscia Musa sui; trepidans peccare tacendo,
Nec tamē ausa loqui. Luctu perculsa recenti
Canities Helicona pati, Phœbumq; recusat:
Arduaque ingenti rerum fastigia mole,
Virtutumq; immensus apex cantare parantē
Tardat, & imparibus prohibet tam grandia nervis
Tangere, quæ melius veneretur rauca silendo
Chorda, timens nimio ne pondere victa fatiscat.
Publica sed plausum jam poscunt gaudia. Supplex
Dona CORONANDO debet Veneratio REGI,
Et Pietas jubet ipsa loqui. Sic surgit in ausus
Jam dudum desveta novos, rugæq; senilis
Immemor, Aonios, ipsâ sese altior, æstus
Concipit, & Clarias mordet mens ignea laurus.
Ille en, qui Scythicas radiis victoribus umbras
Dispulit, & Patriæ lucē, ceu Phosphorus alter
Reddidit, emeritas rarâ Virtute Curules
Scandit, & augusta librat jam fronte CORONAM.

Eccui tam rigido torpescat frigore pectus?
Quæ linguam glacialis hyems, & plectra ligârit?
Quin fulgente novas capiant hoc *sidere* flammas,
Inq; triumphales se laxent omnia cantûs;
Quin simul ipsa stupens annis, & saucia curis
Vena reviviscat, positamq; lacessat avenam.
Unde sed ingrediens laudum sublime theatrum
Pierius trahet orsa labor? me copia rerum
Circumdans inopem reddit: lux plurima mentem
Offuscat splendore suo, radiosq; moratur
Ingenii, & dubiâ sistit molimina curâ.
Si *Generis* lustrare decus, Cerasq; vetustas
Musa velit, grandes Lechiæ transcribere fastos,
Esset opus, tanti nec erit nisi tarda laboris
Meta; sed & longo cum plurima dixerit orsu
Plura tamẽ dicẽda forent. At proxima nobis
Sit tetigisse satis. Memori non excidit ævo
Bellonâ prælustris AVUS, qui viribus idem
Ingenii, eloquiiq; potens, carusq; Monarchis,
Et patriæ gratus, liberatiq; decorus,
Sceptra Palatini tenuit, lux inclyta gentis
Sarmaticæ. PATREM simili mox tramite laudum Fili-

Filius excipiens, procul hunc ſuperavit honorum
Culmine, cum Solio Regali *proxima* ceſſit
Purpura promerito, *Caſtellanumq́;* creatum
Urbs Regni Princeps coluit, coluêre Dynaſtæ,
Et palmare ſuum dixit Reſpublica fulcrum.
Non huic conſilio ſimilis, non par fuit alter
Ore Pericléo. Quicquid tum *Pallade* dignum
Geſſit utraq; Lechi tellus, hoc *Neſtore* geſſit.
Ille LADISLAO, Moſcum diadema petenti
Jure, quod à populo *Princeps* electus habebat
Magnus Conſilii cuſtos, rectorq́; juventæ
Additus, huic tandē, cari poſt fata Parentis,
Conciliator erat Regni, cum Patria tota
JACOBO moderanda dedit ſuffragia *Campi*,
Qui dare ſceptra ſolet, magnos & dicere Reges.
Huic neq; Threjicii ſunt formidata Monarchæ
Arma, ſed indomitus, tanto frænante capiſtro,
Oſmanes vinci didicit, paciſq; receptis
Legibus, immiti, nec ſicco funere buſtum
Quod Lechiæ molitus erat, furibundꝰ inivit.
Sic manus Emathio jam tum SOBIESCIA ſceptro
Viſa fuit fatalis, & ingens fabrica condi

Cæpit, quam tandem major Patre Filius, astris
Perficis auſpicibus, Patrio jam cælitûs Orbi
Defenſor, Clypeusq; datus. Nam *ſtemmate* tali
Signarunt illuſtre *genus* præſaga futuri
Fata, & nobilibus ſtimularunt pectora flammis.
Maternæ jam mitto decus monumentaq; ſtirpis,
Digna pari monumẽta tubâ, ſi Muſa patenti
Credere ſe vellet campo, ſpatioq; vagari
Liberiore manus. Sed jam mihi ſufficit Heros
Excelſæ Virtutis *Avus*, fortiſſimus ille
Hector Lechigenûm, tremuit quem Moſcua quondam
Patriaq; Oraculum Regis, poſt fata Samoſcî,
Vidit, & æternis commendant clara papyris,
Aula, necisq; genus, cum duri Martis arena
Hauſit pro patriis, invicto pectore, terris
Impare pugnantem fortunâ altoq; cadentẽ
Vulnere. Sed Virtus tumulo ſublimior extat,
Et neſcit poſt fata mori Zolkevius, ingens
Sarmaticæ vindex, ac tandẽ victima gentis.
Sangvine Tu tali genitus, *Fortisſime Regum*,
Indole Divinâ, primævo â flore juventæ.

Heroum Virtutis iter, cœloq; probatos
Ingrederis calles. Puerum Tritonia Pallas
Ungve suo format, secretos pectoris ignes
Delius ipse fovet Pater, & cœlestibus auris
Suscitat, arcanis doctrinæ fontibus implens
Sublimem genium, semperq; ad *Principe dignas* (gur,
Exstimulans curas, vidit qvia præscius Au-
Quæ maneat fortuna Virum, quid spondeat æther,
Et quàm grande decus posthac sub Principe tanto
Præsidiumq; suis promittant Numina *Musis*.
Non tamen Aoniis nimiùm latuisse sub Umbris
Permisit Fortuna Tibi. Sistenda theatro
Lucis erat, puber quò maturesceret ætas
Sole sub aprico, magnis & idonea rebus
Surgeret in Lechiæ decus immortale *Coronæ*.
Inde peregrinas placuit Tibi visere gentes,
Quicquid & Hesperiis usquam Sapientia terris
Condidit eximium, docili perdiscere menti
Summa cupido fuit. Sensit Te Roma capacē
Rerum magnarū, sensit cum Teutone Celta,
Et Scaldin quicunque bibunt, Rhenumq; bicornem,

Tum

Tum Getici latices Iſtri, ſcatebrasq́; Tibiſci.
Te quàcunq́; pedem ferres, excepit ubiq́;
Et fovit peregrinus amor. Generoſa placebat
Omnibus AUGUSTI *Vultus*, & PRINCIPE digna
Majeſtas oris, traxit quoque gratia morum,
Illaq́; tranquillâ ſpectata modeſtia fronte,
Temperiesq́; animi, nec quicquam futile ſpirans
Sermo, ſed occultis innectens corda catenis.
Patria cum reducē vidit, Bellona lacertis
Protenus eſt amplexa ſuis, aptumq́; Gradivo
A teneris experta, novum Te cæpit *Achillem*
Fingere, perpetuisq́; dehinc exercuit armis:
Non horrere docens hyemes, non cruda Bootæ
Flamina, non nimio Phæbi langvere ſub æſtu,
Nullū operis trepidare genus, ſuperare natatu
Flumina, pervigiles armatum ducere noctes,
Eſuriemq́; ſitimq́; pati, tolerare pericla
Intrepidum, valido obſtantes perrumpere ferro,
Non numerare, globos, dextrâ ſibi quærere laudem,
Vulneribusq́; decus, Cœlo patriæq́; ſacratū
Ferre caput, quotiesq́; opus eſt, non parcere vitæ. His

His tirociniis, tali durare palæstrâ
Vernantes humeros, animumq; ad grandias natum
Solennis Tibi ludus erat. Sic Thessalus Heros
Æquoreæ Thetidos dilectũ pignus, Achille,
Ad Martis trabeas primis eductus ab annis
Sic tener Alcides, agitans præludia laudum,
Membra fatigabat, tandem domitura Gigantas.
Sic Geta Threiciis sudantem vidit in arvis,
Et juga lassarunt puerum Rhodopeia Martẽ.
Grandia spiranti durum quoq; sidera campus
Objecêre Tibi. Nec enim truculentior unquã
Incubuit Patriæ, cœlo irascente, malorum
Ilias: extremæ miseram damnasse ruinæ
Fata videbantur, belli tonuêre fragores
Undiq;, penè omnis subitò vicinia fudit
Hostes, & streperi fremuit terrâq; marique
Vis gladii, vix ipsa salus servare labantem
Posse putabatur. Rigido *servilis* ab Euro
Prima procella fuit, plebes cum rustica frænos
Excuteret, Scythicisq; ferox exsurgeret armis,
Cervices scrutãs Dominas, & Lechidos artus
Dirâ fauce vorans, Illi Tu, Martia Proles,

Objectare Tuum, prima inter fulmina, pectus
Ausus es, Alcidē animis juvenilibus æquans,
Gorgoneosq; acer lacerabas ungvibus Hydros. (stri
Nec semel immanis mersisti in viscere mon-
Arma, quia haud uno dirissima vulnere Lerna
Procubuit, sed sæpè caput rediviva sub auras
Extulit, atque animos, viresq; à vulnere sumsit.
Ah! quanto maduit belli hæc feralis arena
Sangvine nobilium! quot Clari nominis istic
Oppetiêre Duces! inter primaria gentis
Sidera, quæ præsens ætas, & postera semper
Fama canet, proh fata! Tuus, florentibus annis,
Unicus occubuit *Frater*, spes altera magnæ,
Gemmaq; Pulchra Domûs, Patriæ virtute futurus
Æmilius, fulmen Martis, si sera vocasset
Heroum Lachesis Juvenem. Nunc laude superstes
Perpetuâ vivit, templisq; insertus Olympi,
Semi-Deosque inter, Proavûm, magnique *Parentis*

Com-

Complexu gaudens, *Te* Regia sceptra gerentem
Cœlo spectat ovans animis, jugiq; triumphum
Lætabundus agit plausu, *Fratriq;* faventes
Perpetuò Superos, & candida fata precatur.
Non desævierat furiis excita Cosacæ
Tempestas turbæ, aliam mox traxit ab Arcto
Cum mare Parrhasium vomuit numerosa phalangum
Agmina, belligerosq; Gothos effudit in agros
Sarmatiæ, quæ tota sibi tum dissona, tardas
Opposuit vires hosti. Sic objice nullo
In medios ruit ille sinus & viscera Regni,
Ac propè cuncta suis reperit, vel fecit aperta
Consiliis. Socias jungebat Dacia turmas
Hunnigenæq; suis subitò de montibus ingens
Militiæ robur Lechicas immisit in oras
Ambitione tumens cæsâ *Racocius*; ibat
Huic comitum malefida cohors, quam Russia misit.
Tristibus instupuit tot fluctibus obruta Lechis,
Nec satis ipsa sui compos dedit hostibus ægrum

Primâ

Primâ fronte latus, multasq; hæc *naufraga puppis*
Hausit aquas. Donec pulso *generosa* sopore
Natio commovit vires, quatiensq; lacertos,
Excussit ferale jugum, fecitq; sepulchrum,
Gentibus externis Patriam, raptasq; curules
Reddidit ense sibi victrix, terrasq; recepit.
Hic tua Sarmaticos inter spectata Camillos
Emicuit belli Virtus, Regiq; fugato
Martia festinavit opem, Lechicoq; cubili,
Usque virens annis, pulchris tamen ausibus apta,
Depulit Arctoas gladio felice catervas.
Vix verò fulgere minax occæperat ensis
Gotthe, Tuus, Lechiæ nullo cum jure cieret
Arma Lycaoniis alius progressus ab oris
Hostis, regna tenens latè porrecta sub Ursæ
Cardinibus, verè Dominator lege solutus.
Hûic quoque se junxit nobis infestus, & in nos
Præbuit immanis dextras & tela Cosacus.
At læsam fortuna fidem Virtusq; Polona
Ulta fuit, fœdâq; hostes ejecit arenâ,
Milite non multô, cujus sed sveverat ardor
Ingentes superare acies, & fræna superbis
Ponere; pugnantiq; Deum præsentia favit.
Floruis

Floruit hic rursum, Tua *Dux prosperrime,*
laurus, (ctos
Hîc palmis viruêre manus. Non nesciit Ar-
Sudores *extrema* Tuos. Te Desna videbat
Indomitũ bello, Te victa Borysthenis unda
Admirata fuit, fusoq́; immixta cruori
Sæpius erubuit, spectans perjura suorum
Pectora, pollutasq́; manus, arasq́; Tonantis.
Jam Tua quis contra Precopenses dicere
gentes
Prælia sufficiat? quæ percensere Camœnæ
Cuncta queant? Nullus nobis elabitur
annus,
Vix & hyems, Scythicas quâ non arcere co-
hortes
Res jubeat. Cum perpetuis Gens dira rapinis
Vivat, non Cererem glebâ, non artibus ullis
Quærere sveta, suæq; simul Mæotidos undis,
Euxinoq́; mari, tum paupertate perenni
Tuta, celerquè fugâ; sic irrequieta propin-
quos
Sollicitat populos, Lechicosq́ue incurrere
fines,
Venariq́; hominum passim genus omne,
gregesq́; (rato
Assolet. Hanc contra semper mucrone pa-
Pervigil excubias egisti, ensesq́; latronum
Fregisti

Fregisti bellace manu, raptorque rapina
Sæpe fuit, crebròque Tuâ Virtute soluta est
Infinita cohors, captorum, hæc jure salutis
Te reparatorem, Te libertatis asylum
Prædicat, & verè SCUTUM columenq;
Tuorum. (sus
At Scytha ceu pestē metuit, sine cæde rever-
Nunquam, cum fluvius, casusvè latere vo-
lentem
Commisit Tecum, pugnamq; ciere coëgit.
Ampla cano, sed multa silens reverentia
transit,
Ut plectris majora meis. Et plura patrasset
Vis Animi Dextræq; *Tuæ*, nisi livor iniqvus
Atraque suspicio remoras posuisset eunti
Tramite laudato. Quoties ah tristis Enyo
In Te surrexit? Quoties per inania Famam
Invasit violenta Tuam? qvam lurida nubes
Invidiæ texit, quæ Tu memoranda gerebas
Pro Patriâ? quam sæpe fides præclara mo-
nenti
Defuit? ô quoties clamabas, *panditur in nos*
Thracia Porta, parat jam dudum tela virosq;
In Lechiæ jugulum; Vos ô consurgite Cives,
Et Bizantini diros cohibere Tyranni
Quærite conatus: Sed non permisit Erinnys
Esse fidem dictis; vani figmenta cerebri

Nec

Nec prâvo caruiſſe dolo ſunt credita, quæ *Tu*
Pectore ſincero, Patriæq; impulſus amore
Svadebas. Adeò cœco in ſua fata ruebant
Impete diſcordes, vertigoq; tanta trahebat
Præcipites animos: qui dum ſic volvere
pergunt
Rixarum fluctus, *rabies Othomannica* vaſtis
Ingruit Agminibus, mox & *Camenecia* rupes
Cingitur, Eoo mora deteſtata Monarchæ,
Tunc armis inſtructa minus: Spes deficit
omnis
Auxilii; Cives alio quia verterat ardor
Irarum. Paucis ſic *Troja Polona* diebus
Indomitam Odryſio cervicē ſubdidit hoſti.
Ingemuit tantæ trepidans vicinia cladi,
Et pietas diro læſam ſe vulnere ſenſit,
Hic cum Chriſtiadum murus ſub Mechica
lapſus
Jura fuit. Tardè ſapiens poſt vulnera Lechis
Indoluit, nudum ſe proſtituiſſe Tyranno
Heu confeſſa latus, quin expectabat in ipſis
Viſceribus ferrum, quod laſſa arcere ne-
quibat.
Sed Superi, queîs cara magis Respublica
viſa eſt,
Quàm fuit ipſa ſibi, frænum poſuêre Mo-
narchæ,

Belli

Belli interstitium dantes sub imagine Pacis,
Pacis at heu! miseræ! veterum quam conscia laudum
Erubuit, lethoq; parem Gens Martia duxit.
Nec mora. Tu præiens alios, calcaria creber
Subdebas animis, *ecquis, nisi degener*, inquis,
Indecores Leges, & blando nomine tectum
Servitii tolerare jugum pendendaq; Bassis
Æra queat? Sunt usq; manus, sunt arma Polono,
Tam grave queîs possit Patriis avertere terris
Dedecus, ignotum Pro-Avis, Secloq; Parentũ,
Quorum si cupimus non inficianda propago
Censeri, maculas stet cura abolere pudendas,
Pupillamq; manu forti tueamur honoris,
Sangvine quem partum Virtus, & Cura reliquit
Indefessa Petrum. Satis est Acheronte profectam
Tisiphonē tantùm potuisse, in mutua damna
Ut nos impulerit, nullosq; habitura triumphos,
Arma. Redux fraterna novo concordia nexu,
Et Patriæ communis amans nos vinciat ardor;
Justaq; in Emathias ruat indignatio gentes.
Libertas animis ingens, & gloria thyrsos

Sub-

Subjiciat, ſtimulos imprimis cura Tonantis
Addat, Agarenæ noſtris in finibus Aræ
Intolerans; Moveat nos poſtera turba, nepotès
Deteſtaturi pro libertate Parentes (tes.
Non benè ſollicitos, priſcæ nec laudis aman-
Surgite, magnanimi Cives, abſtergite labem,
Armaq́ꝫ deformi, Duce me, præponite Paci.

Scipiadæ tanti voces generoſa ſubibant
Pectora, continuò delectus miles, & arma
Undiq; fulſerunt. *Regem* non detinet ipſum
Vis morbi, quin caſtra petat: cum membra labarent,
Fertur in ardentes bello, imperterritus, oras,
Et tetigit votis, oculo quas fata negarunt
Tangere; nam rapuit Lacheſis pugnare volentem:
Et morbo periit, tanto in diſcrimine rerum,
Rex immaturus, natali ah redditus æthræ,
Vix dum guſtata Lechici dulcedine ſceptri.

Duriùs heu nobis, tali ſub cardine Regni,
Conſuluiſſe videbatur Fortuna, timorq́;
Magnus erat, ne læva iterùm diſcordia Cives
Raptaret, quos unanimes veneranda tenere
Majeſtas potuit. Sed cum tam vulnere diro
Iratum Lechiæ rebus ſe prodidit Æther,
Clarior ejusdem juxtà clementia luxit,
Quando triumphali cinxit *Tua* tempora lauru,

Prin-

Principis extincti, tam grandi munere, famam
Anticipans. Regis sese confligere miles
Credidit auspiciis. Felix at sidere pugna
Constitit illa *Tuo*. Soli mansêre trophæa
Illibata *Tibi*. Patriæ tamen illa modestè
Vindicibus tribuis *Superis*, his omnia gratus
Filius assignas. Tanti sed fama triumphi
Unà cum fato Regis dispersa per orbem,
Vix reperire fidem potuit: transcendere sortem
Credita sunt nostram tantæ *miracula* palmæ.
Castra adstructa Tyræ, durâq; crepidinæ ripæ,
Præcipitiq;, jugo, & firmis tutissima vallis,
Armorumq; omni, victusq; instructa paratu
Et plus ter decies millenûm tecta Virorum
Robore, perpetuas jaculantum ex aggere flammas,
Victori cessisse *Tibi*, vix unius *horæ*
Expugnata morâ, Emathio cum milite magnos
Procubuisse Duces, vix agmina pauca cruentam
Effugisse necem, scopulos rubuisse madentes
Cædibus, & spisso manasse cadavere flumen,
Ac

Ac plenos ſpoliis clivos vallesq; ſnperbis
Sarmaticas ditâſſe manus, arcemq; *Chotimi*
Atq; alias Urbes, Pruti quas alluit unda,
Hoſtibus ejectis, ſceptro ceſſiſſe Polono,
Omniaque hæc modici pretio conſtare cruoris,
Grandia erant nobis portenta, & credita cunctis
Mortali majora manu: *Tuq;* ipſe faventi
Hoc opus inſolitum totum tranſcribis Olympo.
Non ſtetit hâc fini cæleſtis gratia, majus
Deſtinat illa *Tuæ, Princeps,* meliusq; brabéum
Virtuti. Lechico dignam *diademate* cenſet.
Laurea nulla ſatis tantos penſare triumphos
Poſſe videbatur, *Regum* meruiſſe curules
Creditus es Superis. Alii dare ſceptra recuſant,
Quàm qui ſceptra recens ſervaſſet, & usq; tueri
Sufficiat prudēte manu. Sed clauſa patebant
Hæc decreta diu: ſcriptas adamante tabellas
Elector domum reſeravit *Campus,* & horæ
Momentū Fatis placitum. Suffragia primùm
Tendebant aliò. Peregrini ſangvinis, Oſtro
Imminuêre Proci. Quin id *nonnemo* propinquâ

Viſus

Visus erat prensare manu. Sed deniq; Cœlo
Emicuit summæ, cui parent omnia, dextræ
Calculus, applaudit populus, pars plurima
fasces
Cælitus *Electo* mox subjicit, Ipse recusas,
Dum quenquam dubitare vides, spernisq;
vocari
Electus, nisi concordi *Te* nuncupet urna
Campus, & unanimi coeunt suffragia sensu.
Consensêre omnes tandem, Regemque
Joannem
Publica Vota sonant. Lætatur Lechia
Mater
De gremio venisse suo, qui tanta gubernet
Regna, parem magno Virtute animoque
præesse
Orbi, *Davidem* genio, vi Martis *Achillem*,
Theudosiis pietate parem, curaq; *Zaleucum*
Justitiæ, mitemq; tamen, nulliq; timendum,
Quam quibus est odio Virtus, quive arma
minantur
Insonti Patriæ, tacitis vel fraudibus obsunt.
Electo sed deerat adhuc, ut porrò sacratũ
Vinciret *Diadema caput*. Mox ergò rogarunt
Cives, Regalem properes ut adire *Tiaram*.
Pugnavit rationum acies non vilis, & ad *Te*
Svada perorabat pro *Te* facunda *Senatûs*.
For-

Fortior at cunctis jussit dare causa repulsam
Quam dederas prior *Ipse TIBI.* Fas omnia vinci
A Victore Sui. Ductrix Tua cuncta triumphat
Argumenta *Salus Patriæ,* quæ casside condi
Poscebat *Regale Caput.* Sic publicus in *TE*
Privatum prævertit honos, prolataq; Sceptri
Ornamenta *Tui.* Pergis *Diadema* mereri,
Sumere quod differs: Tanto sic grandior extans,
Quanto es spontè minor: verèq; hoc dignior *Ostro,*
Quod removens, CLYPEO properas gladioque tueri.
Nec mora. Mox toto sonuerunt clàssica Regno,
Concurritq; madens effuso sangvine Thracum,
Eoisq; nitens spoliis, armisq; decóra
Bellatorū acies: sperans cumulare trophæis
Nuper parta novis. Animos *Dux Martius* auges,
Fortunamq; in *Te* comitem sibi miles, & ipsos
Credit stare DEOS. Tali putat *Auspice* dextris
Pervia cuncta suis. Pronus sic ire remotos
Ad

Ad Patriæ fines properat, ſic figere caſtra
Ruſſia pertremuit, trepidavit turba rebellis,
Nec paucos peccaſſe pudet. *Tu* parcere lapſo
Non tardus populo, paſſim Diplomata ſpargis,
Promittens veniã juſto ſe reddere promptis
Imperio, reliquos Domitor premis acribus armis,
Dum cruda cervice rigent, Dominasque ſuperbo
Contemptu fugiunt leges, frænumq; recuſant.
Ipſe hyemes Bellator agis ſub pellibus, urgens
Militiæ non ſegnis opus, nihil aſpera cæli
Te movit facies, Cereris nec copia flexit
Deficiens, variisque gemens querimonia cauſis.
Namq; laborantis ſtipendia militis ibant
Langvidiùs, quia difficilem Reſpublica ſumptum
Affundebat egens. *Tu*, ne penuria pulchris
Auſibus obſtaret, largis *patrimonia* rivis
Dimanare jubes, proprii nec labe peculî
Defectus Patriæ dubitans penſare, maniplos
Ære Tuo fulcis inopes. Sic militis in TE
Crevit amor, ſic caſtrenſes tulit ille labores
Impiger.

Impiger, extremoq; Tui sub limite Regni
Excubias egit, patiens, quæcunq; jubebat
Sub rigido fortuna polo. Sic viscera Matris
Lechidos haud tetigit damnosa *licentia Martis*,
Quæ truculenta *lues*, grassata prioribus annis,
Gangrænâ pejùs, labefecit totius artûs
Corporis, & populi venas exhausit egeni.
His progressa viis Virtus Tua, *maxime Regum*,
Sarmatiam recreat, quæq; hæc amiserat olim,
Ducis ad obsequium, rediit pars plurima plebis,
Quæq; bibunt Urbes Typanim, Rossumque Tiramq;
Cervicem flexêre Tibi, priscasq; secures
Agnoscunt, Regiq; suo se reddere gaudent.
Quas cum Tartaricis nitens Bizantia nervis
Porta sui rursum cuperet submittere sceptri
Imperiis, ruerentq; immensi roboris alæ
Bistonides, ferrū crudele ignēq; minantes:
His impar numero, bello sed vivida Virtus
Nostrorum invicto se objecit pectore, Divos
Militiæ *Te* dante Tuos, patriæq; salutem

Vindiciasq; dedit felix, vastosq; subinde
Barbarico latè perfudit sanguine campos.
Mox quoq; prodigio *Tibi* monstravêre favorem
Sidera, quando *nives æstivo* mense tegebāt,
Quêis stetit hostis, agros. Fovit *Te* mitior aura,
Illum terret hyems. Cœlum *Tibi* sensit amicum
Barbaries, hostile sibi; Sic cedere campo
Maluit, & dare terga *Tuis* Scytha territus armis.
Numinibusq́; simul. Sic & sub Vindice tanto
Intactus sospesq; fuit *LEO RUSSICUS*, ille,
Impia cui toties ensemq; rogumq; minata est
Bizantina manus, voto potitura cruento
Forsitan, immanē nisi, *Rex invicte*, stitisset
Virtutis *Tutela Tuæ. Procumbere* malle
Regius ardor erat caræ sub mænibus Urbis,
Quàm dare Bistonii fædandā militis ungui.
Et stetit ille procul, tenuit Bassasque Chanosque
Umbo Tuus, pepulitq; truces Mavortius ensis.
O si promissam jamdudum fædere juncti
Accelerasset opem Populus, quàm pulchra dabatur

Materies iterùm palmis! quàm larga trophæis
Cæca ſed invidiæ tabes, odiiq́; maligna
Fædavit loligo fidem, timuitq; Polonam
Submiſſis fultam auxiliis attollere gentem,
Cujus Achilléas jamdudum experta cohortes,
Fulmineaſq́; Aquilas non unâ ſclade ſuorum
Senſerat. Hoſtiles ſic illa immota furores
Spectavit, captæq́: hominum gens aſpera turbæ
Penè nec ingemuit, tenuiſſe Boryſthenis oram
Contenta, & Scythicas non admiſiſſe catervas.
Sed veniet tandem tempus, quo lubrica rerum
Invertet fortuna vices, quo barbarus Iſter
Lechia ſigna tremet, Syrius trepidabit Orontes
Et fugiens Tanais *Janineum Heroa* paveſcet
Cujus *PALLADIAM* nullus jam comminùs hoſtis
ÆGIDA ferre poteſt, vultum nec ſuſtinet ullus.

Conſtat, *Buczaviam* nuper cum cinxerat Arcem,
Poſt & *Trembloviam*, rapido veſtigia curſu
Vertiſſe *Imbraimum* Baſſam, Crimeoſq; Dynaſtas
Conſpectum fugiſſe *Tuum*, multumq; pavorem
In terras retuliſſe ſuas, ipſiq; Monarchæ
Æmonio moviſſe metum, moviſſe furorem,
Contremuêre omnes, cum ripam utramq; Polonos
Conſtitit inſediſſe Tyræ. Muldavia tota
Expavit, noſtros ſpectans inſiſtere portis,
Scrutariq; armis Geticæ penetralia terræ.
Sed brumale *Tuis* dedit intervalla trophæis
Sidus, & horrentes urgens *penuria* Campos,
Nec non dira *lues*, atro labefacta veneno
Corpora proſternens, Sic mittere *longiùs* arma
Non Tibi permiſit ratio, non ſuada Tuorũ
Te quippe aſſiduo revocabat Patria voto
Ante alios Regni *PRIMAS OLSZOVIUS* ingens
Ille ſub auſpiciiis cari ſibi *Principis Atlas*
Conſilii, Lechiciq; *CAPUT* ſublime Senatû
TRZEBICIUS pariter Præſul, quem culmina *Craci*

Suſpiciunt, quem Roma colit, quem Civis honorat
De Patriâ ſummè meritum, ſemperq́; merentem.
Conſonat his, *Magni.* cui credita cura *Sigilli*,
LESCINIUS, noſtri *Neſtor* veriſſimus ævi.
Conſonuêre alii *PROCERES*, & quiſquis amantem
TE patriæ communis, amat. Poſt tanta laborum
Auſa, & perpetuis hyemes ſub pellib' actas,
Poſt tot in exhauſtis curas ac tædia terris,
Servataſq́; armis Urbes, hoſteſq́; fugatos,
Cernere *Te* flagrant, tandem & *Diademate* cinctum
Regali ſpectare, animis concordibus, optãt.
Non *Patre* ulterius Cives, non *Sole* videtur
Poſſe carere ſuo: veriti, ne ſuſcitet ignes
Diſſidii, *Te* abſente, novos turbator Avern'.
Deſtituiſſe preces, & ſiſtere vota Tuorũ,
Sævities *Tibi* viſa fuit: patriæq́; Salutis
Cura Tuum ſtimulis animum tam fortibus urſit,
Ut modica aſſiduo ſudori, & Martis arenæ
Spiramenta dares. Redeuntis fama per omnes
Sarmatiæ terras animos, afflavit ad inſtar

Auroræ, quæ Mygdonio progreſſa cubili,
Gentibus optatam Phœbi ſuccedere lucem
Nunciat, & roſeo cum lumine gaudia fun-
dit.
Anxia ſed populo quem ſpes promiſit
anhelo,
Jam tandem SOL ipſe venis. Jam *principis
Urbis*
Mænia celſa ſubis. Gratus replet omnia
plauſus,
Adnutat Pæana canens *Tibi* vertice Pindus.
Undiq; templa ſonant. *LUCEM SANCTIS-
SIMA MATER*
Commodat ecce ſuam: Tua fulgurat inde
Corona
Splendidiùs, tanto rutilans auguſtiùs *Aſtro*.
Ipſe *STANISLAUS*, Divûm quem *Martyra*
tellus
Lecha tenet, qui ſacra *Tuo* jam pandit ho-
nori
Limina, *Te* Patriæ librantem ſceptra trium-
phans
Spectat, & æthereo *REGEM* ſic excipit ore:

*SAlve magnanimis, Princeps, Heroibus orte,
Lumen Avis, Gentiq; Tuæ: quem Patria
gaudet*

Se

Se TANTUM peperisse sibi: cui subjiçit ultrò
Sceptra, Jagelloniis olim benè credita dextris.
Nunc Tibi se tradit. Tu, quod felicibꝰ armis
Servasti, prudente manu moderabere Regnū
Sarmatiæ, Civem Patriæ Tu legibus æquis
Flectes, Bistoniæ fortis Tua Dextera Lunæ
Terribilis, vindex eadem Tutelaq́; sacræ
Relligionis erit. Cape fortunante Coronam
Numine, non alii sacrum sedet aptiùs Ostrū,
Virtutem sublime Tuam Diadema coronat,
Ipse coronabis meritum Diadema trophæis.

INDEX RERUM
Insigniorum.

C.

Joh.

Felici-

H.

Jere-

Karn-

K.

L.

Alb.

Olivensi

Casim.

Popielus

In

Sigiſm.

Stanislai

Valachi

Vicinus

PA
in
16. lege
Pag. 1
centia
Pag. 2
lin. 17.
Constan
lege Bo
Pag. 4
6. lege
Pag. 53
lege re
Pag. 69
concita
ibid. li
lege o
gelam,
lege C
Uratis
opem.
Pag. 9
18. leg
captum
Pag. 1
lin. 11

ERRATA.

PAginâ 4. lineâ 20. lege *Rempublicam.* in titulo pag. 10. lege 10. Pag. 10. lin. 16. lege *Lesci.* Pag. 12. lin. 18. lege *contra.* Pag. 16. lin. 5. *pone.* ibid. lin. 18. lege *innocentiam.* Pag. 19. lin. 4. lege *authoritate.* Pag. 21. lin. 19. lege *Principatum.* Pag. 34. lin. 17. lege *occasione.* Pag. 35. lin. 20. lege *Constantinopolitanorum.* Pag. 37. lin. 1. lege *Boleslaum.* Pag. 39. lin. 10. lege *præter.* Pag. 42. lin. 3. lege *Kiovienses.* Pag. 43. lin. 6. lege *in.* Pag. 49. lin. 14. lege *peti ratus.* Pag. 53. lin. 21. lege *Bellum.* Pag. 59. lin. 9. lege *rediit.* Pag. 61. lin. 19. lege *Bohemicum.* Pag. 65. lin. 1. lege *cum.* ibid. lin. 20. lege *concitabat.* Pag. 73. lin. 5. lege *colligendi.* ibid. lin. ult. lege *nepotibus.* Pag. 82. lin. 12. lege *occupassent.* Pag. 90. lin. 2. lege *Pregelam.* ibid. lin. 8. lege *fusoq;.* ibid. lin. 18. lege CIↃ CC LXXIX. ibid. lin. 20. lege. *Uratislaviensium.* Pag. 94. lin. 20. lege *opem.* Pag. 96. lin. 14. lege *meminimus.* Pag. 98. lin. 5. lege *Principes.* Pag. 126. lin. 18. lege *Ludovicum.* Pag. 128. lin 17. lege *captum.* Pag. 131. lin. 11. lege *fratribus.* Pag. 144. lin. 14. lege *aliquoties.* Pag. 146. lin. 11. lege *jussit.* ibid. lege *Vladislao.*

Pag.

Pag. 155. lin. 21. lege *Turcarum*. Pag. 158. lin. 9. lege *Johannes*. Pag. 167. lin. 20. lege *filium*. Pag. 169. lin. 2. lege *Alberti*. ibid. lin. 25. lege *Severiensium*. Pag. 177. lin. 1. lege *qui in*. Pag. 179. lin. 8. lege *irruptio*. Pag. 181. lin. 21. lege *primùm*. Pag. 185. lin. ult. lege *etiam*. Pag. 187. lin. 21. lege *defectoribus*. Pag. 192. lin. 23. lege *exercitu*. ibid. lin. 24. lege *Cæterùm*. Pag. 198. lin. 2. lege *Senatui*. Pag. 200. lin. 21. lege *dirempta*. Pag. 235. lin. 5. lege *illa*. Pag. 238. lin. 24. lege *educato*. Pag. 242. lin. 16. lege *accedit*. ibid. lin. 22. lege *Episcopi*. Pag. 249. lin. ult. lege *transiret*. Pag. 252. lin. 23. lege *ingressus*. ibid. lin. 26. lege *discessûs*. Pag. 258. lin. 12. lege *occupaverat*. Pag. 267. lin. 21. lege *conditiones*. Pag. 279. lin. 10. lege *Oratione*. Pag. 286. lin. 12. lege *sparsit*. Pag. 307. lin. 24. lege *plus*. Pag. 312. lin. 11. lege *Ordines*. Pag. 324. lin. 8. & 9. lege *Polonis*. Pag. 388. lin. 14. lege *reveriti*. Pag. 401. lin. 12. lege *Sochaczoviensis*. ibid. lin. 21. & 22. lege *nonnullos*. Pag. 424. lin. ult. lege *altare*. Pag. 427. lin. 21. lege *abeundi*. Pag. 441. lin. 12. lege *insula*. Pag. 445. lin. 3. lege *violentiam*. ibid. lin. 14. lege *Buczacensibus*. Pag. 467. lin. 8. lege. *insolentem*. Pag. 469. lin. 23. lege *atq;*. Pag. 486. lin. 19. lege

lege *frænare eos.* Pag. 511. lin. 17. lege *percommoda.* Pag. 537. lin. 25. lege *consilium.* Pag. 538. lin. 15. lege *tamen.* Pag. 579. lin. ult. lege *conflictum.* Pag. 583. lin. 21. lege *Pragam.* Pag. 611. lin. 17. lege *minore* Pag. 633. lin. 26. lege *hostes.* Pag. 658. lin. penult. lege *illis.* Pag. 684. lin. 15. lege *cessisset.* Pag. 711. lin. 8. lege *intellexissemus.* Pag. 719. lin. 8. lege *oppressurus.* Pag. 730. lin. 16. lege *Vigilum.* Pag. 733. lin. 21. pòst *qui* deleatur, *si.* Pag. 734. lin. 23. lege *ê cineribus.* Pag. 735. lin. 2. lege *penuarium.* Pag. 737. lin. 7. lege *ab aliis.* Pag. 744. lin. 5. lege *si.* ibid. lin. 15. lege *firmâsset.* Pag. 745. lin. 9. lege *fideles.* Pag. 747. lin. 22. loco *sed* pone *&.* ibid. lin. ult. lege *suo.* Pag. 753. lin: 20. lege *insignem.* Pag. 756. lin. 4. lege *injucundo.* ibid. lin. 11. lege *inprimis.* Pag. 762. lin. 11. lege *inter alia.* Pag. 773. lin. 21. lege *Nam.* Pag. 775. lin. 1. lege *excussisset.* Pag. 776. lin. 19. lege *eum.* Pag. 779. lin. 4. lege *Severiæ.* Pag. 782. lin. 14. lege *Michaelem.* Pag. 783. lin. penult. & ult. uti & pag. 784. prioribus lineis, *quæ cursivis literis sunt scripta in margine poni debebant, nam turbant textum.* Pag. 788. lin. 25. lege *profligati.* Pag. 790. lin. 15. & 16. lege *mala & meam.* Pag. 802. lin. ult. lege *Stanislaum:*

Pag.

Pag. 804. lin. 4. lege *diademati*. ibid. lin. 24. lege *Kazigerejus*. Pag. 809. lin. 6. lege *de Te*. Pag. 814. lin. 16. lege *ad antiquam*. Pag. 815. lin. 19. lege *ſiniſtris*. Pag. 816. lin. 12. lege *rebus tuis*. ibid. lin. 17. lege *Principum*. Pag. 821. lin. 4. lege *latebam*. ibid. lin. 16. lege *Lari*. Pag. 828. lin. 28. lege *Oraculum*. Pag 831. lin. 2. lege *grandia*. ibid. lin. 5. lege *Achilles*. ibid. lin. 13. lege *campum*. Pag. 838. lin. 18. lege *Patrum*. Pag. 84. lin. 14. lege *crepidine*. Pag: 841. lin. 24. lege *demùm*. Pag. 851 lin. 1. lege *peperiſſe*. In Indice lit. A. lin. 15. lege *prodigalitas*. ibid. pag. alterâ lin. 10. lege *Leopolienſis*. ibid. lin. 13. lege *ſæpe*. lit. H. lin. ult. lege *Cracoviâ*.

23.

Item i Teri 3. Popul:

NB. Sarnicelli p.

1023. de diversione

beneficii, intra filios

populi

Pag. 804. lin. 4. lege *diademati*. ibid. lin. 24. lege *Kazigerejus*. Pag. 809. lin. 6. lege *de Te*. Pa[illegible] lege [illegible] *antiquam*. Pag. [illegible] n.12. lege [illegible] *inci-pum*. [illegible] bid. lin. 1[illegible] *Or a-culum* [illegible] bid. lin. 5. [illegible] *am-pum*. [illegible] 84. lin. 1[illegible] ege *demù* [illegible] In Indic[illegible] bid. pag[illegible] *is*. i[illegible]

Hic Liber
Joannis Chr. Roll